





Conf: de prima & hac Editione Acta Erudit. Lips. de ao 1682. pag. 359. & de ao 1697. pag. 350, & laudantur ibi imprimis epigrammata in Effigies Doctorum Virorum. addantur les Jugemens des Savans de Baillet Tome IV. part: VI pag: 272. & Morhof in Polyhist. Tom. 1. Lib. VIII. Cap. 3. num. 9.

PETRI FRANCII
POËMATA.

EDITIO ALTERA.

Auctior & emendatior.

Accedunt Graeca Ejusdem Carmina.



AMSTELAEDAMI,
Apud HENR. WETSTENIUM.
CIƆ IƆC XCVII.

OMNI LAUDE
VIRTUTE AC DIGNITATE
CUMULATISSIMO VIRO

EVERARDO DE DANKELMAN,

Serenissimi ac Potentissimi
Electoris Brandenburgici,
FREDERICI III,

Ministro Status Primario, consiliorum omnium Praesidi Summo, Perpetuo, Domino in Breskens, Wettin, Ungelingen, Schonebeck, &c. &c. &c.

PRodeunt rursus in lucem mea Poëmata, quae ullius alterius nomini consecrare, quam Tuo, Vir Illustrissime atque Excellentissime, nec volui ego, nec debui. Rationes sane quàm multae, tum privatae, tum publicae, suaserunt ac monuerunt, hanc ut consilii viam insisterem, longeque clarissimum ac splendidissimum, & per universam, qua patet,

ropam celebratiſſimum nomen Tuum meis hiſce praefigere verſibus ſuſtinerem. Nam quis eſt paullo humanior; quis earum, quæ geruntur, haud ignarus rerum; ad quem non Tuus in litteras amor, ac virtutum Tuarum fama pervenerit? Te enim in terris homines admirantur, Te prae caeteris amant, ſuſpiciunt, colunt; & in aliquo apud Te gratiae loco poni maximum ac potiſſimum beneficium putant. Tu vero excipis ſingulos; tanta enim Tua eſt comitas, tanta Tuarum facilitas admiſſionum, neque quenquam à Tuo vultu triſtiorem diſcedere pateris. Nec uni Te populo conſecras, licet aula Te Brandeburgica ſuum jure merito vocet ac vindicet, ſed in alias item gentes ac nationes beneficia Tua diſpergis; & in quibuſcunque vel ulla virtutis ac bonae indolis ſemina conſpicis, eos, ut Tuos, amas ac diligis; & in peregrinos non minus & exteros, quàm in cives ac populares, affectum illum Tuum patrium dividis, & ſingulari omnes benevolentia, ac pari propemodum amore complecteris. Ita

deniquebenignum Te praeſtas ac beneficum cunctis ubicunque mortalibus, ut non in unius commodum gentis, ſed in totius terrarum orbis, & commune omnium bonum, in hanc lucem editus, ac populis paſſim omnibus commodatus eſſe videaris. Nihil hic me gratiae dare, neque quidquam, niſi quod verum eſt, proloqui, optime, ſi quiſquam, novit optimus ac benigniſſimus Princeps, quem à prima adoleſcentia informaſti, & ſalutaribus ac ſalubribus monitis Tuis, ut eſſet optimus, effeciſti: In cujus Aulam pietatem ac religionem; Forum, juſtitiam & aequitatem; Exercitum, continentiam ac diſciplinam; Urbem, divitias, ſplendorem, magnificentiam, & omnis generis commoda intuliſti; Cujus rem privatam & publicam, cujus famam & gloriam immane quantum auxiſti, amplificaſti: Qui Tuis viciſſim meritis ac virtutibus digna praemia reddidit; qui ad ſummos Te honores evexit; qui ſuis Te rebus praefecit, & Miniſtrum Status Primarium, Collegiorum atque ordinum

omnium summum esse Præsidem voluit, quo Tibi nomine, Vir illustrissime ac nobilissime, universus mecum gratulatur orbis. Norunt id Tui cives, norunt exterae gentes, quae, suo orbe profugae, in terram se Brandeburgicam, & in Tuum imprimis sinum ac gremium, tanquam in portum atque azylum quoddam tutissimum, receperunt. Norunt praeclari artifices, Pictores, Statuarii, Musici, & quicunque utilem aliquam Reip. operam profitentur; quorum Tu hominum artes, ut foves atque adjuvas singulas, ita intelligis optime universas. Sed prae caeteris longe omnibus bonam Tuam erga se voluntatem ac beneficentiam experiuntur, qui aut suo se Tibi ingenio, aut sua sese eruditione commendant. Testis est omnis Germania, nostra testis est Belgica, & quicunque in aliis alibi regionibus degunt doctrinae atque industriae laude eximii ac praeclari viri, dictorum meorum fidem plus semel experti, multisque Tibi nominibus, & singularibus Tuis erga se meritis, obstricti atque devincti.

vincti. Non vereor, ne arrogantiae crimen incurram, si istis & me accenseam, in eorumque me numero collocem, quos Tuis Tibi beneficiis obligasti quàm plurimis; cum & absentem complexus sis absens, & praesentem praesens; Tuaeque mihi benevolentiae certa atque indubitata & ipse dederis, & exhiberi per alios jusseris documenta. Tui quippe pignus est animi, Tuae voluntatis atque operae, quod Serenissimi ac Potentissimi, & virorum Apollinarium amantissimi liberalitatem ac munificentiam Principis iteratis jam vicibus sum expertus, quam cum splendore nominis sui longe lateque disseminat, & in omnes terrarum oras spargit atque diffundit. Tu meas Illi Musas commendasti; Tu ad Eum me ipse duxisti, & Augustissimi mihi Principis vultum propius intuendum ac contemplandum dedisti. Quem ego honorem, Vir illustrissime, insignem atque eximium, uti satis aestimare non possum, ita Tuum in me favorem, & candorem illum animi singularem, qui in vultu se

depingebat, & amicis adeo verbis ac familiaribus prorumpebat, ſatis nequeo praedicare. Nam uti apud Reges & Principes inpoſitam ſibi perſonam digne ac convenienter ſuſtinere poſſe, ita ex altiore iſta fortuna deſcendere, & ad privatorum hominum ſortem ſe interdum ſubmittere, magni omnino animi, & Heroicae plane indolis ſignum eſt. Aeſtimet quiſque ut volet, ego hanc virtutem, quam ingenuitatem nos Batavi, ſimplicitatem alii vocant, virtutem eſſe maximam puto. Quamobrem, cum & pace & bello, & domi & foris; in conſiliis ac deliberationibus, & in negotiis ad Rempublicam pertinentibus, cujus Tibi onus incumbit, prudenter ac ſapienter adminiſtrandis; in artibus ac diſciplinis, quae fulcra ſunt Reipublicae, fovendis ac protegendis, atque eruditorum hominum ſtudiis adjuvandis; admirabilem ubique Te praebeas; nec magis in Te oculos omnium, quam mentes Te intuentium venerantiumque convertas: cumque tam multis ac magnis virtuti-

bus

bus Tuis accensi, beneficiis Tuis devincti, quotquot ubique sunt gentium litterati, ad Te, ut ad communium studiorum Patronum, Fautorem, ad Maecenatem, ab omnibus passim oris confugiant: non indignaberis, spero, Vir nobilissime atque illustrissime, & in omni virtutum genere eminentissime, si & meos Tibi labores, & hasce Musarum delicias, consecrem, atque devoveam. Etenim qui omnes generatim artes amplectitur, à Musarum sacris, & amoenis illis ac dulcibus studiis, alienus esse non potest; cujus mihi rei sat manifestas jam aliquoties datas à Te memini significationes. Accipe itaque, Vir harum nostrarum, ut aliarum omnium, amantissime litterarum, quas complexus es hactenus Musas, & clementi ac benigno intuere vultu, quas favente saepius oculo respexisti. Tibi hoc meum consecratur opusculum; Tibi Vir maxime debitum, Tuo magnam partem impulsu hortatuque conscriptum. In quo, si nihil aliud, quod sperare vix audeo, illud certe non
 displi-

displiciturum, Tibi confido, quod Domus Brandeburgicae gloriam, & Electoris Serenissimi laudes virtutesque complectitur. Faxit Deus Optimus, Maximus, ut Maximi atque Optimi Principis rebus feliciter administrandis; ut civium Tuorum commodis procurandis; ut clarissimae Tuae Familiae, ac rei Litterariae universae, ornandae ac demerendae, salvus atque incolumis, annis pluribus superesse, & Natos olim ac Nepotes, per Tua decurrentes vestigia, honore ac dignitate conspicuos, videre quam plurimos possis. Vovet id omni animo, & ex interiore pectoris sensu,

Nobilissimo atque Illustrissimo

Nomini Tuo

devotissimus

PETRUS FRANCIUS,

LEC-

LECTORI.



Abes hic alteram Poëmatum meorum Editionem, Benigne ac Benevole Lector, & ipso charactere haud paullo meliorem, & novis haud parum accessibus locupletatam. Accedunt enim, praeter pauculas alias, suo loco insertas, Elegiarum liber Quartus; Odarum Libri duo; duo item Silvarum; & unus Epigrammatum; tum versuum insuper sylloge Graecanicorum. Quae è Graecis traduxeram, & priori Editioni adjunxeram, certas ob rationes visum fuit omittere, ne quid in hoc fasciculo appareret, quod meum dici non posset; quanquam & illud aliquo etiam sensu meum esset. Sed alias fortasse seorsim ista edentur, cum & complura ex Anthologia sum additurus, & brevibus illa notulis illustraturus, ut & vera lectio, & meae simul versionis liquere ratio possit. Nunc hoc Catone contentus esto, & bono ac benigno vultu, hoc est eo, quo priores istos, hosce meos ut excipias versus, rogo quaesoque. Qui si tales non erunt, quales eos esse oporteret, meliores certe iis fore confido, qui à multis hodie conscribuntur, & ab iis etiam, qui in hisce litteris nostris quendam sibi vindicant principatum. Qui profecto, si bonos facere versus non possent, à malis equidem abstinere conscribendis deberent, ne & sibi dedecori, & meliora edoctis

edoctis ridiculo essent. Adjeci duas, non sine aliorum exemplo, epistolas Celsissimi ac Reverendissimi Paderbornensis & Monasteriensis Episcopi, Ferdinandi, magno litterarum damno è vivis nuper erepti, ut, quid Princeps iste doctissimus, & horum, si quisquam, sacrorum intelligentissimus, de meis olim versibus senserit, suis qui vellet oculis usurparet. Potuissem & amicorum meorum, notae non infimae Poëtarum, encomiastica quaedam adjungere, ut ab aliis more non illaudabili factum, sed iis supersedere consultius judicavi, cum hujus unius judicium instar esse omnium debeat. Odae quaedam longiusculae sunt, sed eae fere omnes recitatae sunt publice, quo à Te nomine facilem, ut puto, veniam impetrabunt. Carmen Joh. Fred. Gronovii Manibus olim à me juvene dedicatum, & in priore Editione, quòd commodum satis locum non inveniret, omissum, huic inserere libuit, ne ingratus erga Magistrum extitisse discipulus videar. Vale, amice Lector, & haec, qualiacunque sint tandem, amare porro ac fovere perge. Dabam Amstelaedami, è Musaeo nostro, Prid. Kalend. Decembr. CIↃ IↃ C XCVI.

FERDINANDUS
Episcopus ac Princeps
Paderbornensis & Monasteriensis

Erudito Viro

PETRO FRANCIO

Professori Amstelodamensi

S. P. D.

QUod nomen meum non solum amico studio prosequi, sed & diserto Carmine ornare volueris, tibi maximas habeo gratias. Utrumque mihi jucundum est, cum & animum tuum noverim, & ingenium plurimi faciam. Quare delectatus sum facili & venusto stylo, quo me pingis, licet in illa imagine vix agnosci queat Ferdinandus. Nam in laudibus tuis plus amicitiæ tribuis, quam veritati; forte ratus legem Poëmatum male adimpleri, nisi illis aliquid fabulosi inseratur. Placent tamen & fabulæ mihi decoræ, pulchræque fictiones, quibus blande admoneor, ut talis esse studeam, qualis in ipsis ostendor. Cæterum, dum anteactæ vitæ felicia tempora à te tam facunde memorata recolo,

lo, ea conqueror tam cito effluxisse, cum tristiora successerint, si Regiminis curas, & adversæ valetudinis incommoda respiciam, quibus impedior, ne fruar, ut ante solebam, litterarum deliciis, & amœnis Musarum secessibus, otioque laudabili, privatis hominibus ab ipsis Principibus invidendo. Hoc diu fruere, vir doctissime, inimicoque oblivionis ac desidiæ Genio feliciter indulge; meque credas vigilias tuas & præclara benevolentiæ monumenta digno semper loco & pretio habiturum. Neuhusii ex arce Residentiæ nostræ, Id. Novemb. CIↃ IↃ C LXXX.

P. S.

Ne gratiæ meæ, quas de nobili & luculento Poëmate per has litteras tibi ago, vir clarissime, sint & habeantur steriles, insigni aliquo dono amorem erga me tuum brevi remunerabor. Tu interim benevolentiam mihi tuam conserva, & persuasissimum habeto, munus tuum litterarium longe mihi fuisse gratissimum. Vale iterum, meque, ut facis, ama.

FERDINANDUS.

FER-

FERDINANDUS

Epiſcopus ac Princeps

Paderbornenſis & Monaſterienſis

Viro Clariſſimo

PETRO FRANCIO

Profeſſ. Amſtelod.

S. P. D.

ACcepi munera tua, quibus nihil jucundius aut pulchrius mitti ad me poterat. Habeo propterea gratias etiam Muſis, quod tibi non ſolum ſublimem iſtam mentem, animumque priſcis vatibus non diſſimilem, ſed etiam aliquem mei amorem inſpiraverint, & felicium carminum uberem copiam miniſtraverint, quibus otium meum oblectare, nomenque commendare poſſes poſteritati. Cum non minus inde gloriæ quam voluptatis percipiam, tu facile conjicere potes, quanti te tuaque facere debeam. Credas interim velim, me dona iſta inter chariora ſemper habiturum, nec nudis tantum verbis, & arida laude, officiis & amicitiæ tuæ reſponſurum. Vale, meque amare perge. Ex arce Neuhuſiana, Kal. Octob. CIƆ IƆC LXXXII.

Con-

Continentur hoc Libello;



HERO-

HEROICA.

HEROICORUM
LIBER PRIMUS.

INVICTO HEROI

MICHAELI ADRIANO RUTERO,
Hollandiæ ac Westfrisiæ Imperatori
Maritimo,

EPICEDION.

Dictum in Choro Templi Novi A. D. XIV. *Kal.*
Apr. CIↃ IↃC LXXVII.

QUæ mentem visu insolito percellit imago?
Quo se cunque oculi obvertunt, crebri undique planctus,
Undique circumstant mixto suspiria fletu
Volventum inclusos gemitus, luctumque prementum.
Tristis ubique virûm facies; color omnibus idem:
Lumina cuncta madent. simul ipsa silentia templi
Horrorem sacrum incutiunt; & pondera vocis
Mutus habet paries. pendet dolor ater ab illo;
Mœstaque ferales assumunt pulpita vestes.
Agnosco vulnus Patriæ, monumentaque luctûs
Plurima. Lugentes Ruteri in funere Patres,
Lugentem cerno populum, vultuque silente
Atrata consanguineos in veste sedentes,
Ipsaque busta Viri, positumque ante ora feretrum.
Scilicet hæc miseris deerat fortuna Batavis,
Ut, post tot pelagi, tot belli exhausta pericla,
Ille salus patriæ, rerum spes ille labantum,

Hactenus invictus, fato concederet heros,
Cunctorum cumulus damnorum. O triſtia fata!
O cæcas hominum ſortes; & inania vota!
Illane perpetuo clauduntur lumina ſomno?
Membra tremunt, riguere comæ, totoſque per artus
Irrepens pavor interiora perambulat oſſa.
Adſtrictuſque coït circum præcordia ſanguis.
Ergone mœrori æternùm, lacrymiſque vacabit,
Ex quo hic ſacratus Muſis locus: & nova ſemper
Cogimur in lamenta? Omnis vixdum aruit humor,
Quo nuper clari perfuſa eſt Conſulis urna; (las
Jamque iterum in luctus trahimur; rurſumque quere-
Poſcimur, & plenos lacrymarum effundere rivos,
Magnanimi ducis in tumulo. neque enim inclutus
Sub nigras non laudatus deſcendet arenas. (heros
Et cineri conſtabit honos: ſequimurque volentes
Quæ nobis olim Marathon exempla reliquit.
En ego, qui reduci lauros & ſerta parabam,
Juſta paro, gemitus ac lamentabile carmen.
Quid primum, quid deinde canam? Stat patria longè
Litora deſerere, ac toto dare vela profundo,
Factaque, virtutemque Viri cognoſcere coram,
Et letum, letique locum. Tu ſingula pande
Ordine, Calliopea: modos tu ſuggere vati,
Et par ingenium tanto vocemque dolori.
Ingens Ionio ac Tuſco jacet inſula ponto,
Auſoniam Libyamque inter; dixere Pelaſgi
Trinacriam, trinis ſcopulis quoniam exit in æquor,
Heſperia poſtquam avolſam mare dividit altum:
Cyclopum domus, & Cereri gratiſſima tellus.
Multi illam quondam populi certamine magno,
Multi hodie petiere. alios petit acrior ante
Hiſpanus Gallusque, & ſpes affectat eaſdem.
Eſt locus hîc, (Zanclen appellavere priores,
Meſſa-

Messanam nunc indigenæ cognomine dicunt)
Inclita navigiis statio, quo sæpe recumbit
Margine, cum pacem meditatur & otia Nereus,
Italiæ opposita extremæ, Rheginaque contra
Mœnia. porrectas ad litora proximus umbras
Extendit, totoque incumbit monte Pelorus.
Parte alia, latere à dextro, inplacata Charybdis
Æstuat, atque imo puppes detrudit Averno.
Urbem illam injusta Gallus ditione premebat,
Frendente Hispano atque experto plurima frustra.
Huc lectam auxilio pubem mittebat Iberus,
Belgaque, communem Siculis quæ finibus hostem
Pelleret, atque suis Hispanum inponeret arvis.
It classis pelago, & portus pertingit amicos.
Dux illis Ruterus erat, pulcherrimus armis,
Consilioque, manuque, & rerum cognitus usu.
Ut portum tenuere rates, ille impiger hostem
Æquore vestigat toto, funemque morasque
Amputat. adductis canent vada cærula remis.
Hesperium juxta litus, litusque Sicanum,
Insulæ in Etrusco visuntur gurgite septem,
Æmula volventes Siculis incendia flammis:
Quarum Hiere, Lipareque, & pervia Strongylos au-
Altius è pelago tollunt caput. Æolon illic, (stris
Mulciberumque habitare ferunt. hos quippe caminos
Prætulit, &, veteri dudum fornace relicta,
Posthabita nunc saxa colit Thermessia Lemno.
Exercent multo ferrum sudore Pyracmon,
Et Steropes, nudusque immania brachia Brontes.
Fit sonitus. flammam procul est audire gementem,
Æraque tincta lacu; tempestatumque querelas,
Atque indignantes circum claustra ardua ventos.
Hac primâ belli rabies desævit arenâ.
Namque ut quæsitus nequicquam apparuit hostis

Ardentes ducis ante oculos, fortissimus heros
Dat summa signum è specula, sese acriter omnes
Instanti armarent pugnæ, legeretque virum vir,
Ordine quisque suo. cuncti data jussa facessunt.
Convexo interea devergens æthere Titan
Radebat spatium extremum declivis Olympi,
Languebatque dies; quando in sua transtra frequentes
Convocat, & puppi ductor sic fatur ab alta.
En hostes, en, quam votis speravimus, hora
Advenit, optatæque datur jam copia pugnæ;
Este viri, moneo, pulchrumque accendite Martem,
O mecum sæpe experti graviora pericla.
Vos geminum nuper populum, regumque duorum
Sceptra infregistis validi, geminoque cruore
Vestra Caledonias rubefecit dextera cautes.
Tyrrhenis idem vobis superandus in undis
Gallus adest. Vires jam nunc ostendite easdem
Illum eadem, haud mutata loco, fortuna manebit.
Nec vos commoveant plures alnique virique.
Si numero, nec mole pares: at viribus æqui,
Æqui animis sumus. his paribus contra ibimus armis.
Vespere sperabam hoc equidem committere pugnam:
Magno aliter visum cœlo: certamina quippe
Distulit in lucem lux intercisa sequentem.
Ergo operi se quisque aptet, cum prima rubebit,
Lucifero fugiente, dies. nisi decipit omen,
Crastina magnum aliquid nobis aurora parabit.
Per lauros ego vos istas, & præmia belli;
Per, quem communi patriæ debemus, amorem,
Juratamque fidem; per dilectos Hymenæos,
Desertamque domum, & parvos circum ubera natos;
Per, quæ forsan ab hoc pendet certamine, pacem,
Hactenus optatam frustra, frustraque petitam:
Ite, mei comites, ferroque urgete morantem.

Ite alacres: favet ipse Deus melioribus armis.
Ite, viri: palmamque simul, pacemque referte.
Dixerat. Imperiis olli parere parati (mant.
Dant dextram, accipiuntque, alternaque pignora fir-
Talia dum peragunt, rebus nox atra colorem
Abstulerat, terrasque suis involverat alis.
Procumbunt lassi per sparsa cubilia nautæ.
At dux, sollicitam noctem per plurima volvens,
Pernicem emittit velo remoque triremem,
Quæ Gallos observaret, quæ signa sonoro
Ære daret. tum membra toro paullum ipse reponit,
Admittitque levem, nec toto lumine, somnum.
Postera jamque dies tenebras & cæca fugarat
Nubila, scandebatque rotis supera ardua Phœbus:
Labuntur Tusco vicinæ in gurgite classes.
Vela movent: dant signa tubæ: simul hoc, simul ingens
Exoritur gemitusque virûm, gemitusque rudentum.
Æra tonant explosa, & multo fulminis igne
Finitimos terrent populos: mugitibus æther
Personat, & piceus subtexit sidera fumus.
Credideris subito Æolias existere plures,
Atque novos totidem ructare incendia montes.
Horruit Ignipotens; subterque immane barathrum
Deserta trepidi fugiunt incude Cyclopes.
Scyllæi fremuere canes; vicinaque latè
Ausonis intremuit: tremuerunt omnia circum
Litora Trinacriæ; quassataque turbine tanto
Erexere salo triplices capita ardua rupes.
Sustulit ora Gigas, & pressos monte lacertos,
Ingentesque globos flammarum, saxaque volvit
Grandia. speluncis irata immugiit imis,
Et doluit flammis vinci majoribus Ætne.
Sic illi inter se magno molimine miscent
Prælia. Pugnantum ferale Sicania murmur

Ut ſenſit, pavidos convertit ad æquora vultus;
Et ſecum: Inferna rediitne ab ſede Gylippus,
Iönioque ſalis dominas ſale frangit Athenas?
Anne Syracoſiam victor Marcellus ad urbem
Enſe furit? num Pompejum fugat acribus armis
Auguſti gener? an veterem Pœnique Quiriteſque
Iram acuunt, renovantque iſtæ bella aſpera gentes?
Concutit Ægatas Catulus; rurſumque cruentat
Sanguine Sidonio Liparæa Duillius antra.
Apparent fœdi gemitus, totoque natantes
Gurgite: pulvereæ nubes, piceæque procellæ
Subducunt proſpectum oculis. Rupitne catenas
Enceladus, vulſamque ſuis radicibus Ætnam
Tranſtulit in pelagus? Tuſcas an concitat undas
Hippotades; rabidoſque effundit carcere fratres,
Atque iterum Ænean Latia divellit ab ora?
Qui motus animorum? aut quod certamen in undis?
Hæc ait, accedens propius, cum turbidus atra
Paullatim evolvi cœpit caligine pontus.
Agnovit Batavûmque ducem, Batavûmque carinas.
Ite, refert, animæ egregiæ; tuque, optime ductor
Belgarum, tutela meis certiſſima rebus;
I, noſtrum decus, hoſtiles & funde catervas.
Continuo accendit Batavorum pectora virtus
Acrior, & major belli crudeſcit imago;
Devexo donec veſper delapſus Olympo,
Metaque pugnæ eadem facta eſt, eademque diei.
Diffugiunt trepidi multa formidine Galli,
Ac leto ſeſe eripiunt, caliginis atræ
Obſequio. nox palantes agit æquore toto.
At Batavi, dono ſtellarum & munere cœli,
Claſſem inſtaurabant laceram, ratibuſque refectis
In nova victores ardebant prælia læti,
Mane novo; magniſque animis ac viribus ibant.

Hoſtem

Hostem in conspectu nullum. deserta relinquunt
Tum maria, & pansis repetunt navalia velis.
Hic, longos circumflectens per litora cursus,
Radit iter vastum exterior, sperataque tandem
Ostia diffractis intrat Messenia remis.
 Et jam finis erat certaminis æquore toto,
At non & belli. retinet mora nulla furentes.
Vixdum etenim ter Luna suum compleverat orbem,
Ecce alias iterum in cædes, atque altera bella
Ira vocat; rursumque sedet decernere ferro.
 Bis geminis quondam concreta ex urbibus ingens
Urbs jacet, Ionii frangens insana profundi
Murmura; quam quondam radio clarissimus ille
Spectator mundi, & fulvæ scrutator arenæ
Incoluit, variaque illustrem reddidit arte:
Prisca Tyrannorum sedes. Hac parte secundum
Detonuit belli fulmen, pelagoque fremente
Implevit loca terrifico vicina fragore.
 Surgebat jam Aurora toro,necdum impiger Æthon
Hinnitu primo montes adflabat Eoos,
Cum procul hostiles visæ se attollere puppes
Gurgite cæruleo, summumque ostendere malum.
Jamque, die medio, classes conjuncta propinquæ
Æquora findebant remis, pelagusque secabant.
Strata erat unda sali, &, bellum spirantibus illis,
Lene quiescebat marmor, pacemque fovebat,
Summaque pacati stringebant cærula venti.
Mox leni cœpit motu turgescere fluctus,
Carbasaque intendi Zephyris, ac mollibus auris.
Descendunt Batavi ventoque æstuque secundo.
Primus init pugnam Michaël, ducitque volentes,
Exemploque præit: sequitur quem cætera pubes,
Hispanique duces, postremumque Hanius agmen.
Uno omnes simul ore fremunt, alacrique capessunt

Jussa animo, monitisque ducis parere laborant.
Conseruere rates, & fœta tonitribus æra
Mille vomunt cædes. Adversa exhorruit Ætne,
Ardentesque iterum suspiravere cavernæ.
Vix horæ partem mediam conamine magno
Certarant, quando subitum ac miserabile visu
Exoritur monstrum. Nam Mors nigrantibus alis
Per Batavûm naves huc fœda volabat & illuc
Rectori letum intentans, artesque dolosque
Jam plures meditata, virum investigat: at ille
Hostibus immersus, puppi dum pugnat ab alta,
(Eloquor, an sileo?) crudeli percitus ictu,
(Prô scelus, & duri nimia inclementia ferri!)
Perdidit alterius digitos pedis, ac resupinus
Concidit in summum, diffracto poplite, transtrum,
Primaque non læsum violarunt vulnera corpus.
Ac veluti ille Phrygum terror, quem mater in amne
Tinxerat, ac Stygia infantem duraverat unda,
Inbellem lævo Paridem pede sensit Achilles,
Quaque mori potuit, telum fatale recepit:
Haud aliud nostri letum ducis. Horruit atrox
Erubuitque nefas suffusus sanguine pontus.
Prolapsum excipiunt famuli, lectoque reponunt.
At nautas, ut ductorem de puppe cadentem,
Dejectique vident visum nunquam ante cruorem;
Acrior inflammat virtus. Errare videres
Omnium in ore minas: oculis micat omnibus ira;
Intimaque ultrices stimulant præcordia flammæ.
Qualiter, inprovisa senem cum forte leonem
Venantum sternunt venabula, protinus omnes
Prosiliunt irritati de rupe minores,
Attolluntque jubam, & collecto robore toto
Agmina perrumpunt instantia, telaque frangunt,
Et debellatum mandunt sub dentibus hostem:

Aut quales multa confectum cæde parentem
Circumstant alacres gnati, invalidumque tuentur;
Olli indignantes, odioque immanè furentes
Hostilem invadunt aciem, & cedentia pellunt
Castra loco; validam dolor atque amor excitat iram;
Talis pro læso miles duce quisque ruebat.
Ingeminant ictum, & denso globus ingruit imbre
Ferreus. horrendo Sicanum murmure litus
Concutitur. reboant montes, & maximus æther.
Nec minus heröi invicto fiducia cessit,
Qui, quanquam infirmo caderent in corpore vires,
Consilio pugnat tamen, & mente arripit arma,
Singula disponens. Numero tum seligit omni
Præstantem virtute virum, ac prudentibus ausis,
Cui belli summam, & rerum committat habenas.
In medium sese fert Callenburgius agmen,
Classis & Hollandæ regimen capit. Ocyus omnes
Erigit exemplo socios, acceptaque cautè
Vulnera dissimulat, fallens hostemque suosque.
Nunquam alias fulsit victoria pulchrior, & si
Idem animus cunctis, & mens unita fuisset,
Omnem inimicam equidem mersisset gurgite classem
Iste dies. Cedit tamen illa, fugamque capessit.
Obvertunt retro puppes, & mœnia Zancles
Tuta petunt. Instant Batavi, pelluntque, premuntque.
Accipiter veluti victor medio aëre visam
Insequitur prædam, & magno clangore per auras
Exagitat volucrum timidarum ad litora nubem,
Et nunc has, & nunc curvis eviscerat illas
Unguibus: evulsæ volitant per inania plumæ:
Sic classem hostilem Batavus cæditque fugatque
Fluctibus Iöniis. Purâ caput extulit æthrâ,
Victorique sua præluxit lampade Phœbe.
Noctem illam errabat dubiis vaga classis in undis.

Postera

Poſtera Plemmyrium petiit lux, Ortygiamque,
Inque Syracoſios deduxit lintea portus.
Extemplo tota quicquid fuit urbe medentum,
Quicquid opis, quantum ars valuit promittere curæ,
Sanando ductori adhibent, minuuntque dolorem.
Nequicquam. nihil herbæ etenim fomentaque poſ-
Exſuperatque mali vis, & Mors limina pulſat. (ſunt,
Huic omnem ſeſe componens, corpore mentem
Exuit, & terram & terrena negotia linquit
Cuncta ſimul, meditans totus cœlumque Deumque.
Interea ſummo Rex ætheris altus Olympo
Deſpicit, & Siculis defigit lumina terris,
Aligerumque vocat, quo non velocior alter
Imperium Patris exſequitur, divinaque verba.
Juſſus adeſt. tum ſic ſolio Deus infit ab alto.
Prompte vigil, pars militiæ pulcherrima ſanctæ,
Care mihi Michaël; ſcis, ut mortalibus ægris
Stet ſua fixa dies, & inexorabile penſum.
Hic omnes, hic Ruterum nunc poſtulat ordo.
Heröem noſti, invictum, dum fata ſinebant;
Par nomen tibi: ſæpe meis victricia geſſit
Signa ſub auſpiciis, & te duce prælia movit.
Illum ego per pelagi inſanas bellique procellas
Eripui, medioque ardentem ex hoſte recepi.
Ille meum ivit iter, puroſque à ſanguine greſſus
In mea templa tulit; gratumque adolevit honorem:
Auctoremque ſuum agnoſcens, nil fortibus auſis,
Nil dextræ dedit, ac ſeſe mihi debuit uni.
Dum licuit, caræ patriæ cum ſanguine vitam
Impendit, ſolo patriæ inflammatus amore.
Nunc trahit ægram animam, validoque in corpore
Deficiunt vires. letali vulnere lapſus (primæ
Conceſſi metam extremam pervenit ad ævi,
Debeturque meo jam tempeſtivus Olympo.
Quare

Quare age, & in terram subitis delabere pennis,
Ac tantam stellis virtutem affinibus infer.
Dixerat. assensit læto pia regia vultu.
Induit ille leves humerisque accommodat alas,
Cœlicolum cœtu in medio, magnique Parentis
Paret mandato, ac Siculis celer advolat oris:
Afflictumque ducem, multaque in morte natantem,
Invenit, ac tales fundentem pectore questus.
Magne Deus, nam te miseret commissa fatentum,
Respice me: pennis etenim adventare citatis
Fatalemque diem supremaque tempora cerno.
Nosco horam, cedoque lubens: neque deprecor ore,
Quam sæpe intrepido contempsi pectore, mortem.
Unum oro, tua sic quoniam stat certa voluntas,
Per cari meritum Gnati, purumque cruorem,
Quem moriens olim pro mundi crimine fudit,
Si colui tua sacra, Pater, sanctéque peregi
Jussa, nec innocuâ rubuit mea dextera cæde,
Iste mihi prosit cruor, & labem abluat omnem.
Civibus ac patriæ, valui dum vincere vici.
Quod restat, mihi certandum est. Fac prælia vincam
Ultima, quamque mihi toties portare dedisti
Hac, precor, extremam concede ex hoste coronam.
Adsis ô tantum, ac certi da signa favoris.
Vix hæc ediderat, cœlo cum nuntius alto
Missus adest, totamque ratem sacro igne coruscat.
Ergo ubi cœlestem flammam, multaque beatum
Luce refulgentem juvenem, adstantemque cubili
Conspexit, rursum invalidus sic incipit heros.
Accipio agnoscoque Deum; video ora micantia,
Alasque, flavamque comam: salve, ætheris alti
Incola, divini monumentum ac pignus amoris.
Nunc ego nunc lætus morior, vitamque resigno.
Tu modo rumpe moras; meque hoc, age, corpore solve;
Jamque

Jamque veni, Pater alme, veni: te mens mea ſolum,
Adventumque tuum deſiderat. excipe, quæſo,
Excipe ſingultantem animam, & tua limina pande.
Dixit: & in verbis animam ſimul exhalavit.
Hic ſurſum volat; & paribus ſecat aëra remis.
Fert Michaël cœlo Michaëlem, &, quo ſibi dudum
Ipſe viam fecit, fulgentibus inſerit aſtris.
Tum verò horrendo complentur cuncta tumultu,
Et variis incenduntur mœroribus ædes.
Perſonat urbe dolor. Jam Sol reſtinxerat undis
Lampada finitimis, & deplorabile funus
Heſperus è ſumma ſpectabat pallidus Oeta.
Nigreſcunt tenebræ, atque omnem nox implicat atrâ
Veſte polum, & totus ſumit lugubria mundus.
Luna fugit: nullum nubes intermicat aurum;
Teſtanturque ſuos morientia ſidera luctus.
Creſcit continuo mœror, cunctæque pererrat
Oppida Trinacriæ. lugent tellusque ſalumque.
Sicanii lugete lacus, vosque undique celſis
Flumina præcipitata jugis, decurrite paſſim
Montibus, ac toto luctum diffundite ponto.
Audivere: ruunt fuſi de montibus amnes.
Flet Cyane, flet vicino ſub gurgite Anapus,
Dilectasque undis undas, fletusque maritant
Fletibus, & junctos volvunt in cærula rores.
Stat paſſis Arethuſa comis, fontemque nitentem
Ipſa ſuis lacrymis & flumine turbat amaro.
Adgemit Alphæus, pariterque amplexus amatas
Mœret aquas: mœret patrio Galatea profundo.
Disjicit Hybla favos, & nullo melle Sicanas
Paſcit aves: pictis ſpoliatur floribus Enna.
Ipſa negat ſolitam terrâ producere meſſem,
Langueſcitque Ceres, & fractis luget ariſtis.
Dat gemitum fundo ex imo circumflua Doris,
Diver-

Diversoque ferit fluctu, planctuque fatigat
Litora Sicaniæ. Libyco dolor iste profundo,
It toto dolor Iönio: vicinaque damno
Illacrymat Melite; qua non solertior armis
Altera Bistoniæ confringere cornua lunæ.
Murmurat Ægæum, sparsasque ferocius ambit
Cycladas, & luctum vicinis nuntiat undis.
Lugent cæruleo moestæ sub gurgite Nymphæ,
Atque suum lacrymosa Thetis deplorat Achillem.
Parte alia Supero gemitum ciet Hadria ponto,
Labentesque utrimque amnes, Venetasque sorores
Ad lamenta vocat. Duplicis confinia terræ
Sicanum pelagus majore interluit æstu.
Tyrrhenus toto confusus gurgite pontus
Ingemit, undarumque globos ad litora volvit,
Rauca sonans. gemitu Italiæ latus omne remugit.
Diditur exinde ulterius, variasque per urbes
Fama volat, niveas conspersa cruoribus alas.
Quaque movet, tunsis plangit sua pectora pennis,
Territat & populos, subjectos territat agros,
Ac moestis omnem Europam sermonibus implet.
Intremuere Alpes, & culmina Pyrenea,
Horridaque Hercyniæ movere cacumina silvæ.
Ut vero Batavas feralis nuntia terras
Contigit, ingenti sonuerunt omnia planctu.
Obstupuit Patria infelix, & muta dolore
Conticuit, multosque dies immobilis hæsit.
Nec lacrymas habuere genæ, nec verba palatum.
Postquam se invenit luctus, paullumque removit
Nubem animo, damni illa modum cognoscere tanti
Incipit, & flendos æternum evolvere manes:
Quaque via exanimum heroëm regione remota
Acciperet, gremioque suo componeret ossa:
Tellure ut saltem in patria post fata quiescat.

Talis

Talia dum Batavi trifti fermone volutant
Ilicet adventat patriis Almondus ab oris,
Ille triumphata nuper fpectabilis Arcto
Armiger, & rerum Sicularum frena capeffit.
Mox validam exornat navem, magnumque cadaver
Inponit. Moto fertur cita marmore pinus,
Trinacrioque volat pelago. Comitantur euntem,
Inpelluntque imo furgentes gurgite Nymphæ,
Et lateri circum advolitant. Tum exercitus omnis
Tritonum longâ verrit vada cærula caudâ,
Intenditque tubas. Gemitu cava buccina rauco
Exequiale canit Tyrrhena per æquora carmen.
Pulfati refonant colles, & litus utrumque.
Et jam Sardoas à læva fugerat arces
Pinus, & infignem fundarum verbere terram,
Ac Tarteffiacas curfu devolvitur oras.
Ipfe viam pandit Nereus; clarumque cadaver
Anguftæ venerantur aquæ: contraria cedunt
Litora, tranfmittuntque ducem majoribus undis;
Arduaque Herculeæ fubmittunt culmina metæ.
Tum vero novus attonitas dolor excitat urbes,
Cunctaque dat gemitus Hifpania. Plorat Iberus,
Plorat Anas, plorat turbato flumine Bætis,
Quique illum toto redimat Tagus impiger auro.
Aëria flet Pyrene, flendoque foluta
Deformes abit in lacrymas, & vertice ab alto
Grandibus æquoreas guttis defcendit in undas.
Ut falis interni fauces evaferat arctas,
Oceanoque mari campoque volabat aperto
Puppis, & Hefperias à tergo liquerat oras;
Apparent Gallorum urbes. Sinus ecce recedit
Longius, & patrio trepidant in litore nautæ.
Diffugiunt amnes, & vix audentia labi
Flumina; confuetumque timent intrare profundum.

Jamque ratis Morini radebat litoris oram,
Intrabatque fretum. Geminæ perterrita rupes
Concutiunt capita, & contracto vertice nutant.
Arva tremunt Rutupina: tremunt fluviique lacusque;
Et Tamesis refluis in fontem vertitur undis.
Assurgit maris ira, indignanturque procellæ
Tutelam cecidisse suam, defensaque plorant
Æquora, provolvuntque suos ad litora luctus.
Pleumosiæ mœrent urbes, & maxima Scaldis
Ripa gemit. Flissinga suum deplorat alumnum,
Totaque Mattiaco tellus circumflua ponto.
It Vahalis lacrymans, it juncto flumine Mosa,
Communesque cient gemitus, augentque profundum
Fletibus. obstructo torpescit gutture Rhenus.
Scandit arenosos perculsa Batavia colles,
Observatque videtque ratem. Subit illa patentem
Texeliæ stationem, Australisque æquoris undas.
Obstupuere undæ, luctuque, ut frigore, Nereus
Gurgite diriguit toto, cursumque negavit.
Pandit Mosa sinum, Batavæque per oppida terræ
Flumina dant aditum. glaciem clementior aura
Diluit, Amsteliisque Virum navalibus infert.
Ingemuit simul Ya, simul gemuere sorores
Amstelides. cunctas resonant lamenta per urbes.
Utque, recens vulnus vinclis si forte solutis,
Cum nondum cöiit, rescinditur, acrius inde
Asperiusque malum est: gelidis cruor artubus exit;
Fluminis in motem, & venis prorumpit apertis:
Haud aliter, ducis appulsu, se protenus omnem
Egerit obductus paullum dolor, ac sua frangit
Vincula. Relliquias infelix Patria tristes
Luminibus lustrat tacitis, luctuque recente
Liquitur, & totos lacrymarum exæstuat amnes;
Atque hos deinde suo promit de pectore questus.

Ergone vera fuit, quæ te mihi nuntia Fama
Rettulit exſtinctum, Michaël, ferroque peremptum?
Hunc ego te adſpicio redeuntem? Ubinam ora, ubinam
Fulmina ſpirantes oculi, laſſataque nullo (illi
Marte manus? Tune illa meæ tutela ſalutis,
Ille mei vindex maris unicus? Hoc mihi de te,
Hoc de te, miſerande, refers? Non talia certè
Litore de patrio nobis promiſſa dediſti
Diſcedens; nec nos caſum ſperavimus iſtum.
Sed fore, ut, exuviis ſpoliisque inſignis opimis,
Salvus, & ad caros olim veherere penates
Integer. Hi reditus, exoptatique triumphi?
Atque utinam miſero ſaltem, ſi fata ferebant
Ut caderes, cadere in patria tellure dediſſent.
Nunc terra procul à Batava, natisque, domoque,
Et caris conſanguineis, & conjuge cara,
Hoſpes in externa, nuduſque occumbis arena.
Non licuit tibi mî officium præſtare ſupremum:
Non, ægro adſediſſe toro; non, claudere amica
Dextra oculos, lacrymisque rigare calentibus ora,
Et non ignotis animam excepiſſe labellis.
Tecta forent melius gremio tua viſcera noſtro.
At bene, quod non & cineres ea ſervat & oſſa,
Tranſcribenda mihi, & patrio condenda ſepulcro.
Has ſanctas pro te exuvias, hoc nobile pignus
Materna amplectar pietate, ſinuque recondam,
Præſtaboque tibi, quem tu mihi ſemper, amorem.
Quin & de ſolido candentem marmore molem
Conſtituam templi in medio, maneſque beatos
Solemni ſacrum ad tumulum venerabor honore,
Oſtendamque tuam populis venientibus urnam.
Sic ego te leto eripiam. nec ſera vetuſtas
Eradet tua facta animo, tua munera, noſtro.
Sunt etenim ſervata tuum mea mœnia munus.

Quod

Quod vivo, valeoque, tuum est: quod sidera cerno
Libera, nec servas exhalem naribus auras.
Ipsum illud, te flere, tuum est; tu, posse, dedisti.
Vicinóne igitur pelago, patriisque procellis
Hactenus illæso pugnasti corpore victor,
Finibus ut longe Siculis, & tempore tali,
Oppeteres? Nondum belli desæviit imber:
Perstat hiems. Quid sollicitam, Palinure, carinam
Æquore destituis medio; clavumque relinquis
Fluctibus in nimium fallacibus? Hei mihi! quantùm
Præsidium, Hesperia, & quantum tu, Belgica, perdis!
Dixerat: & jam justa infelicesque parantur
Exequiæ. Passim dolor & commune per urbem
Justitium; rerumque horrenda apparet imago.
Vela legunt: demunt hilares de puppe coronas;
Nullaque de summis volitant aplustria malis.
Effertur. Solito ducit longam ordine pompam
Miles, & inversis tellurem verberat hastis.
Mœroris fert quisque notas. nigra tympana lugent;
Feralesque sonos edit tuba. plurima deinde
Turba ducum; quæ supremo comes adsit honori,
Dilectosque fleat manes. pars bellica gestat
Signa manu, pars bina manu calcaria gestat,
Ensemque, galeamque, & duro ex ære rigentem
Loricam, & variata modis Insignia multis:
Pars caro adglomerat lateri, capulumque coronat.
It positis quadrupes phaleris; lacrymisque profusis,
Atrataque suum testatur veste dolorem.
Ponè subit cataphractus eques. ferale cadaver
Auriacus sequitur Princeps, ductorque Batavi
Nominis in magno procedit Constantino.
Tum gemini marium Rectores, margine lato
Quos Mosa, atque suis ingens habet Amstela ripis;
Tunc clarus bello juvenis, ducis inclita proles;

Et consanguinei reliqui; latéque potentes
Patresque, Proceresque, & magni membra senatus
Ponè sequuntur: & innumeri denso agmine cives.
Spectandi studio excitum ruit undique vulgus.
Ut busti tetigere locum, templique recessus
Lustravere Novi: fugit ô fugit omnis amaro
Admonitu vox, & pariter consîdit in ipso
Mens tumulo. Video ecce locum, video ecce sepul-
Calcanturque meis pedibus contermina saxa. (crum,
Adspicite innixum geminis Insigne columnis;
Armaque, gestamenque ducis, mœstumque feretrum,
Compositum ante oculos feretrum: situs ipse dolorem
Provocat, injussæque cadunt in marmora guttæ.
Quare agite ô cari, præsenti in funere, cives,
Mecum una, lamenta forent ceu cætera nulla,
Luctibus indulgete novis. nunc fundite largas
Fundite nunc lacrymas; pro vobis ille cruorem
Fudit, & Iönios infecit sanguine fluctus.
Eheu! quanta solo virtus absconditur isto?
Ille maris domitor Michaël, maris incolà vasti,
Quem nullæ capiunt terræ; non æquora ponti
Ultima, & insani spatia illa immensa profundi:
Quam parva tellure jacet? Tumulatur eodem
Spes patriæ, votumque, loco. Lugete, Batavi:
Et lacrymas mundi lacrymis conjungite vestras.
Privati non sunt communi in vulnere questus,
Et, quò fama Viri, penetrat dolor. Ingemit ingens
Orbis, & in tanto suspirant funere gentes:
Omniaque heroëm toto sale litora plangunt.
Ille etenim è medio pelagi sale natus, & ipsis
Innutritus aquis, oras dispersit in omnes
Nomen, & à gemino suspendit cardine lauros.
Exactum cum namque ducem, cunctisque probatum
Corporis atque animi donis effingere vellet,
Hunc

Hunc finxit Natura Virum: perque omnia duxit:
Nil ut inexpertum, non tentatumque, juberet.
Corpus erat, mediæ quod possis dicere formæ,
Promptum, agile, ac duros natum tolerare labores:
Suffusus, vivusque color; jaculantia honorem
Lumina; frons multâ cum majestate serena;
In tergum dependentes à vertice cani;
Barba minax: vultu ut posses cognoscere Martem.
Da galeam capiti, Mavors erit: adjice clavam,
Adjecta stabit clava Tirynthius heros:
Assumpta stabit furca Rex æquoris alti.
A puero jamdudum illi ludusque jocusque
Æquor erat; cœlique imbres pluviasque notosque
Ridebat, nondum undecimas emensus aristas.
Haud alius melior tempestatesque futuras,
Nubilaque, & dubios mundi cognoscere mores,
Stellasque, tractusque sali: aut, latitantibus astris,
Subterlabentes præstabant sidera fluctus.
Ille per insanas hiemes, Boreamque nivalem,
Obstantes sulcavit aquas: ille ivit in Austrum;
Ivit in extremum Zephyrum, solemque cadentem
Audiit, emeritumque diem post terga reliquit.
Sed jam fata Viri meritis majora parabant.
Bella vocant. Animo generoso, animoque modesto,
Respuit oblatos, impar ceu pondus, honores;
Multa exoratus donec prece, subligat ensem,
Succeditque oneri, & classis moderatur habenas.
Latior extemplo peragundis area rebus,
Virtutique patet. Neu se illi æquarit honestis
Insidiis, validave manu certaverit alter.
In duce miles erat. nec dux solertior aptos
Pugnandi captare locos, æstumque, notumque,
Inque auram obliquare sinus, & fallere signis,
Bellandique modos varios, ac tempora nosse.

Prælia quis præſens vel vidit plura, vel ipſe
Conſeruit: totiesque domum victricia ductor
Signa tulit? Quis Marte ſuo, propriisque triumphis
Crevit in exemplum tam magnum aliisque ſibique?
Illius ad nomen terræ tremuere repoſtæ;
Illius ad nutum venti venere vocati:
Illius ad gladium terrarum diſſilit orbis.
Non, ſi ſint totidem ora mihi, quot in æquore fluctus,
Litore quam multæ Libyco extenduntur arenæ,
Non laudes, invicte, tuas, pugnataque bella,
Enarrare queam, Michaël. Sine, carpere flores,
Summaque tantarum faſtigia ſtringere rerum.
Te Tuſcæ victorem undæ, te gurgite vaſto
Iönium Ægæumque ſonant, porrectaque longè
Africa: te toto tremuerunt litore Mauri,
Infrænique procul Numidæ deſerta per arva
Adventu fugêre tuo: te maximus Atlas
Horruit, adductaque polum cervice remiſit.
Victa tibi ceſſit Tripolis: tua fulmina fractæ
Algerii ſenſere rates, ſenſere Tuneti;
Ingemuitque ſolum: tormentorumque tumultu
Pœnorum exciti manes rediiſſe putarunt
Scipiadem, rurſumque ſuam timuere ruinam
Mœnia Sidoniæ, qua Mars tuus ibat, Eliſæ.
Audiit armorum tonitru Rhodopeïa tellus,
Anxiaque Iſmarii tremuerunt arva tyranni.
Quin Gallis debellandis adſuevit eodem
Jampridem tua dextra mari: neque enim ultima laurus
Prima fuit. Te Gallorum piratica pubes
Pertimuit, pontoque dedit tibi terga relicto,
Inque ſinum fugiens latebris caput abdidit imis.
Nec ſtetit hoc tua fama ſalo. Qua maximus ambit
Oceanus, terramque ſuis complectitur ulnis,
Attollit niveis tua ſe Victoria pennis.

Te

Te fluctus Atlantei, ditesque loquuntur
Hesperides, fulvique parens Guinea metalli.
Diffugiunt trepidi desertâ protinus actâ
Æthiopes, penitusque cavis se montibus abdunt;
Pallidus extremo sese Niger occulit alveo.
Tradit se Goreda, armisque exuta Liona,
Toccarareque ferox, & Cormantinia rupes,
Totaque fastidit dominos regio ista Britannos.
Nec semel opposito trepidavit America ponto,
Excussitque ori famulos Brasilia lupatos.
Tu pavidam turbas classem, totoque profundo
Exuis. accelerant triginta ad litora puppes;
Liberaque admittit Batavos Nova Terra colonos,
Te Sueonum sensere manus, sparsoque cruore
Arctoæ rubuere nives. statione relicta
Attoniti vetitum in pelagus cecidere Triones;
Aufugitque procul verso temone Bootes.
At quam sæpe solo patrio, quantamque tulisti
Victor opem, infestis quoties insurgeret armis
Albion, impleretque truci maria omnia bello?
Tu domito longè à Zephyro (mirabile dictu!)
Per medios hostes dispersasque æquore puppes,
Divina septus nebula, nullique videndus,
Amisium superas flumen, patriæque repente
Inprovisus ades. Qualis descendit Olympo
Aligeri pars una chori, subitoque volatu
Signat iter liquidum, & rutilo secat agmina ferro,
Obvia quæque metens: talis tu rebus egenis
Tutelare venis numen, premis ense Britannos,
Obdamiique necem validis ulcisceris armis.
Longius haud aliud certamen. quatuor illi
Impendis luces, totidem sine lumine noctes.
Tu versum transfers bellum, felicibus ausis,
Finibus à Batavis, Rutupinaque pellis in arva,

Exurisque rates: indignantemque catenas
Captivum ducis Tamesim, vinctumque Rochestram;
Invitamque ultro Londinum ad fœdera cogis.
Quid classes memorem geminas, nobisque minantes
Ultima nequicquam reges; fractasque carinas,
Fractaque signa Caledonio fluitantia ponto?
Me miserum! quanto jubeor revocare dolore
Temporis illius vultum, cum quatuor hostes
Unitas junxere manus; terraque marique
Attonitos circumvolitarent agmina muros?
Occiderant leges, & conclamata jacebat
Libertas: pavor obsessas confecerat urbes:
Pontus, erat tellus; &, spes super unica, pontus;
Suspensusque orbis gladio pendebat ab uno.
Nec mora: jamque tuis hostes sternuntur ab armis,
Et tabo oceanum maculant: annoque sequente
Ter vidêre novas circum tua tempora lauros.
Victor ïo, bellator ïo, tibi litora, Pæan,
Nostra sonant! asserta sonant tibi mœnia, Pæan!
Respirant conculcatæ, te vindice, leges,
Submersumque caput media patria erigit unda,
Atque iterum plenis redeunt commercia velis.
At non nostra tuas resonant tantum æquora laudes:
Implesti mundum meritis; dum jura tueris
Publica, & oceano donas decurrere tuto.
Threcibus inponis morem, amissamque reducis
In libertatem populos ad claustra gementes
Barbara. Servorum sese tibi millia debent.
Jamque sub extremum vitæ non desinis isto
Esse animo: dum conspicuos pietate sodales,
Damnarat quos insontes patria impia remo,
Crudeli solvis ferro, atque indigna ferentes
Restituis cœlo ingenuo, ac melioribus auris.
Usque adeo sanctos capiebant pectora motus.

Tene

Tene ducem admirer potius, legum optime vindex,
Anne virum? dextramque illam ſeu Marte potentem,
Sive fide? Nulla arma tibi, niſi juſta, placebant.
At ne juſta quidem. ſumebas illa coactus,
Spirabatque alacer leni ſub pectore Mavors.
Lenis enim, clemenſque animo, placiduſque videri,
Pœnarum, ut poteras, parcus, veniæque benignus,
Parcebaſque tuis, parcebaſque hoſtibus ipſis,
Sanguinis effundens minimum; belloque, miniſter
Pacis eras. nec te medio in certamine gentes
Plus timuere prius, quam dilexere ſubactæ.
Vulnus opemque dabas idem. nemo arva colonus,
Nulla pudicitiam flevit, te milite, mater,
Ex oculis amota tuis; ipſoque timebas
Lumine virgineum delibaviſſe pudorem.
Ore admittebas læto vultuque clientes,
Et pariter ſummis, pariterque affabilis imis.
Cui promptum magis ingenium? cui longior unquam
Uſus, & in dubiis major prudentia rebus?
Ah vereor! ne te nimiis fortaſſe fatigem
Laudibus, & manes lædam ſermone modeſtos.
Laus erat una tibi, nullas agnoſcere laudes.
Quæque animas bello egregias calcaribus urit
Aſſiduis, non te vano percuſſit amore
Gloria, mittendumque æterna in ſæcula nomen.
Sola tibi ambitio, patriæ ſervire, Deoque;
Solus amor. O ingentem felicibus armis!
Ingentem pietate! Quibus te heroïbus æquem,
O Michaël? Tu ſumma ducum, tu ſumma virorum.
Certarit veterum nemo tibi. quicquid in illis
Solus habes. multorum inſtar te ſpirat in uno.
Erumpunt buſto Decii: probat integer ignes
Fabricius patrios, & Pyrrhi reſpuit aurum.
Infeſtos Tuſco piratas gurgite Magnus

Disjicit: Ausoniis extorquet finibus Afrum
Scipiades: capta Senonas fugat urbe Camillus,
Gallorumque suo delet vestigia tabo.
Se Salaminiacum tollit mare, & agmine multo
Ligneus exustas murus tutatur Athenas,
Turbatumque Neoclides agit æquore Persen.
Induit arma humeris, Martemque retractat Achilles:
Non solus tamen. Æacidæ tu Nestora misces:
Æacidæ Laërtiaden; & pectore in uno
Prudentemque virum formas, belloque valentem.
Neu famæ plus Alcides meruitve tulitve,
Fuderit ille Hydram licet, immanemque leonem,
Tergeminumque canem victis abstraxerit umbris.
Quid moror externis? Artes sibi vindicet Hellas:
Terrarum dominos extollat Roma Quirites:
Æquoris imperium pelagique affectet habenas,
Aut Rhodus, aut animosa Tyros, vicinave Sidon;
Tota penes Batavos omni navalis ab ævo
Gloria: seu moto sulcant vada salsa profundo,
Sive novos pariunt orbes; seu fortibus armis
Ardentes in bella ruunt, Martemque fatigant.
Cumque sit heroum felix fœcundaque mater
Belgica, nullo alio sic sese jactat alumno:
Qui, quantum antiquos Batavi, tantum ipse Batavos
Exsuperat. Cedat magni clarissima bello
Hemskerkî manus, extremam qui irrupit in Arcton
Primus, & audaci fregit maria invia rostro.
Cedat & occiduæ victor pulcherrimus oræ
Heinius, Hesperium plenis qui classibus aurum
Intulit in portus patrios, redivivus Iäson.
Quique loco prope contiguo ceciditque jacetque
Galius, Etrusci fulmen maris. Ipse minorem
Esse suis negat hunc virtutibus optimus armis
Trompius, æquarique viro lætatur ab illo.

Nec

Nec quisquam mihi deductos ab origine longa
Jactet avos. nullis sese fortissimus heros
Debet avis. virtus illi, & pulcherrima bello
Dextera nobilitas. hæc sola, hæc maxima imago.
Est aliquid certe titulis gaudere paternis;
Verum, laus aliena; suis se attollere factis,
Id nostrum, propriumque. Suo sibi Marte, suisque
Grande reportavit Michaël, ac nobile nomen.
Illum Europæi reges, adjutaque sceptra,
Illustrem fecere. Sinu Lisboa recepit,
Muneribusque auxit variis: Insignia genti
Danorum Fredericus, & annua contulit æra:
Gallorum Lodovicus, Equum; auratamque catenam,
Effigiemque auro radiantem, & divite gemma.
Dat titulum censumque Ducis regnator Iberus.
Oceani salve domitor, quem maximus orbis,
Quem populi, quem sceptra colunt, veteresque novi-
Frondibus heroës positis; cui ferre tridentem (que
Neptunus dedit, atque sui jus omne profundi.
Te nullæ tempestates superare, nec hostes,
Ne Mors ipsa quidem valuit. pedis ultima strinxit:
Gustavitque sacrum, delibavitque, cruorem.
Te niveis immortalem super æthera pennis
Fama vehit, geminusque sonat te Phœbus utroque
Cardine. te ternis resonat Trinacria linguis,
Ulteriusque suas protrudit in æquora rupes.
Fronde nova video vernantem Phœnicoëssam,
Inque tuum caput exustas revirescere palmas.
In mare labentur dum flumina, gutture pleno
In tua descendent fluvii præconia juncti:
Dumque mari superant undæ, latéque patentes
Æquora pulsabunt terras, tua nomina fluctus
Attollent; volventque tuas ad litora laudes.
Erigat æternum Rutero Belgica bustum,

Litoribus buſtum Batavis; quod cærula Tethys
Alluat; & ſtrato veneretur marmore Nereus:
Addat & horribilem galeam, & thoraca minantem,
Heröis magni exuvias; lituosque, tubasque,
Æraque mugitu tonitrus ſimulantia rauco:
Hoſtis ut hunc tumulum adſpiciens, ceu flebile ſaxum,
Hunc vitet tumulum, & verſis petat æquora velis:
Quique ſuis vivus murus fuit, æthere caſſus
Avertat patriis inimicas finibus alnos,
Nomine terribilis ſolo, &, poſt funera victor,
Longa ſecuturos ſervet per ſæcla nepotes.
Quin & fatiferum ſtellis ardentibus enſem
Dedicet, emeritumque tholo ſuſpendat ab iſto:
Acriſioniadæ ut gladii, vel Orionis inſtar,
Tertius accedat cœlo, latéque coruſcans
Terreat attonitos flammis feralibus hoſtes.
At nos ne lacrymis ultra, vanisque querelis,
Nilque adjuturo gemitu tam illuſtre cadaver
Dedecoremus, & officio violemus inani.
Siſtamus luctum, & lacrymas ſiccemus obortas.
Vixit, quemque dedit curſum Natura, peregit:
Et non parva Viri ſub terras ivit imago.
Rem conſervavit Batavam; ſua reddidit æquo
Jura mari; pœnas ſuperato ex hoſte recepit.
Felix, ô nimium felix, ſi carbaſa noſtra
Nunquam Sicaniæ tetigiſſent litora terræ.
Hîc, vitæ ſatur & famæ, quos debuit annos
Reddidit, æthereoque animam tranſcripſit Olympo.
Quin benefacta ducis potius, quod poſſumus unum,
Mente recondamus tacita, memorique colamus
Pectore. Pectoribus noſtris, poſt fata ſuperſtes,
Vivit adhuc; neque enim heröem mors abſtulit om-
Denique, quid multis opus eſt? En vivida coram (nem.
Forma Viri ante oculos & præſens ſpirat imago.
Nem-

Nempe animo, nempe invictum dabit ore parentem
Filius, eripietque umbris. O inclyta patris
Progenies, ecquid vivos præcordia motus
Concipiunt, patrioque calent tua ſanguine membra?
In venis fluit ille tuis. Te temperat idem
Spiritus, & ſucco generoſo pectora complet
Intima. Tu patriæ virtutis & indolis hæres;
Nec vultu tantum aſſimulas, ſed Marte, peremptum.
Talem illum, Heſperio ſale, Luſitania vidit,
Munere conſpicuum parili, parilique juventa,
Hiſpanas rumpentem acies. ſic pulcher Iülus
Rettulit exſtinctum formaque animoque parentem.
Tempus erit, cum tu patrios æquabis honores,
Angele, virtutique tuæ data præmia cernes,
Victrici lauro & ſimili ſpectandus in oſtro.
Aurato te jamdudum per inania curru
Vectat, & æterna nectit de fronde coronam
Gloria. jam, magno exemplo, vada cærula ponti
Sulcabas puer, & ventos imbresque ferebas,
Oceanique minas: mediosque immerſus in hoſtes
Durum diſcebas Martem, genitore magiſtro.
Pellæus quondam juvenis, bellante Philippo,
Tale rudimentum poſuit, patriæque cohortis
Miles Alexandrum primis oſtendit in armis.
Tu quoque clara tui bello documenta dediſti
Plus ſemel, & pulchro promiſiſti omine patrem.
Illius auſpiciis gravido quater ære duorum
Fulmina fregiſti regum, patriæque minantem
Diſcuſſiſti hyemem, & rerum pars magna fuiſti.
Iönii duce te fluctus, Ægæaque gaudent
Æquora. te Delos Lemnosque, Androsque loquuntur,
Iſthmiacique ſinus, & Homeri patria Smyrne.
Laude tua Arctoum pelagus ſonat: & tua jam nunc
Mirantur gentes, mirantur nomina reges.

Ipſe

Ipſe etiam inſignis terræ moderator Iberæ
Carolus, hæredem patrii te ſcripſit honoris,
Grandibus accenſus meritis. Quid pectora dicam
Intrepida, & nullis rerum commota ruinis?
Audiſti tu letum animo genitoris, eodem
Quo ſubiit; monſtrasque tuis virtutibus orbi,
Ex aquila nullam naſci potuiſſe columbam.
Nonne vides ſurgentem illam de marmore molem?
Exemplum eſt. calet aſſidua cinis iſte favilla,
Vivacesque tuo nutrit ſub pectore flammas.
Haud illa quanquam Genitor tumuletur arena.
Eſt illi terrarum orbis, totusque ſepulcrum
Oceanus. meritis hæc congruit area tantis.
Illic præſentem ante oculos, vivumque videbis,
Nullo etenim iſta loco virtus abſconditur. illum
Omnibus invenies terris; illum, omnibus undis;
Quo tu cunque ibis pelago: ſeu Veſper, & Eos;
Seu Boreæ te regna vocant; ſeu nubilus Auſter.
Macte animo, macte egregiis feliciter auſis;
Atque novis,ſemperque novis ſequere aſtra triumphis.
Hac iter eſt. ipſum dudum te nomen Olympo
Aſſerit, & patrium tibi nutat ab æthere ſidus.
Perge iſtam affectare viam, & cœleſtibus Euris
Ire polo. ſervanda tuis hæc ſtella carinis.
Hac duce, inoffenſum curres mare. certius illo
Nulla dedit lumen Tyriis Cynoſura magiſtris.
Jamque ipſum cœlo labentem, aurasque ſecantem,
Percipio, ac tales rumpentem pectore voces.
O vita dilecte magis, dum vita manebat,
Gnate, mihi; gnate innumeris durate periclis:
Vosque, mei conſanguinei; tuque, optima conjux:
Ne vos tantus edat mœſtos dolor. invidet oras
Ille mihi ſuperas, & fortunata piorum
Limina. ſat lacrymis oculi maduere profuſis.
Com-

Comprimite infandum mœrorem, & cedite fatis.
Sic placitum. Tuque inprimis, ſpes unica noſtri;
Spes patriæ: dignas patria ac patre concipe flammas,
Hoſtilique tuos abſterge ſanguine luctus.
Ingredere, ô gnate, & magno veſtigia paſſu
Noſtra legens, monitum non adſpernare paternum:
Sit, parere Deo, primus; patriæque, ſecundus
Semper amor. cole Juſtitiam, Verumque, Fidemque,
Omni animo. vallata oculis Prudentia centum
Stet lateri indiviſa comes; ſtet bellica virtus.
Magnificum te oſtende bonis, & in impia ſævum
Crimina. nec prenſa, oblatos nec reſpue honores.
Sis, quod es: & modicum compone per omnia civem.
Unum illud te præcipue moneoque rogoque,
Ut, quoties ardet bello mare, & utraque claſſis
Explicuit navalem aciem, tormentaque pugnam
Accendêre, meo credas te ſanguine natum.
Tantum effatus, & æthereas abit altus in arces,
Cum ſanctis ubi cœlicolis, meliore receptus
Parte poli, vitam æternam ac cœleſtia ducit
Gaudia; ſub pedibusque premens nubesque notosque
Divinum Pæana canit, ſemperque triumphans
Immortale gerit puro de lumine ſertum.



HEROICORUM
LIBER SECUNDUS.

Reverendissimo Celsissimoque Principi

FERDINANDO,

Paderbornensi ac Monasteriensi Episcopo;

PANEGYRICON.

DIc mihi, Phœbe, Virum, Paderæ qui leni-
bus undis, (tus
Angariæque jugis, populisque volentibus al-
Imperat, & geminâ cingit sacra tempora vit-
Immixtis lauri foliis, semperque recentis (tâ,
Fronde oleæ; placidusque meis allabere cœptis,
Illum quandoquidem canto, qui proximus arti
Arte tuæ tibi sæpe suos adolevit honores,
Maximus ipse tuis aris honor; & tua rite
Sacra colens meruitque tuum, tribuitque favorem
Cantanti mihi; namque tibi non gratior ulla est,
Quam quæ tam clarum præscribit pagina nomen.
Tuque adeo, ô ingens argumentumque Camœnæ
Præsidiumque meæ, neque enim præsentior alter
Te deus, aut animum stimulis majoribus urget,
Tu mihi, Ferdinande, fave. tu verba ministra,
Tu numeros: &, dum Gallique Italique tuique
Ad tua Germani currunt præconia vates,
Incultum vatis Batavi ne despice carmen.

Sed neque te fictis verbis, fictoque colore
Depingam, aut falsas attollam ad sidera dotes,
Inclyte Ferdinande: omnem tua plurima virtus
Respuit oratorem & nullius indiget artis.
Scilicet est aliquid, veras de principe laudes,
Verbaque pigmentis omnique carentia fuco
Dicere: & ut magnum est, & nostri culmen honoris,
Intellecturis defæcatisque canentem
Auribus, & Latio multùm sermone politis
Posse loqui; sic præcipua est in laude locandum
Non nisi vera loqui, nil falsi dicere posse.
Hæc mea materies, hæc sors tua. Sufficis unus
Ipse tibi; nec virtutis vel laudis avitæ,
Laudis eges alienæ: etenim hæc aliena putantur,
Quæ quanquam tua sunt, non sunt tua. namq; paren- (tum
Nomen, & à prisca deductus origine sanguis,
Et quæ nos ipsi non fecimus, acta putanda
Alterius, nec quicquam operi debentia nostro.
Quid quod nobilitas, præclaraque facta parentum
Dedecorant his dissimiles onerantque nepotes.
Tu vero, qui majores virtutibus anteis,
Plusque illis famæ tribuis, quam sumis ab illis,
Stemmata cum superes longè tua, tu mihi solus
Carmen eris: neque enim gentis facta inclyta factis
Immiscebo tuis, serieve & imagine longa
Illustres dicam proavos, vulgata per orbem
Nomina, felici quos Furstenbergia partu
Fœta domus dias in luminis edidit oras.
Tu mihi principium incepti, tu meta laboris.
Unde autem rerum tantarum exordia sumo,
Aut quibus has ipsas verbis extollere laudes
Aggredior? Turbat conantem, ac multa moratur
Copia, nec certo patitur procedere passu.
Ac veluti, nemore in magno si forte viator

Conſtitit, abripitur variarum errore viarum,
Jamque huc, jamque illuc circumfert lumina, nec ſcit
Quod pede carpat iter, quo ponat tramite greſſum:
Aut qualis ſolo ſecum ſpatiatur in horto,
Diverſosque notat flores, & quos ſibi carpat
Non bene novit adhuc; & nunc albentia ſpectat
Lilia, nunc Tyrio certantes murice luſtrat
Ille roſas; dubitatque, oculos per ſingula volvens,
Quem primum cupido decerpat pollice florem:
Haud aliter, dum Pieriis in ſaltibus errat,
Et Phœbi lucos, Phœbique perambulat hortos
Conſilii mens orba, hæret, ſecumque volutat,
Quò tendat, quid carpat; an hunc delibet, an illum,
Vicinosne legat flores: ultroque ſequentem
Sollicitant variæque viæ, variique colores,
Suſpenſamque tenent, nec quò ſe vertat, habentem.
Adnitar tamen, & multo percuſſus amore
Principis eximii titulos, vittamque, lyramque,
Subjectosque canam populos; & carminis hujus
A cunis Pueri repetam primordia magni.
Ergo ubi vitales in lucis prodiit auras
Exceptusque fuit patriis Puer editus ulnis,
Protinus Aoniis illum lavere ſub antris
Caſtalides, mollique ſinu fovere jacentem.
Quarum, quæ fandi doctiſſima, Calliopea,
Quam pater ipſe ſuas Pæan feliciter artes
Erudiit, docuitque hominum prædicere fata,
Talia veridicis aptabat carmina nervis.
Blande Puer, patrisque tui, Phœbique voluptas,
Noſter amor, magnum Aonio decus addite monti;
Huc vultus oculosque, Puer, converte, tuasque
Nutrices dulci placidus cognoſcere riſu
Incipe, fortunasque tuas, tua diſcere fata.
Namque tibi faciles promittunt omnia Divi.
Tu

Tu claram proavûm ſtirpem, atque illuſtria facta
Exſuperabis, & à tergo genus omne relinques,
Virtutesque tua ſuperabis laude paternas.
Multa tibi noſtri veniet de vertice montis
Laurus, Apollineaque tuos teget arbore crines.
Sequana te, Rhodanusque, ingentique amne Garum-
Te Rhenus, te Danubius, te patria dicent (na;
Flumina; te felix Atheſis, te Tibris, & Arnus,
Eridanusque ſuis olim venerabitur undis.
Ipſa Quirinali de vertice Roma canenti
Aſſurget, tantoque parens gaudebit alumno,
Et ſeptemgeminos attollet ad æthera montes.
Illa tibi gremiumque ſuum, pectusque recludet;
Illa tibi arcanos aditus, atque intima pandet
Atria; muneribusque ſuis & honoribus aucto
Imperii partem, & partem committet ovilis,
Inponetque pedum manui, capitique tiaram.
Ex illo mundi variis celebraberis oris,
Extremique hominum populi; gentesque remotæ
Ferdinandeas tollent ad ſidera laudes.
Non tamen hîc ſtabit tua ſors. tua creſcet eundo
Gloria. te tellus eadem, te maxima Roma
Ornabit gemino imperio, geminoque tiara;
Virtutemque tuam terris extendet, & aſtris.
Tu modo creſce, Puer, Phœbeasque impiger artes
Arripe, tantarumque capax cape cætera rerum:
Imperii cape frena, & ſpes implere labora
Sollicitæ, tua quæ exſpectat moderamina, terræ.
Interea, dum prima legunt tibi fila ſorores
Fatidicæ, nullæque premunt cunabula curæ,
Dormi agedum, dormi, rerum ſuaviſſime, nec te
Adventantum hominum ſtrepitus, ramive cadentis,
Aut cantus volucrum, aut belli ſonus excitet ullus.
Tu procul à belli ſtrepitu, procul acribus armis,

Moribus adſueſces noſtris, & mollia terris
Jura dabis pacemque tuis, ferroque remoto
Aurea degeneri revocabis ſæcula mundo.
Hæc ubi dicta, ſimul cantus, ſimul inclytus Infans
Prognatus claro Divûm de ſemine, Divos
Excitat, atque ſuo cupidos deducit Olympo.
Ocyus accurrunt Superi. Dat quisque favoris
Signa ſui. dat munus opes, dat munus honores
Juppiter, & magni conjux Jovis; ora diſerta
Mercurius; Pæan numeros, artemque canendi;
Artem venandi Diana: Minerva ſagacem,
Prudentemque facit Puerum; Cytherea, venuſtum.
Martis opus, ne forte aliquis ſubito ingruat hoſtis,
Mars docet. ingenuum Pueri admirata pudorem
Veſta diu, ſe Diva ſuo ſpoliavit honore
Illius inponens capiti venerabile vinclum.
Accipe, pars olim noſtri clariſſima cœtus,
Accipe, care Puer, noſtræ quoque munera dextræ,
(En, ait) & vittæ jam nunc adſueſce ferendæ.
Hæc ut Cœleſtes Puero cœleſtia dona
Diſtribuere, polum terrâ petiere relictâ,
Infantemque ſuis Nutricibus erudiendum
Porro commiſere. Illæ mandata faceſſunt
Ocyus, ac variis natum modo dotibus ornant.
Stellarum numeros, vaſtique volumina mundi
Edocet Uranie: regnantum fata referre,
Sanguine Melpomene regali tincta cothurnos:
Heroas canere, & bellantum dicere laudes,
Calliopea; modos teneros, & amantia verba,
Euterpeque, Eratoque, Thaliaque, Terpſichoreque;
Dulce melos, Clio: varium Polyhymnia carmen.
Eſt lucus gemini ſub verticibus Parnaſſi,
Naturæ mirabile opus: nam prodiga ſeſe
Illic per campos latè diffuderat o nes,

Et

Æt quicquid pulchri, quicquid producit amœni
Ipsa sua Natura manu congesserat: illic
Omne genus florum, & fruticum, herbarumque viren-
Nutrit, & ambrosium tellus exhalat odorem. (tum
Nec desunt fontes, & flumina: montis aperti
Currunt perpetui summo de vertice rivi,
Subjectamque rigant vallem. Scatet arbore vallis
Innumera. Viret hîc Matri jucunda Deorum
Pinus, & Idaliæ Veneri gratissima mirtus,
Et laurus Phœbo, & Phœbo dilecta cupressus,
Et platanus genialis. Aves arbusta pererrant,
Et passim lætis resonat nemus omne querelis.
Mulcet humum Zephyrus: cœloque cadentibus undis
Juppiter, & modico Sol temperat arva calore.
Illum doctarum studiis operique Dearum
Secrevere locum Superi. Regionibus illis
Ibat, & Aonias Juvenis crescebat in artes.
Et nunc ad fontes Aganipidos Hippocrenes
Vertebat sese sitiens, laticemque bibebat
Pegaseum: nunc vicini de culmine montis
Æternùm virides lustrabat lumine silvas:
Nunc sola secum nemoris spatiatur in umbra
Nescio quid meditabundus. Vestigia euntis
Observant Musæ, atque suum comitantur alumnum,
Et, quacunque movet gressus, vel ponè sequuntur,
Vel latus adglomerant lateri, ducuntve sequentem,
Aut medium circumsistunt, aut cespite sidunt
Gramineo, dulci complentes avia cantu.
Jamque canunt ipsæ: veterum jam carmina vatum
Subjiciunt oculis, animumque ad grandia natum
Grandibus exemplis acuunt. Est maximus illic
Mæonides, fortesque viros in prælia cogit:
Quique Syracosias carmen modulatur ad undas:
Quemque repentinum fecerunt somnia vatem.

Præcipue, quos Ausonia pellexit ab omni,
Inclusitque suo gremio, vel mœnibus urbis
Extulit ipsa, ævo commendavitque futuro,
Roma vetus, veterique recens urbs æmula Romæ
Semine eodem ortos jussit simulare nepotes.
Nec non, qui rerum seriem memorandaque pandunt
Facta virûm, qui Naturæ miranda recludunt,
Vivendique docent normam, normamque regendi,
Præscribuntque vias varias, seu fortibus armis,
Seu longa libuit populos in pace tueri.
Hos omnes pluresque manu volvebat, & acri
Versabat cura recolens, totoque bibebat
Pectore. præceptisque virûm monitisque priorum
Magnarum sese rerum formabat in usus,
Magnorum sese vatum formabat ad artem
Artibus instructus variis, camposque per omnes
Ibat honorati Juvenis memorabile nomen.
Postquam exempta sitis Permessi fluminis unda,
Nutricesque suas, Phæbumque æquare canendo
Iam potuit; tractus alios, lætamque petivit
Ausoniæ regionem: ulnis ubi mollibus illum
Excipit, atque suo commendat Roma Parenti.
Continuo: Salve, fama mihi cognita tellus,
Clara viris, clara ingeniis; salve, inquit, amœnum
Vatibus hospitium, Musarumque altera sedes.
Tune, Poëtarum nutrix uberrima, tune
Luminibus spectanda meis concederis? Ut te
Conspicioque, premoque lubens! Ut Martia facta,
Virtutemque tui populi, famamque recordor!
Tene suis pressit pedibus Maro? sensibus imis
Agnosco geniumque loci, geniumque Maronis.
Vos modo Romani montes, Tuque inclyte Tibri,
Molle mihi hospitium concedite: vos mihi montem
Aonium, vos Aonium præbete fluentum,
Et,

Et, quas deſerui præ vobis, reddite ſilvas.
Dixit, & optatâ ponens veſtigia terrâ
Mœnia terrarum dominæ, cœlo æmula, Romæ
Ingreditur. Clarum illa domo, citharaque celebrem
Excipit urbe Virum, lætaturque hoſpite tanto.
Chiſius ante alios. Uni illi maxima cura
Ferdinandus erat. Lateri illius, illius ori
Fidus adhærebat ſemper comes. illius ædes,
Illius Aonios unà inviſebat amores.
Scilicet illud erat tempus, quo maxima Roma
Cæſaris Auguſti revocaret ſæcula, & omnes
Illò confluerent vates, ſermone Latino
Muſa quibus dederat victurum ſcribere carmen,
Pollinusque premens viridi canentia lauro
Tempora, carminibusque ſuis, quam ſtemmate longo,
Nobilior Rondininus, titulisque parentum,
Et Gradius, Vaticanæ cuſtodia rupis,
Grandiloquusque Favoritus, clariſſima Romæ
Lumina, quique ſuæ juſſu auſpiciisque Minervæ
Nuper ab Arctois illuc devenerat oris
Heinſiades, Muſæ patriæ certiſſimus hæres,
Innumerique alii, doctarum ad ſacra Sororum
Admiſſi interiora. Hos Furſtenbergius inter,
Nulli horum ingenio inferior, nulli arte ſecundus,
Aſſiduus verſabatur, varioque viciſſim
Fallebat ſermone diem, cantuque polito
Ad ſua Romuleos rapiebat carmina Patres.
Interdum turba comitum ſtipatus eadem
Clara recenſebat veteris veſtigia Romæ,
Prolapſæque domos urbis, vicinaque cœlo
Rudera, bellorum triſtes, ævique labantis
Relliquias: interdum umbras & grata ſecutus
Frigora, Romaniſque ſitos in collibus hortos,
Sive ſuburbanis in vallibus, inter opacas

Mirtosque, platanosque, atque aërias cyparissos,
Inter odoratas lauros, undasque sonantes,
Diversasque avium voces, aut ipse canebat,
Aut tenuem molli somnum captabat in herba.
Æstivos modo secessus, Tiburque supinum,
Et gelidas Anienis aquas, modo rura petebat
Tuscula, & æternâ salientia flumina venâ,
Formosam modo Parthenopen, tumulumque Maronis,
Pausilypique jugum, flagrantemque igne Vesevum,
Et Cumas, & Cumanæ cæca antra Sibyllæ,
Telluremque tuam, Campania, nobile semper
Certamen Bacchi, & Cereris, flavæque Minervæ.
Talibus atque aliis animum dum pascit, & Urbem
Perlustrat, cupidusque oculos per singula volvit,
Purpureosque Patres, & magni tecta frequentat
Chisiadæ, fatis iter ostendentibus, Urbis
Suscipit imperium terris fatale regendis
Nomen Alexander, claræ spes inclyta Senæ,
Inclyta Pieridum. Gavisa antistite tanto
Attollit septemgeminis de montibus altum
Roma caput, plauditque cavis Tiberinus ab antris.
Ipse sua ter iö, ter iö, clamavit ab arce,
Et Ferdinando, vacuis dum ludit in hortis,
Dulce Palatinus carmen dictavit Apollo.
Gaudet Alexander, suaque intra limina ducit
Hospitem Apollineum, multoque invitat honore.
Ergo dum curam thalami, dum corporis illi
Committit, cui dudum animum commiserat omnem,
Maximus Europæ princeps, & maximus hospes
Interioris amicitiæ celebratur amicus,
Illum omnes colere, illum omnes adamare Quirites,
Præsulis ad nutum: namque illi credere sensus
Arcanos, illum dubiis adhibere solebat
Consiliis, illi ante alios parere monenti.

Sæ-

Sæpe illi menſis una, arbitriiſque remotis,
Aut aulæ, aut horti adjecti ſecreta petebant,
Multa ſuper populis Europæ in pace regendis.
Multa ſuper belli diſcrimine, multa loquentes
Romano ſuper imperio, Italiæque ſalute:
Sæpe, Quirinali deſerto colle, beatos
Luſtrabant Latii campos, & in otia natum
Albani montis tumulum, gelidumque propinqua
Valle lacum, & Scythicæ regnum jam mite Dianæ,
Et ſacros Muſis lucos, Fontemque ſonantem,
Egeriæque Nemus Nymphæ, gratiſſima juſto
Ante Numæ, nunc Chiſiadæ gratiſſima vernis
Frigoribus loca: quippe locum ſelegerat unum
Hunc ſibi Chiſiades: hîc rerum pondera, & omnem
Fortunæ deponebat cum corpore molem
Maximus antiſtes; curaſque, animumque laborum
Oblitum ſermone ſui lenibat alumni.
Non ſic Egeriam coluit Numa: non ita Phœben
Hippolytus; neque ſic illis adamatus uterque eſt,
Continuis licet alloquiis notiſſimus alter,
Alter amore Deæ Stygiis revocatus ab umbris:
Neu tantâ pietate ſuum dilexit Oreſten,
Aut tantùm rurſum ipſe ſuo dilectus Oreſti eſt
Exemplum Pylades fidei memorabile, quantâ
Ferdinandus Alexandrum pietate colebat,
Ferdinandus Alexandro redamatus ab ipſo eſt.
Mens illis erat una; & par eademque voluntas:
Unum illis ſtudium. Studii communis amore
Accenſi, aut dulces doctis ſermonibus horas
Frangebant, aut clarorum monumenta virorum,
Quos Hellas, quos Auſoniæ pulcherrima tellus
Edidit, & veterum volvebant carmina vatum
Aſſidui, aut œſtro parili ſtimuliſque citati
Pieriis viridi cantabant carmen in umbra,

Quod veteris genium Latii ſpiraret, & ævi.
Aſſenſere Deæ nemorum, aſſenſere Camœnæ,
Plaudentumque ſonus Luco exauditur ab imo,
Lætaque vicinis reſonat de collibus Echo.
Sic ubi conceſſum clementis munere cœli,
Sermones inter varios & plena laboris
Otia, Romano cum principe tranſigit ævum
Hoſpes Apollineus, votis communibus abſens
Eligitur, Paderæ ut capiat moderamina Præſul.
Gaudet Alexander, ſapienſque piumque legentum
Judicium, toto Patrum laudante ſenatu,
Electumque probat. Dat Roſpilioſius illi
Paſtorale pedum, capitiſque inſigne tiaram
Crinibus inponit ſacratis. Omine læto
Vaticana fremit rupes: fremit ardua Roma.
Ut vero ſacris manus ultima ritè peractis
Solemni pompæ inpoſita eſt, rediitque penates
Quiſque ſuos, magni imperio parere parabat
Pontificis, populoſque datos, tutandaque ſpectans
Oppida Germanas Princeps properabat ad oras.
Nulla mora eſt: urget comites; caroſque ſodales,
Auguſtoſque Urbis Patres, Urbemque ſalutat;
Jamque relicturus dilectæ mœnia Romæ
Tali Romanum compellat voce Parentem.
O cui terrarum ceſſit ſuprema poteſtas,
Alme Pater, quas innumeris tibi ſolvere grates
Pro meritis, quos unquam auſim tibi reddere honores?
Tanta equidem ſunt iſta, meis ut denique verbis
Longè ſint majora: tui monumenta favoris
Agnoſcam tamen, & tacitus mecum ipſe revolvam,
Excipient abſentem oræ quæcunque, meoque
Nulla dies eadem illa animo, nulla eximet ævo.
Et quoniam tua dicta jubent, ultroque ſequentem
Fata vocant, ego ſic populos urbeſque tueri
Ten-

Tentabo, ratio ut constet cœloque tibique.
Jamque vale: &, si vota aliquod mea pondus habe-
Vive, Pater. tibi quod superest ætatis agendæ (bunt,
Proroget, éque meis istos Deus augeat annos,
Floreat & longum, felix te principe, Roma.
De me viderit Ille, videt qui cuncta, polumque
Terrasque fluctusque suo sub numine torquet,
Subdit Alexander, multa pietate fideque
Cognite, & huic animo ante alios gratissime, Princeps.
Te vero, cui genua virent, te juverit Idem
Ille, oro, longumque tuis, juvenisque superssis.
Tempus erit, cum tu, promoto limite, fines
Ibis in Angarios, & te Mimigarda Regentem
Agnoscet, populosque tibi submittet, & urbes.
O mihi tam longi maneat modo terminus ævi,
Ut videam, tibi quem decernunt fata, triumphum!
Interea nunc oblato contentus honore
I precor, exiguumque mei cape pignus amoris,
Dum tibi dem potiora istis ego, vel meus hæres,
Munera. Sic fatus dilecto dexteram alumno
Porrigit, & geminis abeuntem amplectitur ulnis,
Supremumque vale mœsto vix adjicit ore.
Continuo acceleratur iter: magnique Quirini
Nunquam visenda discedit ab urbe, suique
Grande decus Princeps, longumque relinquit amo-
Deserit Ausoniam, summoque minantia cœlo (rem.
Alpini juga montis, & ardua saxa Tridenti
Exsuperat; tandemque sua tellure potitus,
Per Rhætos, per Vindelicos, Francosque, Cheruscos-
Ad Paderæ fontes, regnandaque pervenit arva. (que,
Prosiliunt imo Padera Amisiusque fluento,
Luppiaque, & Padulus, famæque insignis Aliso,
Jucundumque suis Resonus Fons murmurat undis.
Ipse etiam, dum Cæsareos lavat agmine muros
Flu-

Fluviorum rex Danubius, ſua gaudia Sacro
Nuntiat Imperio. Jucundo murmure Rhenus
Gaudenti applaudit Paderæ. Per ſtrata viarum
Ædibus effuſum magno ruit impete vulgus,
Lætantumque ſonant voces. Ante omnia cunctis
Feſtus honos templis indicitur, altaque paſſim
Thure pio fumant altaria, proque ſalute
Principis imperiique Deum prece ſupplice adorat
Inclinatus humi populus, votiſque fatigat.
Ollis ætherea mundi Regnator ab arce
Annuit, & mites iſto ſub Principe ſoles
Promittens, nubeſque ſimul ventoſque removit,
Atque ſerenato pulchrum dedit omen Olympo.
Ille autem patriæ rerumque capeſſit habenas,
Ingentique animo ſæcli melioris amorem
Induit, & clarorum hominum præſtantia facta
Proponitque ſibi Princeps, imitandaque ſumit
Ipſe: & ut humano generi didiciſſe probaret,
Non ſeſe ſibi, præceptis quodcunque priorum
Hauſerat, oſtendit depromptam pectore ab imo
Virtutem, & varios hominum diffundit in uſus;
Intentuſque bono pariter populique ſuoque
Concipit imperii formam, qua poſſit utrumque
Reddere fortunatum, aliiſque excellere longè
Principibus populiſque. Ergo illum haud Martius ar-
Imperiique ſitis ſtimulat, nec ut orbis in oras (dor,
Extendat famam, & ſpoliis decoratus opimis
Inſignes multa ducat de gente triumphos.
Et bellum, & belli ſtrepitus, demptaſque peremptis
Hoſtibus exuvias, & partas ſanguine lauros
Odit, & accenſus Divæ melioris amore
Pacem amat, & pacis ſtudiis ſeſe applicat omnem.
Unica cura quies illi: non ſegnis inerſque,
Sed docta, & generoſa, ſuo ſed Principe digna,
Æter-

Æternoque Deo ſimilis. Deus ipſe quieſcit,
Atque quieſcendo facit omnia. Spectat inanes
Et vanos hominum motus, paſſimque ruentes
In cædes & bella polo procul audit ab alto:
Ipſe autem ſeſe fruitur, placiduſque recumbit
Ætheris in medio, & ſolo movet omnia nutu.
Non aliter, ſi divinis componere rebus
Humanas licet, imperium populique ſuique
Ferdinandus ad exemplum ſupera alta tenentis
Temperat,& curas hominum, rabiemque, necemque
Haud conſternatis animis, ac mente quieta
Deſpicit, atque ſibi ſeſe implicat. Utque benignum
Numen inexhauſtos deſtillat ab æthere rores
Arentis terræ in gremium, pluviaque rigatam
Sole opportuno recreat, nutritque, fovetque,
Innumeriſque beat plantis, atque ubere gleba
Exhilarat genus omne hominum, genus omne animantum:
Munifica ſic uſque manu ſua commoda Princeps
In ſibi parentes populos, ſubjectaque ſpargit
Oppida, continuoque ſui dat ſigna favoris,
More Dei clementis. Et ut clementia virtus
Principis eſt, & ſola Deo nos æquat: ita omnem
Ferdinandi animum Pulchri ſuccendit amore,
Cœlitibuſque parem facit; & penetralia ad iſta
Virtutes ſocias invitat, & agmine juncto
Secum unà ſanctamque Fidem, Fideique ſororem,
Jam reducem, jam non terras homineſque peroſam,
Juſtitiam trahit, & ſacras admittit in ædes
Nunquam animo,nunquam templo meliore receptas.
Hoc ſibi namque loco templum delegit habendum
Virtutum genus omne. Hanc confugiebat ad aram,
Clementique ſuam tenuit ſub judice cauſſam
Sæpe reus. Sæpe anguſtis in rebus amicam
Hinc

Hinc sensistis opem miseri, sensistis egeni;
Et quæ non sensit regio? Jovis insula magni,
Illa Asiæ, illa Europæ commune sepulcrum,
Supremam exhalans animam; donantis amorem,
Donaque conspexit Crete. Conspexit eundem,
Arderet quando Getico trepida Austria bello,
Laudavitque pios generosi pectoris ignes.
Nempe suos illi cives, mundique clientes
Auxiliante fovere manu, nullique negare
Præsidium, ac facilem præbere adeuntibus aurem;
Communique bono se impendere, summa voluptas
Semper, & in gentes varias venturaque latè
Sæcula nobilibus virtutem extendere factis.
Hæc illi ante oculos, hæc illi in pectore sola,
Quique illam coluere viri, quos Itala tellus
Produxit Latii è gremio, murisve Quirini,
Brutique, Deciique alacres, parvoque potentes
Fabritii, & clari pariter belloque fideque
Scipiadæ, Fabiique, incorruptique Camilli,
Contentusque suo sulco Serranus, & Urbi
Non intellecti quondam Latioque Catones.
His animum stimulis Princeps acuebat honestum;
Naturæque suæ genium, & præclara secutus
Semina, pacato populo, pacemque colenti,
Mollia jura dabat. Reputabat quippe, regentem
Pastorem esse sui populi; populumque, regentis
Esse gregem: utque suum pastor custodit ovile,
Invisumque lupos pecus à præsepibus arcet:
Sic, quibus imperium magni dat Rector Olympi,
Rectores populorum, ursorum more furentum,
In cives, hominesque, manu sævire cruenta,
Est indigna Deo res visa, Deique ministro.
Ille, bonus placidusque, bonos placidosque ministros,
Naturæque suæ similes, & pacis amantes
Eli-

Eligit, atque ſuis cuſtodes præficit aris.
Illius exemplo populumque gregemque regebat
Commiſſum, pacemque ſuo præſtabat ovili
Pacificus Præſul, Paderæque ad flumina nota
Dilectas paſcebat oves. Modo ducit eaſdem
Longius, & Paderæ deſerto fonte beatis
Fluminis Hebræi lymphis, Siloëſque ſalubri
Merſat aqua, & Solymæ per paſcua læta vagantes
Graminibus reficit vivis, vivoque liquore.
Quin etiam his Solymes oſtendit templa, ſacrumque
Conſcendit montem, & penetralia ad intima caſtos
Fert greſſus, Numenque loci taciturnus adorat.
Exin ſublimem prærupto vertice rupem,
Rupem infelicem, multorumque oſſibus albam,
Monſtrat, ubi quondam nobis pro ſontibus Agnus
Ille Dei nullo ſatiatum vulnere ferrum
Tinxit, & innocuo reſperſit ſaxa cruore.
Nec non & Bethlæ campos, felicia rura,
Infantiſque Dei cunabula monſtrat, & antrum,
Parvum, obſcurum antrum, quo primum vagiit ille
Humani generis Paſtor, valliſque propinquæ
Paſtores olim Puerum videre jacentem.
Quiſque ſacram veneratur humum, divinaque carpit
Pabula. Dumque ſuas Præſul Bethlæa per arva
Paſcit oves, mollique ſedet ſecurus in umbra,
Paſtorum in morem veterum, quorum ante cicutis
Dulcibus illi ipſi collesque amneſque ſonabant,
Agreſtem parili meditatus arundine Muſam
Ipſe canit, ſuavique gregem modulamine mulcet.
Nunc agite ô, nunc, ſi quando, adſpirate canenti
Pierides, cultamque mihi memorate Camœnam
Principis Aonii, tantumque decentia vatem
Dicite; vos illum veſtro foviſtis in antro,
Et fontem monſtraſtis Hyantidos Hippocrenes;

Vos

Vos teneras ad fila manus duxiſtis, & artem
Pieriam primo puerum docuiſtis ab ævo.
Vobis ille ſuos etiamnum dedicat annos.
Quicquid enim, poſt imperii patriæque ſalutem,
A bene tutandis ovibus populiſque regendis
Temporis ac vitæ ſupereſt, ſibi ſcilicet uni
Vindicat, & ſtudio Muſarum impendit amœno,
Cantibus oblectans animum, vivitque vacatque
Ipſe ſibi, atque gravi circumſtantum undique rerum
Mole fatigatam ſolatur carmine mentem.
Nec vero cantat vulgaria, ſeque minora,
Quæque viris in principibus laudare ſolemus.
Principe digna canit Princeps, Muſiſque propinquum;
Et par fortunæ carmen facit, omne quod ævum
Admiretur, & in ſeros ſparſiſſe nepotes
Gaudeat. Hæc certè tantum illi prodiga famæ
Ingeſſit vivo, quantum poſt funera nullis
Vatibus ulla ætas aliis indulſit honoris.
Et merito: nam legitimo ſi examine ſolum,
Principe depoſito, vatem ſpectemus in illo,
Non tantum ingeniis ſeſe melioribus æquat
Temporis hujus, at antiquis contendit, & acri
Affectat palmam ſtudio, dubiamque relinquit:
Si vero vatis titulo conjungere nomen
Principis, & ſimili poſitos in honore, vel iſto
Longè etiam majore, inſignes artibus olim,
Muſarum inſignes ſtudiis, magnique poëtas
Nominis, huic æquare Viro, aut conferre velimus,
Nulli eſt aſſimulandus: & omnibus arte canendi
Tantùm exſtat, quantùm titulis & honoribus illi
Privatorum hominum ſortem, atque ignobile vulgus
Exſuperant. Res rara autem, mirandaque, vates
Inter præcipuos regnantem excellere, eóque
Tendere, quò pauci vix pervenere poëtæ.

In-

Interiora etenim, penitusque recondita norat
Artis Apollineæ, solis & cognita mystis,
Arcana, & Latii genium sermonis, & aptos
Permulcendo animo numeros, numerisque politum
Omnibus, ad normam sæcli melioris, & Urbis
Invidiam, dextro pangebat Apolline carmen,
Quale sub Augusto condebat principe Roma.
Hæc ætas illi placuit, cum purius auro
Curreret, ac totas simplex Facundia vires
Exereret, culmenque suæ jam tangeret artis;
Doctorumque virûm proventu divite muros
Impleret jam Roma suos, mundique superba
Exuviis hominum sub leges mitteret ora,
Et morem ingeniis præscriberet illa virorum,
Illa poëtarum nutrix, famamque canentum
Finibus imperii, summoque æquaret Olympo;
Imperioque potens gemino, linguæque suoque,
Orbis & eloquii junctas agitaret habenas.
Hujus ad effigiem sese formabat, & acre
Judicium docti majestatemque Maronis,
Et varios Flacci numeros, Veneresque Catulli,
Et faciles Ovidî Musas, tenerumque Tibullum,
Simplice gaudentem cultu, grandemque Propertium,
Artis Apollineæ linguæque exempla secutus
Unica, diversis è vatibus optima quæque
Carpebat, cuique eripiens, quod cuique decorum
Præcipue, propriumque. Novos his jure poëtas
Adjicit, Ausoniæ Romæque recentis alumnos,
Illustres Phœbi cultores, proxima primis,
Et paria antiquis scribentes carmina, quorum
Indubitata legunt æquo vestigia passu:
Sinceros, Fracastorios, & ad æthera notos
Flaminios & Naugerios, dilectaque Musis
Nomina Amalthæos, & quos uberrima plures

Protulit ista ætas vates, vatumque parentem,
Atque ipsum celebrem facundo carmine Bembum.
Omnibus ex illis sese componit, & addit
Divite quod Natura manu concesserat illi,
Ingenioque suo simul, ingenioque priorum
Usus, Apollineæ rupis fastigia plantis
Summa premit, montisque sacri de culmine colles
In patrios Grajasque trahit Latiasque Sorores;
Romanumque canit Germana per oppida carmen.
Cantanti applaudit Germania, plaudit & ipse
Cæsar, & Hercyniæ surgunt ad sidera silvæ.
Namque canebat, uti Veledæ memorabile nomen
His olim terris fuerit: quæ funera quondam
Ediderit, qualem Romana è gente triumphum
Egerit Arminius, grandi cum cædis acervo
Obstructi gemerent ripis spumantibus amnes:
Utque suo Drusus dictas de nomine fossas
Fecerit: utque novo Germanicus agmine Cæsar
Relliquias Vari, cæsis tot millibus, ultum
Iverit, insignemque patri construxerit aram:
Tum Magnum cantat Carolum, qui Saxona ferro
Fregit, & indomitam vario certamine gentem
Contudit, exuviasque suis erexit in arvis:
Cantat & hac ipsa, quo non præstantior alter,
Stirpe satum Pipinum, ipsum quem ferre tropæa
Vidit, & attonito spectavit lumine Rema:
Tum canit Amisii lymphas, centumque Visurgim
Navibus Arctoi currentem in cærula ponti:
Tum, Paderæ Fontes, hábitatum regibus olim,
Cæsaribusque locum: Paderæque ante omnia gratum
Præsulibus Padulum, nitidis qui lucidus undis
Purior electro fertur, laticemque ministrat
Egelidum, urentemque fugat de corpore febrim;
Quæque intestinos stomachi levat unda dolores:
Tum,

Tum, Fontem Reſonantem, unda qui ſæpe furente
Æſtuat in morem pelagi, rurſumque quietus
Sæpe fluit, ſubterque ſinum telluris, ut amnis
Elidis, occulto furtivus labitur ore,
Submerſumque ſuis iterum caput exerit undis.
Denique, ut illuſtri proavûm virtute minores
Excitet, ac ſeros moneat ſtimuletque nepotes,
Furſtenbergiaco ſublime in monte tropæum
Erigit, atque ſuæ decus & merita inclyta gentis
Gentibus ac ſæclis donat ſpectanda futuris.
Scilicet haud ſatis eſt majorum illuſtria facta
Aoniis celebraſſe modis, patriamque diſertis
Verſibus illuſtraſſe ſuam: de marmore moles
Excitat innumeras; paſſimque per oppida, & agros,
Quicquid habent campi memorabile, quicquid & ur-
Fluminaque,& fontes, potæque ſalubriter undæ, (bes,
Æternis mandat ſaxis, & carmine ſignat.
Ac veluti, ſi quis Latios percenſeat agros,
Mille videt monumenta viis, & marmora doctis
Cæſa notis, geniumque ſui teſtantia ſæcli;
Antiquaſque manus laudat, facundaque verba:
Haud ſecus erectas mirabitur undique moles
Finibus his, Latiamque illò migraſſe viator
Credet humum,Dominumque ſoli veneratus ad aſtra
Tantorum poſitorem operum ſublimia tollet.
Illum urbes, campique; illum crepitante ſuſurro
Fonteſque, fluviique canent; vitæque parenti
Vivere juſſa dabunt æternum marmora nomen:
Marmora non illic tantum ſpectanda, ſed omni
Orbis terrarum populo, paſſimque videnda.
Spargit enim totum Paderæ Monumenta per orbem,
In lucemque trahit Princeps, populiſque legenda
Ipſe dat; & doctis chartis in ſæcula mittit
Nominis atque ſuæ monumenta perennia famæ.

Tali in pace gregem pariter, populumque, suumque
Pascebat Princeps animum, studiisque fovebat
Aoniis, quando, de successore legendo
Sollicitus, varias volvebat pectore curas
Providus Angariæ præsul, si forte vocarent
Fata senem. Frustra istum alius sperabat honorem,
Quem Ferdinando Virtus Pietasque parabant.
Eligit hunc Clemens; Adjutoremque tuendæ
Destinat Angariæ: tu nunc eris alter ab illo,
Inquit, & imperii frenum moderabere tanti.
Dicta fides sequitur. Bernardum fata tulerunt,
Et Ferdinandus promissis imperat arvis:
Invidiamque sua spectat securus ab arce.
Quid tibi vis autem, Livor? quid carmen, & artes
Objicis Aonias? & nobilitate potentes
Musarum studiis, Musarum fontibus arces?
Non sic Romani veteres, Græcique solebant:
Non sic, Isacidum populus. Dux signa præibat
Amramides, populumqe sui dulcedine cantûs,
Per montes undarum, & per deserta sequentem,
Lenibat, facilemque fugam præstabat eunti,
Auctoremque fugæ, submersamque æquore Mem-
Carminibus patriis, & grata voce sonabat. (phim
Hebræas tenui mulcebat arundine silvas,
Dum patrias custodit oves per pascua Bethlæ,
Pastor Ieëssides: sceptroque insignis & ostro
Rex idem, pastorque hominum, sublime canebat
Carmen, & à belli strepitu post horrida victor
Prælia consuetas de more redibat ad artes,
Pulsabatque lyram digitis regalibus auream
Et vatum & regum clarissimus. Audiit illum
Ipse Deus, placuitque suo modulamine vates.
Quid referam Grajos, Grajûmque exempla secutos
Romulidas, quibus in populis divina Poësis

Se-

Sedem habuit, gladioque ſimul calamoque potentes
Protulit heroas, vateſque, aut vatibus ipſis,
Et vatum addictos ſtudiis? Comitatus Homero
Ibat, in extremas Aſiæ cum tenderet oras,
Terrarum victor Macedo, Macetumque ſariſſis
Cornua devictus ſubmitteret aurea Ganges.
Ille triumphatæ domitor Carthaginis, ille
Scipio, magnificum cui contulit Africa nomen
Armorum clangorem inter, bellique tumultus,
Dulcibus attendit Muſis; terrasque per omnes
Aſſumpſit comitem, nec in ipſa morte revelli
A ſeſe voluit Calabrum poſt funera vatem.
Quid quod & in medio belli diſcrimine Cæſar
Julius, inque ſuis pangebat carmina caſtris?
Nec minus Auguſtus, Divi genus, aurea condens
Sæcula devictis jam gentibus, aurea fecit
Carmina; nec puduit, pacatis omnibus oris,
Tanta in fortuna poſitum, qua frena teneret
Imperii, ac toti morem præſcriberet orbi,
Terrarum domina carmen conſcribere dextra.
Quin & noſtra ſuos habuerunt ſæcula vates,
Carminibus componendis, populisque regendis,
Clarosque eximioſque. Tuæ decus, Auſtria, gentis
Maximilianus Apollinea caput arbore Primus
Induit, & geminâ velavit tempora lauro,
Cæſaris inſignis titulo, vatiſque. Quis autem,
Quis procul ille virûm, Romæ qui collibus altis
Inſidet, ac læva citharam ſuſtentat eburnam,
Crinibus ornatus niveis, triplicique corona?
Agnoſco auguſtumque ſenem, ſummumque poëtam,
Cujus ad inſolitos cantus Rhodopeïa tellus
Intremuit, movitque ſuas Victoria pennas.
Hic vir, hic ille, decus vatum, decus Urbis, & ævi,
Urbanus, qui ſubjecto, cui præſidet, orbe

Nil minor, attonitas trahit ad ſua carmina gentes.
Jam vero magno Urbano digniſſimus hæres
Magnus Alexander? clarum hic quoque culmine Pin-
Nomen habet, vateſque alios ſupereminet, ambo (di
Orbis terrarum moderamine, verſibus ambo
Inſignes, par Pontificum, par nobile vatum,
Qui nunc laudandi pariter, pariterque legendi,
Doctorum volitant hominum, Famæque, per ora.
Quid moror exemplis te pluribus, inclyte Præſul,
Unus tu quoniam mihi ſufficis, & tua Muſa
Grande ſecuturis exemplum ſuggerit annis?
Tu Clarios fontes, Clarios tu denique vates
Aſſeris, & duplici imperio mitraque decorus
Ardua Pierii conſcendis culmina montis,
Invitaſque alios; ſummoque è vertice palmas,
Et lauros, & quærendos oſtendis honores,
Illuſtreſque viros ad facta illuſtria ducis.
Tu proavûm ceris, Princeps generoſe, tuiſque
Non magis illuſtris titulis, quam carminis arte,
Splendidius ceris & honoribus inde parabis
Nomen, & ignava duces de morte triumphum,
Culmine Parnaſſi poſitus; veteriſque, tuique
Præcipuos inter vates memoraberis ævi.
Te tua, te tellus Italûm, te Gallia tellus,
Te varii paſſim populi, longeque remota
Ora canent: te noſtra ætas, te poſtera ſæcla,
Venturique legent, mirabunturque, nepotes.
Sed quid ego, ingenti Muſarum abreptus amore,
Dum vatum canto præconia, teque poëtam,
Præſulis, atque recèns parti obliviſcor honoris,
Angariæ quando terras tibi fata dederunt?
Scilicet hoc meritiſque tuis, tituloque priori
Deerat adhuc. geminata tuos premit infula crines.
Quique tibi Paderæ ſacram ſubjecerat urbem
La-

Latius imperium pandit Deus, & Mimigardam,
Communi tibi jam aſſignat ditione regendam.
Unum illas deſiderium tua juſſa ſequendi,
Idem illas inſtigat amor. nova gaudia paſſim
Concipiunt, tolluntque ſuas ad ſidera voces,
Te pacem inducente tuis atque otia terris.
Nec minus his bona cuncta ſibi, te præſide rerum,
Finitimi ſperant populi. nullum Iſala bellum
Hinc timet; & ſociam gaviſa Sicambria dextram
Porrigit Angariæ. veteres illa exuit iras,
Quanquam armis, quanquam bellis adſueta, ſuique
Tranſit in ingenium Domini, moremque Regentis,
Jam lenis, jam compoſito mitiſſima bello.
Inſolitos certe motus mea patria tellus
Sentit, & æternam poſt prælia longa quietem,
Æternam populo pacem promittit utrique
Non diſſolvendo tibi juncta Batavia vinclo.
Te dudum votis petiit: tibi frena tenenti
Plaudit, & impoſitum capiti gratatur honorem,
Atque tibi, atque tuis optat læta omnia terris.
Quod ſi jam votis patriæ mea jungere, Princeps,
Vota licet; finemque meis inponere Muſis
Omine felici fas eſt: Te maximus æther
Reſpiciat, vultuque juvet clemente, ſuumque
Depoſitum longùm ornandis, longùmque regendis
His ſupereſſe velit terris, & non, niſi vitæ
Jam ſaturum, ſerumque, ſuis accenſeat aſtris.
Ille tibi, dum terram habitas, terreſtria vivo
Commoda det, corpus vegetum, viridemque ſenec-
Quamque tibi tribuit fortunam, donet eadem (tam;
Poſſe frui. Tu vero animo, tu, quo prius, ore
Perge fovere tuos, &, quæ facis, uſque tuere
Otia. Sic te ſemper amet, ſic te colat orbis,
Quem regis; imperiique tui moderamine læta

Floreat Angaria, & Paderæ contermina tellus.
Sic tua Pierides, neglecto culmine Pindi,
Tecta colant, & te multo venerentur honore
Phœbumque Patremque suum. Sic limina ad ista
Innumeri veniant vates, & debita portent
Munera, suspendantque tuo sua carmina templo:
Teque, loci numen, sublimi in monte sedentem
Mille canant linguis, mille oribus, & tua latè
Nomina concordi tollant super æthera versu.
Sic mea, si qua meæ quoque gratia, se tibi Musa
Dedat, & omne sui spatium tibi consecret ævi,
Devoveatque suos, si qua hinc tibi gloria, cantus.



HE-

HEROICORUM
LIBER TERTIUS.

AD EUNDEM

Celſiſſimum ac Reverendiſſimum Principem

FERDINANDUM,

Paderbornenſem & Monaſterienſem Epiſcopum,

EUCHARISTICON.

SUrge, age Calliopea, novumque ordire laborem,
Et Ferdinandi dictas modò dicere laudes
Incipe. Reſpexit vultu nos ille benigno,
Ingentique meum dotavit munere carmen.
Surge age, & inſignem victrix molire triumphum.
Indue ſepoſitas veſtes, caput indue lauro;
Atque iterum fidibuſque novis, numeriſque, modiſque
Præſulis Aonii generoſum pectus, & iſtum
Commemora, quo me Præſul dignatur, honorem.
Et vos, ô vatum communia Numina Muſæ,
Vos unà exultate, animiſque faventibus unà
Debita magnanimo præconia Ferdinando
Dicite, & huc pedibus, Divæ, properate ſecundis.
Veſter honos agitur. vobis hæc otia, vobis,
Quæ facit ille mihi, Princeps facit. Ite frequentes,

Ite citæ; multaque Virum virtute decorum,
Multa animi dote eximium celebrate canendo,
Atque ſecuturis narrate nepotibus olim.
Ignava dudum merſæ caligine Muſæ
Sedibus errabant dubiis; & culmine Pindi,
Culmine Parnaſſi, totoque Helicone fugatæ
Quærebant ſedeſque novas, alioque tenendum
Orbe locum: jamque Auſoniæ ſibi cognita quondam
Luſtrabant arva, & dominæ templa ardua Romæ;
Gallica jam per rura, ſuis habitata Camœnis
Rura, vagabantur mœſtæ, doctaſque petebant
Lutetias; jam, Gallorum tellure relicta,
Per Belgas, Batavoſque, & dilectas prius urbes,
Diverſis errabundæ regionibus ibant.
Nuſquam optata quies. non illis aula regentum,
Non illis magnatum ædes, non ulla patebant
Atria. privatis laribus domibuſque receptæ
Vivebant, ſolæque ſua ſeſe arte levabant.
Nullus honos, nullus cultus ſqualentibus illis
Corporis, ingeniive. ſilent citharæque lyræque,
Nec quicquam, niſi triſte melos, niſi flebile carmen
Ingeminant. marcent lauri: nec jam amplius undam
Caſtalii præbent, obſtructis fontibus, amnes,
Ex quo deſeruere vagæ ſua culmina Divæ.
Viderat errantes, ſolitoque nitore carentes
Ferdinandus, & exilium miſeratus iniquum
Excipit hoſpitio profugas tectoque Camœnas.
Nulla mora eſt. alii cultus, alia ora repente
Emicuere. prior facies, & digna Deabus
Forma redit: rediere artes; & pectine læto
Artis Apollineæ doctæ cecinere Magiſtræ
Suave melos: fidibus reſonant tecta alta canoris.
Hîc ſedes illis ſtabiles, tandemque quietas,
Magnanimus donat Princeps: aulaque receptas
In-

Interiore Deas omni pietate fideque;
Omni relligione colit, recreatque fovetque,
Altricesque suas animo sustentat alumno.
Scilicet ista tuæ, Germania, gloria terræ
Debita, sacrorum Phœbo non larga virorum
Ante parens, nunc Principibus fœcunda poëtis,
Ista reservata est tibi gloria. Surgite silvæ
Hercyniæ, totoque comas expandite Olympo.
Tuque adeo, Germanarum dominator aquarum;
Seu te Istrum, seu Danubium cognomine dicunt;
Et tu Rhene pater, diversum ab origine prima
Quamlibet itis iter, caussa nunc lætus eadem
Findite uterque solum, latéque vagantibus undis
Stringite subjectam majore volumine ripam.
At tu præcipue, Angariæ modò rustica tellus,
Nunc studia, & doctas gremio complexa Sorores,
Principe Ferdinando, Italis qui advexit ab oris
Ausoniæ quondam dulces telluris Alumnas,
Tu gaude exultaque, & tanto Vate superba (phos.
Duc agedum, duc tandem alios Mimigarda trium-
Tuque tuo cara ante omnes, dilectaque semper
Urbs Domino, gratare tuo Padeborna fluento:
Et vos vicini colles, genialiaque arcis
Culmina Neuhusiæ, Musis loca nata fovendis,
Tollite sublimes cœlo capita ardua turres.
Vos habitat Ferdinandus, vos invehit astris,
Vos Musis addicit. amant hæc culmina Musæ.
Nec jam illas Pindi, nec jam bifidi Parnassi
Tangit amor. sordent Graji, juga barbara, montes,
Neuhusio præ colle: placent ante omnia colles
Neuhusii: dignos Musis ubi reddit honores
Devotus Musis Princeps: ubi larga rependit
Munera, nec steriles cantantum præmia lauros.
Senserat hoc, famamque Viri generosaque dudum
No-

Nomina per terras passim dispersérat omnes
Rumor, & attonitos exciverat undique vates.
Ocyus accurrunt alacres, facundaque plectra
Principis Angarii in titulos vocemque resolvunt
Dilecti Phœbo vates, & ab omnibus oris
Agmine conveniunt denso. venit accola Rheni,
Accola Danubii: vitrei qui prata Visurgis
Calcat, & Amisii liquidam spatiatur ad undam:
Qui Scaldim Mosamque tenent, Rhenive bicornis
Margine cærulei degunt prope litora ponti: (gro
Qui Ligerim, Rhodanumque bibunt; quos gurgite pi-
Lambit Arar; quos fœcundo rigat amne Garumna;
Et quos Sequanidum stringit Rex altus aquarum:
Sebethi quicunque undam, Tiberinaque potant
Flumina; formoso quos gurgite dividit Arnus,
Vorticibusque secat rapidis Phaëthontius amnis;
Et quos vicinis Athesis pater alluit undis.
Uno omnes illum ore sonant, illum æthere toto
Amnibus exciti patriis modulantur olores,
Certatimque suis tollunt ad sidera pennis.
  Ipse sub herboso spatiosæ margine ripæ
Editus, ex illo dictam qua lubricus urbem
Influit & vasti miscetur fluctibus Yæ
Amstela, cycnorum exemplo hortatuque priorum,
Arte laboratas humeris audacibus alas
Ausus sum inducere, & pariles tentare volatus
Ales ego, insuetumque novo petere aëra cursu,
Herois fama, & magno stimulatus amore.
Nam quis non cantet, quis non amet, omnium amo-
Qui meruit? quis carminibus fidibusque Latinis (rem
Insignem, vatemque ipsum, vatesque juvantem
Usque alios, summo vates non æquet Olympo?
Certe ego qui primis suspexi semper ab annis
Dulcia Pieridum studia, & præclara canentum
Car-

Carmina, divini cœleſtia Principis ora,
Et quam fœcundo promit de pectore Suadam
Non potui non mirari, cœlique ſub auras
Ferre meis numeris dilectum ad ſidera nomen.
Nam ſi in privatis res ſacra & ſancta Poëſis
Creditur, excelſo natis in honore locoque,
Principibuſque viris ſi dos obvenerit iſta,
Qualis cenſeri debet? quo carmine dici?
Hinc mihi prima tui, Princeps, cauſſa orta colendi,
Primus & ingenio venit calor. Ocyus omnem
Deſidiam ſuperare, & inertia rumpere vincla
Muſa dedit. Paderæ mox ſacra ſubivimus antra,
Imparibuſque tuam pedibus calcavimus aulam.
Antra patent, patet aula, & nulli clauſa poëtæ
Janua. Tu vultu læto, tu fronte ſerena
Excipis ipſe meas, vatum celſiſſime, Muſas,
Et legis, & laudas etiam, clauſtroque fideli
Aſſervare jubes noſtros tua ſcrinia verſus.
Quin & præſentem præſens admittis ad ora
Me tua. me menſis adhibes epuliſque Deorum,
Inter honoratos comites, quando inclyta terræ
Mœnia luſtrares Batavæ, patriique relicto
Fonte Padi hanc noſtram, docta ſtipante caterva,
Sepoſitis premeres titulis & honoribus urbem.
Quæ ſpecies! qui frontis honos! quantum inſtar in illa!
Qui cultus, quæ forma Viro! quæ gratia fandi!
Quæ verbis, dictiſque fides! quæ copia linguæ
Auſoniæ! quæ cognitio & prudentia rerum!
Quam blandi rurſum vultus tibi, quamque remiſſi,
Vixque tui; par ut poſſis ſimiliſque videri
Privatis, nobiſque! meæ præconia Muſæ (cum tu
Nam quid commemorem, Princeps, mea carmina
Per me oblata tibi legeres, atque ore favente
Proſequerere meos numeros, blandiſque canentem
Vo-

Vocibus, ac verbis exhortareris amicis?
His ego devinctus meritis, non dona petendi,
Non tibi adulandi ſtudio (quod abominor) ullo,
Te cecini, laudeſque tuas; tibi condita miſi
Carmina, facundum latè ſpargentia nomen.
Adſpicis ore meas & eodem lumine Muſas
Quo prius, & multi eloquii, multique favoris
Plena tuum nobis, Princeps, teſtatur amorem
Littera, quaſque mihi nunquam meruiſſe licebit,
Quas ſperare nefas fuerat, me laudibus ultro
Accumulat, vatumque ſacro numeroque choroque
Inſerit, atque meas aliquid putat eſſe Camœnas.
Nec ſatis: inſignem huic alium ſuperaddis honorem,
Ornatumque tuis verbis calamoque poëtam
Ipſis exornas rebus, laudumque tuarum
Inſuper eximio præconem munere donas.
Admirer quidnam prius hîc? num nobile donum?
Num dantem, dantiſque animum, cauſſamque, modumque
Donandi? ardoremne illum, ſuaviſſima quo tu
Muſarum ſtudia, & Clarias amplecteris artes?
Exiguum certè non eſt, & principe dignum
Munus, & huic ipſi, qua tu ſplendeſque niteſque,
Fortunæ bene conveniens, quod habere dediſti.
Fallor, an auratos mediis è nubibus imbres
Depluit, & pluvio caſtus deſcendit in auro
Juppiter? an noſtro redeunt ſæcla aurea mundo?
Tempora tu ſanè nobis ea reddis, & ævo
Saturni primoque orbi quod defuit aurum
Huic noſtro impendis ſæclo, fœcundaque paſſim
Munera per varias terrarum dividis oras.
Rarus honos, quîſcunque viris ille obtigit, & quem
Tanti equidem facio, ſi fas modo dicere, quanti
Ferdinande tuum, quo nil mihi majus, amorem.
Verum

Verum ut per ſeſe pretioſum munus ab ipſo
Dante capit pretium, qui rem commendat; & inde
Gratior accipienti eadem atque acceptior illa
Eſſe ſolet: ſic munus idem tu extendis, & auges
Ipſius doni pretium: nec tam mihi donum,
Quam dator; aut munus placuit, quam muneris auc-
Res magna eſt, tali donari munere; major, (tor.
A tali tantoque. Tuo de nomine, Princeps,
Omnis honos, omnis, quæ certè ſumma, redundat
Gloria. Sublimi te ſors tua ſede locavit:
Tu gemina fulges mitra: tu duplice freno
Subjectas latè gentes moderaris, & urbes.
Et ſi principibus rerumque potentibus haud eſt
Ultima laus placuiſſe viris; quæ gloria Muſæ
Parta meæ, Domino undarum, Padeborna, tuarum
Quæ placuit, placuitque tuo, Mimigarda, Regenti?
Contigit hic ſolus nec honos mihi: glorior illo
Principe, Regnantes ignoſcite, glorior illo
Vate magis: noſtros intelligit ille labores,
Ipſe poëta, poëtarum clariſſimus ipſe.
Nec vero vatum è numero ſolertior alter
Aut verſus facere, aut factos dignoſcere verſus,
Hoc uno ſoloque, omnem qui pectore Cyrrham
Inbibit, & Latiæ penetravit in abdita linguæ,
Sacratus dudum Phœbo Muſiſque Sacerdos.
Confectos ſed enim curſus, doctiſſime Præſul,
Quid relegam, rurſumque alto dans lintea ponto
Non renovanda tuæ repetam præconia Muſæ?
Jampridem terras illis implevit, & omnem
Fama polum; noruntque tuas ſpatia ultima Muſas,
Iſtaque venturi diſcent monumenta minores.
Tu modò, Pierides aliquam quo judice famam
Invenere meæ, mihi tu ſine gratuler iſto
Nomine, néve tuas offendam his vocibus aures.

Eſt

Est quiddam placuisse tibi. te nostra superbit
Musa, nec Icarii meminit temeraria fati.
Nunc aliquid spondet de se sibi, nunc pede summam
Tangit humum, nunc aërias se attollit in auras.
Et merito. nam, privatis placuisse poëtis,
Si pulchrum egregiumque; tibi potuisse placere,
Quam pulchrum illud idem, tanto Vatique Viroque?
Adde quod est animi, nec tu, reor, ipse negabis,
Æternumque tui monumentum & pignus amoris,
Quod tua magnificum tribuit mihi dextera donum.
Quid dubitem? prorumpit; & indubitanda relinquit
Signa sui; verbisque simul se prodit, & ipsis,
Signa quibus nequeunt magis esse potentia, rebus.
At quæ te ratio, Princeps, quæ denique caussa
Impulit, hoc ipso afficeres ut honore, nec istum,
Nec minimum, qui se meruisse fatetur honorem?
Certè ego tale nihil merui: meruisse putasti
Tu modò me. tu, qui per sese non satis illo
Dignus erat, dignum ipse facis. sententia sitne
Justa, an justa parum, non nostrum est dicere. tu me
Esse putas talem. Lætor, sileoque: tuumque
Judicium non agnosco, sed pronus adoro.
Nec vero votis illud precibusve pudendis
Extorsi, aut aliqua prensavi callidus arte,
Elicuique tuum misso tibi carmine donum.
Nil petii, nil speravi: tu porrigis ipse.
Utque ego spontè tuæ cecini præconia Musæ,
Artis Apollineæ solo pellectus amore,
Atque tui; dum virtutes mecum ipse revolvo,
Admirorque tuas: ita tu mea verba, meumque
Spontè vicissim alio pensasti munere munus,
Quando tibi non displicui, si credere verbis
Est mihi Ferdinande tuis, ut credere justum est.
Quare nominibus longè mihi gratius istis
Esse

Esse tuum debet munus, quia munus, & auctor
Muneris, auctorisque animus, ratioque, modusque,
Omnia plena tui, generosaque: quo mihi monstras
Quod pretium sacris, quæ quantaque præmia Musis,
Musarumque sacris cultoribus, optime Princeps,
Esse velis. Florent Clariæ te vate Sorores,
Ingenti quas tu studio, ingentique calore
Et nutrivisti, & porro nutrire laboras.
Et quid principibus præclarius, aut mage dignum
Esse queat, quam si Aonias & Palladis artes
Promoveant,foveantque?Nihil nec sanguine Avorum
Nec titulis æquabilius, meliusve, magisve
Eximium. Saltent alii, ducantque choreas:
Contendant alii rudibus, tractentque periti
Armorum genus omne:feras petat ille fugaces,(prum:
Aut cervum,aut leporem, aut metuendum viribus a-
Hic agilem conscendat equum, flectatque volentem
In gyrum, & gressus doceat glomerare superbos:
Hic sese in medios, qua Mars acerrimus, hostes
Ingerat, & multo pecudumque hominumque cruore
Fœdet humum, curruque sedens sublimis eburno
Strage virûm innumera, & spoliis exultet ademptis:
Qui vero pulchram divinæ particulam auræ
Excolit, & longè potiorem corpore mentem,
Is verè demum mihi nobilis, is mihi princeps,
Is mihi homo, multoque aliis humanior, ipsi
Proximiorque Deo est, qui mens est totus, & omnem
Mente sua terrarum orbem, cœlumque gubernat,
Unde genus nostrum deducimus, & sumus illud
Quod sumus, æthereo deductum germen Olympo.
Sedibus his igitur, nostrique ab origine prima
Quisquis degenerat minimum, minimumque recedit,
Atque iterum sese in superas mente asserit auras,
Major habendus homo est,major, me judice,princeps.

Eſt etenim in populo princeps, niſi me mea fallunt
Arbitria, in bello quod dux, in puppe magiſter.
Hic homines regit, ille ratem: prudentia ubique
Regnat, & aſſiduum mentis, non corporis, uſum
Flagitat, atque oculis animi videt omnia puris.
Illa ducem, aurigamque facit; facit illa regentem.
Laus ea, Ferdinande, tua eſt. Tu mente ſagaci,
Prudenti tu conſilio, tu legibus æquis
Parentem frenas populum: tu Palladis igne
Uſque cales, vigilemque animum nunquamque re-
Aſſiduo intendis ſtudio: tu, percitus œſtro (miſſum
Pectus Apollineo, Muſarum dulcibus undis
Ora rigas, Padulique ſacrum projectus ad antrum
Ignotas vulgo latebras ſcrutaris & umbras.
Hîc tu divinam (quid enim divinius illa,
Utpote quæ cœli donum, delapſaque cœlo?)
Exerces artem; doctiſque Sororibus ultro
Hoſpitium indulges placidum; ſemperque ſereno
Dotibus inſignes ullis, aut dotibus iſtis,
Excipis ore viros; & claros carmine vates
Muneribus ditas variis, & meſſibus aurëis.
O generoſe animi, quem pulchro à tramite Recti
Corrupti non avertunt contagia ſæcli!
Tu ſæclum, tu fortunam, tu regia ſupra
Culmina, dilectas dulceſque ante omnia Muſas
Ipſe colis, parilique animo ſacra iſta colentes
Diligis, atque aliis ſcriptum non dente maligno
Rodis opus, quia par primis, quia pectus honeſtum
Eſt tibi, & ingenuas animus formatus in artes
Tu cuiquam invideas, Princeps? tu noſtra repellas
Carmina? collaudas etiam: præclaraque nobis,
Invidioſa ſuper præconia, munera donas.
Nempe ita Naturæ viſum eſt, quæ ſemina claris
Indidit iſta viris; rerumque ad grandia natos,
Quos

Quos famæ, quos laudis amor, venturaque tangit
Gloria, perpetuo Musarum inflammat amore.
Musa viros bello egregios, atque horrida cantat
Prælia: Musa mori prohibet, famamque perennem,
Seraque victurum donat per sæcula nomen.
Troja quid, & magnus Trojæ populator Achilles,
Æneas quid Dardanius, quid conditor Urbis,
Quid Pœnus, quid Pœnorum post segnia victor
Fata foret? quid Pompejus, quid Cæsar, & ille
Qui septemgeminis Romæ de collibus orbem
Sub pedibus vidit domitum, si barbara sæcla
Obstarent meritis, & iniqua silentia, tantis?
Idem equidem tumulus, qui corpora texit, & omnem
Obrueret famam pariter, longaque sepulti
Nocte, sub æternis tenebris, sine honore, sine ullo
Nomine, neglecti dudum, ignotique jacerent.
Unde, neque immerito, clava tergoque leonis
Insignem, Jove progenitum, Jovis arce receptum,
Monstrorum domitorem illum truciumque ferarum,
Musarum quoque fautorem cordata vetustas
Finxit, & admonuit claros docuitque nepotes,
Nominis ut curam gererent, ævumque per omne
Ultima mansuris irent in sæcula chartis.
Illud idem Æacidum pulchro de semine cretus,
Extremum sibi qui Gangem subjecit & Indum,
Invictus vidit Macedo. Rerum ille suarum
Tot circumseptus scriptoribus, Hectoris urbem,
Et consanguinei spectans in litore bustum,
Constitit ingemuitque tamen, juvenique beato
Inviditque suum, sibique exoptavit, Homerum.
Hic etenim est magnis innatus mentibus ardor:
Magna petunt. vulgare nihil placet: omnia celsa,
Omnia summa juvant. & quo quis major, eodem
Hoc ipso calet igne magis, majoraque semper

Ambit, & æternæ laudis ſtimulatur amore.
Namque nec humano generi fruſtra iſta cupido
Ingenita eſt, neque laus omnis ſpernenda, nec omnis
Mentibus exſtirpanda eradicandaque noſtris
Gloria, magnarum calcar faxque unica rerum.
Hac ſine nil agitur, nil ſcribitur: hac ſine torpent
Omnia, & æterno vincitur frigore mundus.
Hæc eadem bello claros, dextraque timendos
Cogit in arma viros: eadem ſtudioſa fatigat
Pectora, nec totas patitur requieſcere noctes.
Uno ambo flagrant ſtudio: ferventibus ardent
Ambo animis: ambo ſtimulis agitantur honeſtis.
Urit amor; blanditur honos; invitat honorum
Fama comes; longumque decus, lauroſque perennes,
Venturumque ſuis ſpondet cultoribus ævum. (vam
Tu quoque, qui bellique Deam ingeniique Miner-
Ritè colis, non qua illa manu fert angue minantem
Ægida, ſed mitem populis prætendit olivam;
Tu quoque (nec pudeat, nec te, precor, ignis honeſti
Pœniteat) facibus, Princeps, accenderis iſtis.
Tu quoque, quo magnæ mentes ducuntur, amore
Nominis æterni, pulchræque cupidine famæ
Duceris, atque animo venturum proſpicis ævum.
Scilicet haud nihil eſt, juſti rectique bonique
Conſcia mens, & dote ſua ſibi cognita virtus,
Et meritis innixa ſui fiducia tantis,
Et laus, & fama, & ſæcli venientis imago,
Et duraturum nullo non tempore nomen.
Quod quanquam ipſe tibi poſſis dare: quod tibi quan-
Ipſe tua dudum dederis virtute, nec ullo (quam
Ullius indigeas calamo: tamen undique laudes,
Et ſeros, quos ipſe equidem non poſcis, honores
Cum tribuant, unoque tibi dent ore poëtæ;
Teque, vel invitum, cœlo ſuperiſque reponant
Sedi-

Sedibus, ac sæclis tradant memorentque futuris:
Ne quæso indignere, pio si pectoris æstu
Motus ego, ingentique tui percussus amore,
Præconum in partem veniam vatumque tuorum.
Nam quis te norit, nec prædicet? omnia sponte
In laudes sese ora tuas, animique resolvunt.
Tu facis ingenium: tu verba canentibus apta
Suggeris; & stimulos acres sub pectore condis.
Artibus hoc etenim proprium, de more regentis
Ut vigeant, sumantque suo de principe vires.
Hujus ad exemplum se quisque effingit, & artes
Excolit, ipse quibus princeps famamque decusque
Conciliat. Nam quanquam humili nos gloria sæpe
Tollat humo, seque ipsa suo mens incitet œstro,
Jam fortisque valensque: tamen non acrior ullus
Irritat mentem stimulus, quam principis aura.
Ille animos, magna ille animis calcaria subdit:
Ille suum studiis pretium, sua denique ponit
Præmia. vel segnes accendunt præmia mentes.
Nonne videmus, ut Eleo de carcere fusus
Pulset humum sonipes, vicinaque flumina Pisæ
Pervolitet, donec mediam dimensus arenam
Radat Olympiacæ victor spatia ultima metæ?
Defluit ex humeris sudor: rota pulvere fervet.
Usque adeo palmæ nil non affectat amore!
Idem artes agit ardor: amant & præmia Musæ;
Nec generosa suas despectant pectora palmas.
Virtuti hic debetur honos. hic excitat illam:
Hic acuit. Non olim aliâ caput intulit astris
Roma viâ, linguaque viros dextraque valentes
Felici eduxit fœtu. promisit honores,
Promisit titulos; septemque è montibus orbis
Romani latè undantes ostendit habenas.
Nunquam alias tantùm Suada, aut Mavortia virtus

Enituit. tunc æthereas eadem inclita mater
Scipiaden, cladem Libyæ, produxit in auras:
Et te Romanæ, Tulli, facundia linguæ.
Quippe ibi sunt artes, ubi præmia. præmia desint,
Ipsæ deficient artes, spissaque jacebit
Barbarie, spissa obductus ferrugine mundus.
Hæc, si cujusquam, tua gloria: tu sua Musis
Præmia, tu meritos, Princeps, concedis honores;
Divitiasque manu larga, nec parca refundis
Munera: cumque suis reliquæ cultoribus artes
Sufficiant fructum, & multa sint messe benignæ,
Sola poëtarum studia infœcunda relinqui,
Commodaque ingeniis steriles dare nulla Camœnas,
Indignum injustumque putas; &, præter inanem
Applausum, præter lauros, consuetaque Phœbi
Serta, istis aliquid palmis pretiosius addis.
Nec frustra. invitant Musas ea præmia nostras,
Accenduntque, acuuntque, &, quo jam sponte ruebant,
Dulcibus inpellunt stimulis. En, undique vates
Deproperant, limenque tuum turba omnis adorat.
Ut Clariæ florent artes! ut carmina fundit,
Ut plaudit tibi quisque; suo dum monte fugatas
Colle tuo, tectoque foves meliore Sorores!
Namque viris in principibus quid pulchrius, aut quid
Laudandum magis, Aonidum quam sacra colentes
Assiduo ante omnes studio, Aonidasque fovere?
Hic labor, eximiis hæc ævo semper ab omni
Cura viris. Sic quadrijugo per litora curru
Vexit Aristoniden, multo ditavit & auro,
Trinacrii rector populi. Sic, Martis alumnus,
Magnus Alexander, Persas dum vincit & Indos,
Scriptores tamen innumeros ope sedulus omni
Nutriit, & parilem Musarum ostendit amorem.
Talis ab hoc ipso posita Ptolomæus in urbe
Arti-

Artibus ingenioque viros calamoque potentes,
Undique conquirebat, & ære domoque juvabat,
Regibus exemplum egregium ſæcliſque futuris.
Talis & ille fuit, Turri qui celſus ab alta
Effudit ſua dona, canendique arte peritos
Muneribus variis opibuſque ingentibus auxit,
Tuſcus eques; claro cujus de nomine nomen
Poſt tot Muſarum fautores ſæcula ſervant.
Vicerit Auguſtus Siculos, multoque cruore
Tinxerit Æmathios, genitor ceu tinxerat, agros:
Fuderit Actiacas puppes; vinctoque duello
Egerit inſignes, domita tellure, triumphos:
Ille dedit Flaccos orbi; dedit ille Marones.
Finibus ejectus patriis, prope flumina Minciî
Mœrebat Maro: mox dominam pervenit in urbem
Nudus, & erepto proavorum pauper agello.
Accipe agros, inquit Mæcenas; accipe, vates,
Divitias; en digna tuis, en, præmia Muſis.
Nec mora: majorem vates ſub pectore flammam
Sentit, & antiquos Galateæ deſpicit ignes.
Concipit Ænean; bellumque, & prælia cantat
Itala, qui tenui Culicem modò luſerat ore.
Adjice Scipiaden, Calabræ quo vindice Muſæ
Attollunt lætum cœlo caput: adjice Magnum
Pompejum, cultumque ſuo dictumque Tibullo
Meſſalam; lacrymaſque inter gemituſque Sororis
Immatura nimis Marcelli fata gementem
Faſcibus Auguſtum poſitis, Flaccumque Maronem-
Etruſco pariter cum Mæcenate foventem. (que
Non aliter, dederat tenebris ubi terga fugatis
Barbaries, gentis Mediceæ gloria Coſmus
Maxima, & ejuſdem gentis ſpes altera Laurens,
Pierias omni officio ſtudioque ſorores
Demeruere. illæ tectis primiſque relictis

Sedibus Ionios ingenti examine fluctus
Trajiciunt, intrantque tuos, Florentia, muros. (nam,
Nec minus his Romamque suam, terramque Lati-
Ausoniamque omnem, de semine natus eodem
(Seu transmittuntur majorum in semine vires,
Seu Domui id proprium huic) doctorum divite messe
Complebat, donisque suis & munere crebro
Artis Apollineæ gnaros citharæque scientes
Ad se pellexit Decimus Leo, maximus ille
Antistes studiorum. undabant Itala passim
Oppida Pieriis, undabant arva, catervis.
Non ego Gregorium, qui tramite pulcher eodem
Pressit magnanimi vestigia sacra Leonis,
Prætereo: non Franciscum cognomine Primum,
Sequanidum, cœlo attollit quos gloria, Regum
Grande decus; quo vix alium regionibus ullis
Majorem Mæcenatem videre Camœnæ.
Nec tu carminibus non dicta tacebere nostris
Urbs Venetum, quæ Sincero tam grande dedisti
Exiguo donum pro carmine: non ego Bembum,
Non ego Flaminii fautorem, non ego Magnum
Hîc Carolum, Carolumve tuum Ronsarde silebo.
Prisca quid adduco, proavitaque? Vidit & ætas
Nostra, virum dicam regemque, an rege viroque
Majorem reginam? artes quæ docta Pelasgas,
Et Latias, sumptu ingenti invitavit utrasque
In Boream, & Geticæ sidus glaciale sub Ursæ,
Intactam Musis terram: doctæque Minervæ
Æmula, nunc Martem exercet, nunc mollibus ulnis
Regalique artes gremio fovet, altera Pallas.
Quis tum ibi confluxus, doctorum quanta virorum
Copia! qui, qualesque viri! quæ gloria Musis
Addita, Christina gelidos frenante Triones!
Arctoas vixdum Regina reliquerat oras,
Quan-

Quando illas unà profugæ liquere Camœnæ
Ocyus, & celſam Luparæ venere ſub aulam.
Hic ſedes illis placidas, æternaque templa,
Maximus aſſignat Lodovix, clariſſima gentis
Gloria Borboniæ, quo nunc moderante ſuperbit
Gallia, & ingentes attollit Sequana fluctus.
Ille decus bellatorum, regumque potentum,
Mille reportatis dextra victrice tropæis,
Affectat palmas alias; nec Marte feroci,
Quam Phœbi ſtudiis & partis pace triumphis
Major, Apollineâ circumdat tempora lauro:
Ille viros arte eximios, quos Gallia mater
Educat, includitque ſuis urbs regia muris,
Sumptibus invitat variis; Muſiſque dicatam,
Atque Academiæ veteris de nomine dictam,
Format, & impenſis ingentibus excitat, ædem;
Qualem Palladiæ nunquam vidiſtis Athenæ:
Ille Navarræo ſceptro, ſceptroque verendus
Sequanico, ſolioque ſedens ſublimis avito,
In plures orbis partes, qua litora tundit
Oceanus, terramque ingens circumſonat æquor,
Munera diſtribuit plenâ regalia dextrâ.
Circumſtant regni Proceres, mediumque coronant:
Ante alios Montozerius, cui publica vota
Credidit, & Gnatum Genitor commiſit alendum,
Formandumque dedit Latias Lodovicus in artes.
Artibus hic clarus variis, regalia doctis
Dona recognoſcit manibus, terraſque per omnes
Spargit, & in varias mundi diſſeminat oras.
Nec ſparſiſſe ſemel ſatis eſt: Rex annua multis
Dona viris, Rex, venturum quod proſit in ævum,
Diverſis donat populis (quis credere poſſit?)
Perpetuatque ſuum generoſo pectore donum.
Hujus ad exemplum, tam magno principe, Princeps,

Nil minor, Aonias ſtudiis ingentibus artes
Proſequeris, paribuſque animis his æmula præbes
Munera, & Europæ partes diffundis in omnes.
Innumeras inter dotes haud ultima dos eſt
Iſta tuas. Hanc intactam prudenſque volenſque
Præterii, tua cum canerem præconia verſu
Ferdinande meo, ne, quod mihi ſpontè dediſti,
Indigno affectare modo, atque ambire, viderer.
Tu clarum dic Muſa virum, nam dicere poſſe
Ipſe dedit: tu magnanimum, tu carmine dignum
Concine Ferdinandum. etenim generoſior illo
Nemo, nec ingeniis alius Muſiſque fovendis
Pronior, officio vel commendatior ullo.
Nec ſane vates alium, doctæque ſorores,
Hoc ſibi fautorem cupiant: nec munera tanti
Ulla facit Pæan. Multi, diſcrimine nullo,
Judicio ſæpe alterius ſua dona profundunt:
Ille ſuo. non conſiliis, non ille miniſtris
Indiget; aut aliquam præbere monentibus aurem
Moris habet. quos ipſe probat, quos eligit ipſe,
Muneribuſque ſuis dignos putat, his ſua donat
Munera; nulliuſque rei, quam laudis, avarus
Grandibus accumulat Muſarum altaria donis.
Quippe viris Muſas aliis cum ſæpe fovere
Sufficiat, quanquam ignorent quid amœna Sororum
Sacra, quid Aonides: hic illas pectore toto
Diligit, & primo ſemper dilexit ab ævo,
Artis Apollineæ citharæque peritus, & ipſe
Præcipuos inter nomen memorabile vates.
Hic verum pretium ſtudiorum intelligit: idem
Hic facit: & gemino Muſarum accenſus amore
Ipſe colit Clarias, &, quas colit, excitat artes.
Pergite, Pegaſides: doctique ad Principis aulam
Tendite. non meliorem alibi ſedemque locumque
In-

Invenietis Hyanteæ, mihi credite, Divæ.
Hîc centum vobis aras, delubraque centum
Constituit Ferdinandus, sacrisque litatis
Ritè facit, flammisque pios inponit honores
Ordinis Aonii princeps. Comitantur euntem
Mille viri, mille egregii longo agmine vates.
Aut has, aut illas multo bonus adjuvet artes
Ære alius: vel quæ radio scrutantur Olympum;
Vel quæ suppostam pedibus rimantur arenam;
Vel quæ Naturæ caussas, & semina rerum,
Atque ignota prius produnt miracula; vel quæ
Inventis gaudent medicis: ars vestra, Camœnæ,
Vindice Ferdinando, alias super ardua cunctas
Eminet. Utque animo reliquas complectitur omnes
Addictus studiis Princeps; sic omnibus unam
Prætulit, & cura eximia, totaque Poësim
Mente fovet: non vulgarem, tritamque, novamque;
Sed veterem, sed divinam; sed qualis Olympo
Proxima, natalique recens ex æthere Diva
Montibus insedit Latiis, cum barbara sæcla
Nondum polluerant puri sacraria Phœbi.
Jam priscos vobis habitus, vultusque priores,
Jam solitas vobis sedes amissaque templa,
Jam nemora, & fontes, habitataque culmina, Musæ,
Magnanimus reddit Princeps. Non ardua Pindi
Nunc juga, non Grajas posthac optabitis undas.
Pro Pindo, pro Parnasso, sunt culmina vobis
Neuhusii: pro Pegaseâ, pro Phocidis undâ,
Vicini Fontes Paderæ, Padulique perennes:
Pro Phœbo, Ferdinandus. Nec vitrea desunt
Flumina. Phœbeos lento cum murmure muros
Luppia, & exiguo cum murmure lambit Aliso:
Proxima Pierios ostendunt jugera campos.
Vernantes latè saltus, frondesque comantes

Ad-

Adſpicio: video ingentes turgeſcere ſilvas;
Summaque Daphnæis undare cacumina ramis.
O nemora! o doctis habitanda Sororibus arva!
O fontes, fluviique! o frondenti obſita muſco
Antra, Camœnarum veteres referentia lucos!
O blandum hoſpitium Muſarum, & in otia natum
Neuhuſium! o ſi nunc celeres mihi commodet alas
Dædalus, atque iſto ſublimem monte reponat!
Aonii ſalvete lares, ſalvete remoti
Templa jugi: tuque illius ſanctiſſime templi
Præſes, Apollineâ circumdate tempora vittâ:
Sit mihi fas docti nemoris luſtrare latebras,
Audacique manu ſacrum decerpere ramum,
Qui mihi per calles dubios, ignotaque rura
Monſtret iter: quali decerptus ab arbore quondam
Ænean ope ſatidicæ monituque Sibyllæ
Duxit in Elyſios felici tramite campos.
Nil opus eſt: patuere fores. pro germine dextram
Porrigit, & vultu placido lenique ſuoque
Ipſe ſuas ultro Princeps invitat in ædes,
Hortaturque procul venientes, ſacraque Muſis
Limina dilectis aperit reſeratque Poëtis.
Salve inquam, ſalve Auſoniæ ſpes unica linguæ:
Salve iterum. tibi ſe totam Romana Poëſis,
Antiquum tibi ſe eloquium, tibi temporis hujus
Præcipui ſeſe vates, tibi carmina debent
Se mea,& hunc ipſum agnoſcunt pudibunda favorem.
Nam quis divinam ſtudio majore Poëſim
A teneris ſeros ævi labentis in annos
Arripuit; tantumque, & tam conſtanter, amavit?
Multi illam amplecti incipiunt, lanuginis ætas
Dum vernat: dum fortunæ moderatior illos
Aura fovet: poſtquam titulos & nomina adepti,
Quam modò dilexere, ingenti ſpernere faſtu
Sæpe

Sæpe ſolent. Tu contra animo non deſide, Princeps,
Nunc quoque, tot titulis & honoribus auctus, amatas
Pergis amare Deas. Per te privata Poëſis,
Nobilibuſque indigna viris, neglectaque jam non
Res erit, aut viles inter numerabitur artes.
Tu juſtum his ſacris pretium, nomenque decuſque
Concilias: tu victurum, tu principe dignum
Ipſe facis carmen: nec te pudet, inclyte Præſul,
Phœbeam vittæ geminæ conjungere laurum.
Quid, cum Luciæ, quid cum votiva Liborîo,
Meinolphique ſacro perſolvis munera buſto?
Quid, cum Cæſareas aquilas, tædaſve jugales
Concelebras? Quid, cum Galli victricia regis
Prælia, & innumeras inſigni carmine palmas
Concinis, & partos diverſo Marte triumphos?
Nec deſiderio, Princeps, ſtudioque minore,
Quam canis ipſe, aliis animo cantantibus æquo
Adſpiraſque faveſque, & amantes carmina vates,
Jam cupidos, jam ſpontè ſua tua caſtra ſequentes
Propoſitâ accendis palmâ, nutriſque, juvaſque,
Muneribuſque beas variis. Ingentia teſtor
Nomina, Pierium dudum cantata per orbem;
Egregios quorum inſolito de more labores
Sumptibus ipſe tuis doctas in luminis oras
Aut nunc ire jubes, aut jam mox ire jubebis:
Walliacam teſtor Muſam, Muſamque Rapini,
Scriptaque Frizonî ſublimia, ſcripta Ruæi;
Innumeroſque alios: & te, clariſſime Torcki,
Et te, Veronæ magnum, terræque Latinæ,
Maure, decus; nunc Angariæ laus inclyta terræ.
Vos ego, vos teſtes hîc invoco: vos mihi verum
Adſtruite Aonii, ſiquidem noviſtis, alumni,
Donaque munificæ ſenſiſtis plurima dextræ.
Quanquam ô, præſidio veſtro, quanquam ullius ore
Haud

Haud eget, illuſtres animæ, res iſta. vel unus
Teſtis ego, exemplumque animi, rerum optime Prin-
Grande tui. tu me ingeniis, tu vatibus iſtis (ceps,
Annumeras: tu me vultu dignaris amico;
Devotamque tibi Muſam, tua tecta petentem,
Excipis hoſpitio; nec laudem, aut ulla merentem
Munera, muneribus doniſque ingentibus ornas.
At tibi tam inſigni quales pro munere grates
Optime perſolvam Princeps, quæ denique verba
Inveniam? Non, ſi centum ſtent gutture linguæ;
Non, mihi ſi fontes omnes undaſque recludat
Dives aquis Helicon; non, ſi ſua, vel tua, Princeps,
Fila meis aptet digitis Romanus Apollo;
Debita concinerem meritis ego carmina tantis.
Muta lyra eſt: torpent digiti: vox faucibus imis
Hæret, & attonito fuſtra ſe quærit in ore;
Quaſque valet, tacito grates ſub pectore ſolvit.
Eſt illic iſtos animus qui lætus honores
Sentiat, Officiique hujus non immemor ullo
Tempore, perpetuum, vitales ſpiritus artus
Dum reget, auctori ejuſdem conſervet amorem.
Hunc cape, Ferdinande, meum nec reſpue donum
Hoc leve, quandoquidem majus, quod reddere poſſim,
Non habeo. placant ipſos ea munera Divos.
Si tamen & verbis referenda eſt gratia & ore
Inſuper, (ulla licet poſſit quæ digna referri?)
Accipe & hanc: neque me præſens, neque (pagina pig-
Hæc erit) ingratum adveniens me nominet ætas. (nus
Si qua meæ virtus Muſæ, ſi carmina quidquam
Noſtra valent, tu carminibus per ſæcula longa
Notus eris noſtris, nulloque ſileberis ævo.
Dicet ad Occaſum te vox mea, dicet ad Ortum;
Dicet ad Auſtralem, Borealem dicet ad axem;
Dicet ad ardentes mediæ telluris arenas.

Audiat hanc noster certè polus; audiat omnis
Belgica, & ante alias hæc ipsa Batavia terras;
Et tu Lugdunum, Musarum nobile quondam
Delubrum; Clariique Dei sanctissima sedes;
Nunc deserta domus profugis, & inhospita, Musis:
Et tu magnorum genitor, pater Amstela, vatum:
Vos omnes audite, animisque advertite vestris:
Esse sub Angariæ cœlo, procul æthere nostro
Esse virum, vestris ortos qui mœnibus ultro
Grandibus obstringit meritis; qui præmia Musis
Ponit, & Aonias tenebris pius explicat artes.
Illa dies fuit, innumeros cum, Belgica tellus,
Nutribas olim vates, murisque fovebas
Leida tuis; cum Scriverius, cum clarus Iämbo
Baudius, & veterum culto par Heinsius ævo,
Fonte Caballino madidus, cum maximus ille
Gentis honos nostræ Grotius, gnatusque paterque,
Non minus illustres cantu quam sanguine, Dousæ,
Devoti Musis Dousæ, Heroümque Ducumque
Progenies, Ducibusque atavis majoris Iüli
Scaliger, Aoniæ princeps ductorque catervæ,
Ingenti latè pompâ tua templa terebant.
Nunc oblita tibi tot nomina: nunc tibi vates
Excidimus; fugitque suo de limine Phœbus.
At bene, quod nondum tota tellure recessit,
Inque tuis tandem laribus sedemque laremque
Repperit, o Musis Princeps generate juvandis.
Tu Phœbum; tu Pieridas, tu numina Pindi
Excipis hospitio facili, Pindoque reponis:
Unde, loci residens medio, velut alter Apollo,
Præmia das meritis, si qui meruere, poëtis,
Et plus quam lauros, & plus quam frondea donas
Vincula: quamque tibi Superi tribuere faventes,
Ne soli fortuna tibi tua prosit, ab alto

De-

Deſtillat prolixa jugo: ceu roſcidus imber
Deſcendit cœlo, & pluviâ rigat arva ſalubri.
Vicinum quid enim cœlo magis? Omnis ab illo
Fonte ſalus: omnis gravidis vis vitaque campis.
Adſpicis, æthereos poſtquam, pigra ſidera, piſces
Liquit, & Oleniæ contingit cornua capræ,
Rideat ut toto Veris clementia mundo?
Adſpice; cuncta ſuum renovant reparantque vigorem.
Aërios Auræ campos, Zephyrique tepentes
Pervolitant: udo rores labuntur Olympo:
Nubibus è mediis noſtrum Sol igneus orbem
Lenibus accendit flammis; campiſque calorem
Suppeditat: calet omniparens, &, frigore longo
Mortua, paullatim producit ſemina tellus.
Hîc picturati flores; hîc gramina, & herbæ;
Hîc flavæ ſurgunt ſegetes: hîc gemma tumere
Incipit: hîc ramis tegitur frondentibus arbos.
Uberis hæc cœli ſunt munera. Solibus illud;
Illud aquis debent læti pluvialibus agri.
Tu quoque, qui crebris, hæc inferiora foventis
More poli, radiiſque juvas atque imbribus agros
Aonios, ſegnemque jubes revireſcere Pindum:
Perge, pio Superûm auſpicio, cœloque ſecundo,
Magne Camœnarum fautor, dilecta Camœnis
Iugera, & uſque tibi culto ſacra culmina Phœbo
Imbribus uſque fovere tuis radiiſque benignis.
Sic tibi proveniant, quaſcunque novalia fruges
Iſta dabunt: quoſcunque ferent pomaria fructus.
Sic Phœbi vireat lucus tibi, multaque ſurgat
Laurus, & in ſertum ſeſe nemus omne coronet.
Sic tibi perpetuos tellus Parnaſſia flores
Fundat, & iſta tuis innectat vincula lauris.
Creſcite Phœbei flores: aſſurgite, lauri:
Ferte bonas, campi ſegetes. frondeſcite, rami:
Læ-

Lætaque Pieriæ protrudite germina ſilvæ.
Et vos, ô magno natæ Jove, deſide paſſu
Quæ nunc erratis nemorum ſub fronde virentum
Per blandos Paderæ campos, montiſque ſedetis
Culmine Neuhuſii, bifidi ceu culmine montis;
Pro dulci hoſpitio, pro muneribus conceſſis
Æternas Domino grates & carmina veſtro
Solvite, Caſtalides; Ferdinandumque per omnes
Terraſque, genteſque, futuraque ſæcula paſſim
Dicite, nec meriti veniant oblivia tanti.
Voſque, ſacri Muſis vates, quibus ore rotundo
Poſſe loqui, Latioſque modos, & carmina, doctæ
Donavere Deæ, mecum gaudete frequentes,
Mecum animos, mecum cantus conjungite veſtros,
Inſignemque ſonate Virum, communia ſacra
Qui fovet, & vatum ſteriles vetat eſſe labores.
His ego temporibus certè me gratulor eſſe
Progenitum. Haud quovis naſcuntur tempore vates:
Haud quovis, vatum fautores. Res ea ſæcli eſt,
Annorumque labor: pulchrumque & grande faventis,
Humano generi cum vult bene, munus Olympi.
Huic ævo ſanè noſtro dudum eſſe beato
Contigit. Haud aliud mallem per vota: nec illud
Saturni, cum nullus honos erat artibus: aut cum
Auguſtus domiti tenuit moderamina mundi.
Hæc revocas, hæc tu, Princeps, antiqua reducis
Sæcula, non illis minus aurea, non minus illis
Pacifica, aut Muſis etiam minus æqua Latinis.
Felices vates, felicem me quoque, qui nunc
Et vita & rebus fruimur, te dante, ſecundis!
Certè ego felicem me nomino: certè ego gratus
Semper ero; laudeſque tuas, & nomina, verſu
Perpetuo, ulla mihi ſuperant dum carmina, dicam.

Neu quisquam me vituperet, me semper eundem
Dicere, virtutesque tuas renovare canendo.
Quid, quod vel pluris faciat, vel rectius alter
Percipiat nemo, quæ scribimus, optima quam qui
Ipse facis, cultâque feris fide carmina? quid, quod
Nemo cani, nemo laudari dignior omni
Ore virûm? quid, quod meritis me denique magnis
Devinxisti idem, & tua munera ferre dedisti?
Quid Flaccus? quid Virgilius? quam multus in ore
Mæcenas! Mæcenatem sine fine canebant:
Hoc sine nil altum magni mens dia Maronis
Inchoat. huic princeps exacta Georgica vates
Sacra facit. primis hunc versibus invocat unum,
Ante Deos omnes, tanquam præsentius illis
Numen, & Augusto quiddam divinius ipso.
Huic canit arvorum cultus; huic apta movendis
Sidera significat terris: huic Ismara Baccho
Conserit, atque olea vestit frondente Taburnum.
Hunc Dryadum vocat in saltus, & Mænala summa:
Hunc altos vocat in colles florentis Hymetti.
Mæcenas operis pulchri spectator, & auctor;
Mæcenatem undæ, Mæcenatem arva sonabant;
Silvicolæ Mæcenatem cecinere puellæ.

Haud aliter, nostri Mæcenas maxime sæcli,
Teque, tuasque canam laudes ego: nec semel idem,
Inclyte Ferdinande, meo memorabere versu.
Tu modò cantanti vires, quas ille Maroni,
Suffice. præsidio crescent mea carmina tanto.
Ecce vides, ecce augurio crevere secundo,
Sumseruntque novos animos. Tibi, quicquid ab illo,
Munere Divorum, nobis vitæ effluet, omne
Debetur tibi. Tu stimulos, tu calcar, & œstrum
Subdis, & ingentem accendis sub pectore flammam.

For-

Forſan & illa dies veniet, quâ cognita paucis
Muſa, tuo Princeps hortatu audacior, olim
Dilectas ſpernet latebras, privataque tecta
Deſeret, & fracto tenebrarum carcere dias,
Auſpiciis animoſa tuis, erumpet in auras.



ECLOGÆ.

ECLOGA I,

MOSES:

SEU

CARMEN ejus EPINICIUM,

Eductis ex Ægypto Israëlitis.

VIx bene Erythrææ fluctus superaverat undæ
Hebræi ductor populi, ripamque tenebat
Oppositam, quando meritas pro munere tanto
Muneris Auctori grates hoc carmine solvit.
Magne Deus, mare qui Oceanum, terramque, pologumque,
Æterno regis imperio, nutuque gubernas,
Quæ tibi, magne Deus, reddam præconia; quæ nunc
Carmina? Tu populum Memphitica jussa gravatum,
Jamque diu nimiùm Pharii crudele tyranni
Servitium patientem, hujus de gutture monstri
Excutis; & frustra currus atque arma parantem,
Nectentem frustra jam vincla, sequique volentem
Mergis Erythræo vesanum gurgite regem.
Dicite submersam, mea carmina, dicite Memphim.
Occidit ille ferox Pharao; tota occidit unà
Memphis, & hanc nunquam lucem visura diurnam,
Ceu lapis, aut multo devergens pondere plumbum,
Imo subsidit pelago. Natat æquore toto
Naufragium regale. illic currusque, rotæque,
Illic arma virique, illic armenta gregesque,
Regales illic gazæ, sceptrumque, tiarasque,

Orbatusque sua fluitat rex ipse corona.
Dicite submersam, mea carmina, dicite Memphim.
Nondum divino monitu Mareotica claustra
Ruperat Hebræus populus, monstrataque Rubri
Litora contigerat pelagi, cum nuntia diras
Fama Parætonii regis pervenit ad aures.
Ite mei, Pharao, comites, ait: ite, manumque
Injicite Hebræis, & dicto promptius arma,
Arma ciete viri, & populum revocate rebellem.
Nec mora: sese armant comites, & jussa facessunt
Regia. Rex humeris validum thoraca superbis
Induit, & lateri fulgentem accommodat ensem.
Addit se nimbusque virûm, nimbusque rotarum.
Horret Idumæus populus, trepidatque, Deique
Supplicat auxilium, superis Deus advolat oris.
Ocyus in partes geminas mare dividit altum
Eurus: utrimque polo surgit sublimis aquæ mons.
Illi, qua dabat unda viam, per aperta profundi
Gurgitis, in mediis, sicco pede, fluctibus ibant.
Efferus insequitur Pharao. coit unda, virosque
Implicitosque vorat currus: perit impia Memphis.
Dicite submersam, mea carmina, dicite Memphim.
Haurit equos, equitesque; virûm simul arma, virosque
Haurit Erythræi rabies maris. interit omnis
Gaza Parætonii, milesque, domusque tyranni,
Interit & rex ipse. Deos frustra ille Canopi
Invocat, & surdum nequicquam implorat Osirim.
Nil verum contra Numen Memphitica possunt
Numina: nil omni Pharius cum pube tyrannus.
Dicite submersam, mea carmina, dicite Memphim;
Victoremque sonate Deum. Deus æthere ab alto
Hebræum juvit populum, dextraque valente
Per montes suspensarum deduxit aquarum.
Ægyptum hic idem devicit, & impia fudit
Ag-

Agmina, & his ipſis Pharaonem merſit in undis.
Occubat ille ſuperbus; & impietatis, & omnis
Morte luit pœnas ſceleris. non vincla, necemque
Amplius innocuis, non arma minabitur ulla
Iſacidis: periere viri, periiſtis & arma.
Dicite ſubmerſam, mea carmina, dicite Memphim.
Dicite victori laudes, & debita magno
Verba Deo. Deus ille poli, Deus ille profundi
Æquoris, æquoreas cœlo nunc erigit undas,
Nunc premit, & nigri barathro detrudit Averni,
Nunc rurſum findit medias, tutumque per æquor
Hos ſinit ire, illos ima demergit arena.
Dicite ſubmerſam, mea carmina, dicite Memphim.
Uno eodemque mari Deus hos conſervat, eodem
Hos necat. Ecce necem Pharao, ſidentibus undis,
Ore bibit moriente, & terribili ſingultu (que
Evomit indignantem animam, frendenſque gemenſ-
Neſcio quid moribundus aquis immurmurat ipſis,
Agnoſcitque Deum invitus. vehit unda peremptos,
Haſtaſque, gladioſque, & ſcuta natantia ponto,
Innumeraſque virûm galeas ad litora volvit.
Dicite ſubmerſam, mea carmina, dicite Memphim.
Fluctibus egeſtam ſecuro in litore prædam,
Disjectam latè prædam, pecudeſque viroſque,
Aurigaſque rotaſque, necis bellique cruenti
Materiam, ac toto diſperſa cadavera ponto
Hebræus ſpectat populus. Quin inſuper ipſum,
Inter plebejas animas, ignobile vulgus
Inter, inornatum, ſolitoque decore carentem,
Exutumque ſuo ſpectat diademate regem.
Dicite ſubmerſam, mea carmina, dicite Memphim.
Quis tibi fatali deprenſo in gurgite ſenſus,
Quid tibi mentis erat, Pharao, quando æquore ab illo
Obruerere? Necem huic populo intentare parabas,

Eripit ecce Deus vitam tibi. ſtantibus illis
Margine in oppoſito, tu merſus & obrutus undis
Ipſe cadis. Non te reducem Nilotica Memphis
Excipiet: non majorum monumenta tuorum
Contingent tibi; non ſtructum de marmore buſtum.
Marmor Erythræum tumulus tibi. fluctibus iſtis,
Iſto tu buſto tumulaberis. hîc tua membra
Jejuni piſces, turpeſque ſub æquore phocæ
Depaſcent: aut litorea projectus arena
Alitibuſque feriſque dapes epulaſque daturus,
Ignotus, vilis, nudus, ſine honore ſepulchri,
Omnibus indulto mortalibus, eſca jacebis.
Dicite ſubmerſam, mea carmina, dicite Memphim.
Et vos ô mecum, Iſacidæ, celebrate frequentes,
Et fortem laudate Deum. Fortiſſimus ille,
Ille exercituum Deus eſt. Exercitus omnis,
Omnis Niliaci periit modò turba tyranni
Illo belligerante. Deo præconia forti
Fundite Idumææ gentes, age fundite, gentis
Hoſtis Idumææ Rubra jacet obrutus unda.
Dicite ſubmerſam, mea carmina, dicite Memphim.
Jam nullas vobis leges, injuſtaque jura
Præſcribet Nili dominus. Pharaone perempto,
Gens ſurrepta jugo, gens eſtis libera, nec jam
Servitum Phariæ mœſtis cum matribus aulæ
Ibitis Hebræi: vos in meliora reducet
Arva Deus; vos in tuto, placidoque locabit.
Surgite, veſani pelagi ſævique tyranni
Faucibus expliciti, grataque ſilentia voce
Rumpite: thuricremis imponite munera flammis:
Et ſervatorem nullo non carmine veſtrum
Commemorate viri, nullo non tempore, nec vos
Iſtorum immemores meritorum ulla arguat ætas.
Dicite ſubmerſam, mea carmina, dicite Memphim.

Certè ego victori victor tibi, maxime mundi
Arbiter, assiduo laudes ego carmine dicam.
Tu me, subductum Nilo, Rubri æquoris undis
Subtrahis, atque tuo servatum munere servas.
Tu me ductorem populi Hebræique tuique
Constituis; dextramque meam facis esse potentem,
Miraclis claram innumeris. illam æmula vidit
Memphis, & hac ipsa stupefactus arundine Nilus.
Mempheos imperio servilia vincla perosos
Exuis, & media, duce me, transmittis Erythra,
Litus in Arabium. Justas persolvere grates (disti,
Haud nostrum est. Tibi grata tamen, quod posse de-
Pectora, & æternum obsequii spondemus honorem.
Ipse tuo jussu demissas æthere Leges
Puris excipiam manibus, ritusque colendi
Instituam, populumque tuum tua sacra docebo.
Ipse tibi passim, per quæ nos ire jubebis
Arva pater, centumque aris, centumque juvencis
Rite memor faciam; titulumque hunc insuper addam:
Extincto Pharaone, Deo hæc altaria Moses.
Dicite submersam, mea carmina, dicite Memphim.
Tuque adeo, cœlum, & tellus, & cærula ponti
Unda, Deo dignas certatim ad sidera voces
Tollite: plena Dei sunt omnia. Testis & æther,
Et tellus, & scissa manu maris unda potente:
Testis Erythræis Pharao submersus in undis.
Dicite submersam, mea dicite carmina Memphim.
At tu, magne orbis Rector, qui vindice dextra
Servitio Pharaonis, Erythræisque procellis
Eripis Hebræos; perque infelicia rura
Arabiæ dudum promissos mittis in agros;
Duc age, duc dubios; & per deserta locorum
Dirige inoffensos (cæca est via) dirige gressus;
Donec in optatas regiones, arvaque tandem

Te

Te duce deveniant Cananæa: ubi fata quietas
Assignant illis sedes: ubi flumina lactis,
Flumina mellis eunt: sic lac tibi, sic tibi semper
Mella fluant, frugesque alias eadem optima tellus
Proferat; & sanctis habitata parentibus olim
Jugera securi quando lætique tenebunt,
Præscripta maneant in relligione, suamque
In sobolem nomenque tuum laudesque propagent.
  Talibus Amramides. Precibus Deus annuit istis,
Ignotosque aperit fontes, & flumina saxis
Elicit, &, gustus quæ se transformet in omnes,
Cœlestem rorat Cererem; noctuque, dieque
Signat iter claro, nubes aut ignis, Olympo,
Exoriente die nubes, trabs ignea noctu,
Errantique præit populo, ducitque sequentem.

ECLOGA II,

DAVID:

SEU EJUSDEM

DE CHRISTO VATICINIUM.



Edronis rapidi gelidam dum pascit ad undam, (pellæ,
Proximaque errantes tondent virgulta ca-
In matutina Jessæus sederat umbra.
Jessæus, quo non cantu præstantior alter:
Jessæus; quo non alius prædicere fata
Certior: ille decus pastorum, & gloria ruris

He-

Hebræi, ille alto ante alios dilectus Olympo.
Isque, ut erat cœli arcanis & numine plenus
Veridico, sanctosque pio sub pectore motus
Senserat, hoc ipso mentem percussus ab œstro
Hæc effundebat vitreum Cedronis ad amnem.
Labere, grate Deo Cedron, pede sed mage lento
Labere nunc, fluctusque tuos suspende, nec ullo
Interrumpe meos lympharum murmure cantus.
Sacra cano: sacris animum tu adverte, memorque
Dicta nota. Libet & nubes transcendere, & astra,
Æthereasque fores perrumpere, & intima cœli
Perscrutari adyta, & populis aperire futuris.
Adveniet quippe, adveniet lætabile tempus,
Ordine sæclorum certo, cum maximus æther
Conceptum à prima nascentis origine mundi
Educet fœtum, castæque in virginis alvo
Cœlestem effinget puerum, tandemque sub auras
Proferet aërias. Fallorne, an lucidus æther
Signa dedit? video medium se rumpere cœlum,
Infantemque sacrum aëriis descendere campis.
Ecce Deus, satus ecce Deo, patri æmula proles;
Humanam induitur formam, nostraque creatus
Stirpe puer, nostra nasci dignatur in urbe.
Hujus in adventum passim fraudesque doloque
Diffugient: passim terras gentesque relinquet
Morborum genus omne. Ægro dabit ille salutem,
Surdo aures, claudoque pedes, & lumina cæco,
Inque artus imis animas revocabit ab umbris.
Tunc & doctores magni, Legisque magistri
Deponent fastum, Puerique docentis ab ore
Hærebunt taciti, mirabunturque loquentem,
Abditaque ætherei reserantem oracula Patris.
Ille undam in vinum convertet; multaque paucis
Piscibus, & modico saturabit millia pane:
Pasta-

Paſtaque confertis diſcedet turba caniſtris.
Idem marmorei ſpatiatus litore ponti
Implebit multò fruſtra ſudantia piſce
Retia: cæruleas idem tentabit & undas,
Et ſiccis ibit pedibus ſuper æquora ſumma,
Et vento dabit, & tumidis ſua juſſa procellis:
Serviet illi etenim ventus, mare ſerviet illi.
Tu vero, Iudæarum regnator aquarum,
Iordanes, laus quanta tuis, quæ gloria ripis
Accedet, ſi quando tuo nudabit in amne
Membra Deus, fluviique tui luſtralibus undis
Tingendum ſparget populum, tingendus & ipſe?
Tu ſacros artus, tu ſorde carentia membra
Vivæ rore rigabis aquæ; fauſtoque repente
Omine divinam cœlo adventare columbam
Percipies, ſupraque caput conſidere lætam,
Verbaque concuſſis effundere talia pennis;
Iſte Patris deſiderium, Patris iſte voluptas.
Ex illo latè populis noteſcere cunctis
Incipies, paſſimque tui tollentur honores.
Neu tibi ſeſe æquet Ganges, non Nilus, & Iſter,
Non qui per terras felici gurgite, non qui
Aureus Eridani per cœlum labitur amnis.
Te quoque,torrentemque tuum,fluvio æmule magno,
Quanta manet fortuna, tuo cum gurgite, Cedron,
O calcande Deo Cedron, meritoque beatas
Inter aquas numerànde, Dei plantaſque pedeſque,
Argento pellucidior vitroque, lavabis!
Gaude, inquam, gaude inſolito dignande favore,
Vorticibuſque impelle tuas majoribus undas.
Et vos Bethlemii montes, Solymæaque rura,
Vos unà gaudete, Deoque adſurgite veſtro,
Et ſacras audite, & ſacras diſcite voces.
Namque ſacer patrio delapſus ab æthere vates

Antiquos tollet ritus, Legemque novabit,
Virtutisque viam norma meliore docebit.
Mille piæ confestim animæ cœlestibus ultro
Parebunt monitis, divinaque jussa capessent
Divini doctoris. Eum comitabitur ingens (quentur.
Unda hominum, innumerique greges per prata se-
Ite sacris, ite, Abramidæ, & properate frequentes,
Atque salutiferum terris agnoscite regem.
Ah cæci nimium Abramidæ! scelerata repellet
Turba Deum, regemque suum gens tetra necabit.
Heu dolor! heu crudele nefas! nulloque piandum
Sanguine flagitium! Regem Dominumque Deumque
Impia condemnat Solyme. Jam mœnia linquit
Miles, & horrendo strepitu armorumque virûmque
Obvius it: jam vicini de culmine montis,
Montis Oliviferi de culmine descendentem
Corripit, & duro constringit brachia nodo.
Ducitur; ingentique hominum stipante caterva,
Judicibus coram falsis, falsoque senatu
Sistitur innocuus. dictis mordacibus illi,
Et fœdis ignominiis, & verbere sævo,
Mille modis vexant miserum, damnantque, necant-
O Solyme! ô dirum genus! ô Calvaria rupes! (que.
Pendet ab infami ligno Deus! intremit omni
Colle Sion; templique sui velamina scindit.
Dissiliunt montes: sudant elementa: fugit Sol:
Cumque suo Domino rerum Natura laborat.
Nil agis, ô Solyme! vinclis necis ille solutis
Effringet portas Erebi, pulchroque triumpho
Victa catenatam ducet per Tartara Mortem.
Nec mora: protriti exuviis Serpentis onustum
Tertia lux superas vivum revocabit ad auras.
Vivus enim terras repetet; vultusque tuendos
Offeret: exiguum donec post temporis arces

Ten-

Tendat in æthereas, seque in sua sceptra reponat.
Aurato hîc ingens solio terrisque poloque
Jura dabit, vivi radiis circumdatus auri:
Cumque suprema dies aderit, quæ flebile mundo
Inferet exitium, veniæque iræque sequester
A dextra Genitoris in alta nube sedebit,
Et vivis simul, ac vitali lumine cassis
Promeritas solvet pœnas, & digna rependet
Præmia. Tunc justorum animæ, regione receptæ
Siderea, divina Deo præconia fundent,
Mutuaque unanimes ibunt in gaudia gentes.
Dixerat hæc vates. Divini vatis ad ora
Valles obstupuere cavæ, collesque supini:
Omnes obstupuere suis Nereïdes antris.
Ipse pater ripam Cedron concussit utramque
Amne suo; frenumque undis laxavit, & omni
Festinavit aqua venienti occurrere regi.

ECLOGA III,

PASTORES BETHLEMITICI:

SEU

NATALIS CHRISTI.

TITYRUS, LYCIDAS.


Tellarum æternos cœlo suspenderat ignes
Humida nox: passim excubias nocturnus agebat
Pastorum chorus, & vigili statione tenebat
Bet-

Bethlemios montes, & finitimas convalles:
Æthere cum rupto fragor exauditur, & ingens
Descendit juvenum pictis exercitus alis,
Aëra per medium. Mira illi, mira ferentes
Gaudia, divino complebant omnia plausu,
Monstrabantque piis parvam pastoribus urbem.
Ergo visura infantis cunabula magni
Exiguam Bethlen pastoria turba petebat.
Ducunt innocuum, reliquis comitantibus, agmen
Tityrus & Lycidas, Lycidas & Tityrus ante
Gaudentes ibant pueri, puerumque canentes,
Delapsum cœlo puerum, regemque, Deumque,
Atque hæc alterno referebant carmina cantu.
Hos Lycidas, versus referebat Tityrus illos.

LYCIDAS

O quam immensa Dei clementia, Tityre, terras
Respicit! ô quanto tenues dignatur honore
Pastores, quibus ætherei divina ministri
Jussa ferunt, quibus ostendunt cunabula primis!

TITYRUS.

Immo ita. non vanos ludunt insomnia sensus,
O Lycida! nos divini sacra ora ministri,
Cœlestisque satellitû conspeximus agmen
Aligerum, & dulces excepimus aure loquelas.

LYCIDAS.

Ipse suo Gnatum Genitor demisit Olympo,
Visurum terras humiles, gentemque repostam:
Quo nato ridebit ager, ridebit & æther,
Sæclaque pacato decurrent aurea mundo.

TITYRUS

Ille suam cœlo gentem miseratus ab alto est,
Dilectamque dedit sobolem; qui nostra piaret
Crimina, & infandis immersum sordibus orbem
Eriperet pœnis Erebi, cœloque locaret.

LYCIDAS.

Hoc erat, hoc, quod ſæpe idem promiſerat olim:
Quod veterum prædicebant oracula vatum:
Hoc, quod conſpicuus funda citharaque pedoque
Paſtor Ieſſides cedronem luſit ad amnem.

TITYRUS.

Hoc, quod nunc longo demum maturuit ævo.
Induit ecce Deus hominem: ſine ſemine mater
Concipit; & caſta de virgine naſcitur infans,
Humano generi lapſoque ſalutifer orbi.

LYCIDAS.

Ipſe Deus Deus ipſe ſuo deſcendit Olympo,
Ruris & Hebræi colles, deſpectaque Bethles
Natalem legit arva locum; parvoque cubili,
Stramineaque caſa excipitur rex ætheris alti.

TITYRUS.

Felices agri, voſque ô felicia Bethles
Culmina, quæ gremio in veſtro cœleſte fovetis
Depoſitum: veſtra omnigenis memorabitur oris
Gloria, & ad ſeros tranſibit fama nepotes.

LYCIDAS.

Quantum humiles plantas altæ vincunt cypariſſi,
Tantum urbes vinces alias, celeberrima Bethle:
Nec tibi ſe Tyros, aut Babylon, dilectaque cœlo
Mœnia contulerint Solymes, aut ardua Memphis.

TITYRUS.

Sed tu deſine jam: ſacro ſucceſſimus antro:
Introeamus age, & ſubmiſſo poplite proni
Numen adoremus puerum, violiſque roſiſque
Mollibus, & parvas ſpargamus baccare cunas.

LYCIDAS.

Quæ vidi modo luminibus, quæve auribus hauſi?
Vix ego luminibus credo, vix auribus iſtis.
Et tamen auribus his, oculis his credere cogor,

Quæ

Quæ modò viderunt oculi, quæque auribus hausi.

TITYRUS.

Vera Deus monuit. Jacet in præsepibus infans,
Et tener auditur parvo vagitus ab antro.
Adstant longævusque senex, intactaque mater,
Et terræ bos procumbit, procumbit asellus.

LYCIDAS.

Fortunate senex, fortunatissima mater,
Cara Deo, longeque aliis prælata puellis!
Nos quoque fortunati omnes, quibus ista tueri
Contigit, infantisque Dei cognoscere vultus!

TITYRUS.

Blande infans, tibi parva agri munuscula nostri
Porrigimus, meritosque tibi sacramus honores.
Addimus & carmen. pariter tu munera, & illud
Suscipe, silvestrem nec dedignare Camœnam.

LYCIDAS.

Nascere, magne puer: totus destillat Olympus
Te super; ipsa suo passim de cortice myrrha
Defluit, atque Arabes sudant opobalsama rami,
Felicesque tibi palmas protendit Idume.

TITYRUS.

Sponte sua facilis producit germina tellus,
Sponte renidentes surgunt per pascua flores:
Sponte virent oleæ: sponte omnis flavet aristis
Campus, & injussæ turgent de palmite gemmæ.

LYCIDAS.

Vernat humus, vernat foliis nemus omne renatis,
Et blandum in silvis carmen modulatur aëdon.
Ipsi prosiliunt fontes; fluviique loquaces,
Argutique sonant jucundo murmure rivi.

TITYRUS.

Carpit ovis, carpit placidus sua pabula taurus,
Tuta nec iratos metuunt armenta leones.

Festas lætus agit choreas per gramina pastor,
Lætus & agricola, & vacuum suspendit aratrum.

LYCIDAS.

Ecce ferunt Nymphæ plenis sua dona canistris,
Narcissumque, crocumque, & suave rubentem amaranthum,
Frondentesque hederas, intermistosque corymbos,
Et myrtum, & laurum, & florem redolentis anethi.

TITYRUS.

Ecce ferunt procul Eoi sua munera reges,
Nardumque, costumque, & venæ divitis aurum,
Et placaturi parvum suffimine Numen
Thuris odorati cumulos, messemque Sabæam.

LYCIDAS.

Adspice: prælucet rutilum venientibus astrum,
Ostenditque aperitque viam, & per cæca locorum
Ducit inoffensos sacra ad cunabula gressus.
Illi adsunt: regemque suum dominumque salutant.

TITYRUS.

Adspicio, obstupeoque. novum micat æthere sidus,
Astrorumque ignes alios accendit Olympus.
Jussa facit tellus: jussis obtemperat æther,
Purius & toto scintillant lumina mundo.

LYCIDAS.

Qualis puniceis splendor solet esset Hyacinthis:
Aut ceraso, aut nondum maturæ solibus uvæ,
Aut lanæ, quæ Sidonium mentitur ahenum,
Talis purpura blande tuo puer enitet ore.

TITYRUS.

Qualia nocturno collucent sidera cœlo,
Qualis sidereos inter micat aureus ignes
Lucifer, aut primo exoriens cum mane rubet Sol,
Tale tuis, formose puer, jubar exit ocellis.

LY-

LYCIDAS

Huc puer huc formose veni: te pascua nostra
Invitant; te lætus ager desiderat unum.
Cum tu, blande puer, lustrabis pascua nostra,
O quanta campos ditabis, & horrea, messe!

TITYRUS.

Huc puer huc formose veni: quacunque per arva
Incedes, lolium & steriles morientur avenæ.
Occidet & Serpens: nullum feret herba venenum,
Nec lupus insidias pavido meditabitur hœdo.

LYCIDAS.

Te Pietas, te cana Fides, Rectumque, Pudorque,
Et divinus Amor, partu tecum editus uno
Assidue comitabuntur. tua plurima virtus
Te cœlo, pariterque tuos attollet amores.

TITYRUS.

Tecum candida Pax, ramos induta recentes,
Nata simul, toto sparget sua lumina mundo.
Bella coërcebis tu tristia: bella perosus
Donabis pacem terris, orbique salutem.

LYCIDAS.

Tu placidos pasces agnos, Nasaræa secutus
Pascua, pendebitque tuo grex omnis ab ore:
Tu placidos pasces agnos, Galilæa secundùm
Flumina, mersabisque gregem Jordanide lympha.

TITYRUS.

Tu patriis claudes saturos in ovilibus agnos,
Selectumque gregem, supera ad convexa vocatum,
Gramine divino divina ad flumina pasces.
Ambrosia his sua gramina erunt; sua flumina nectar.

LYCIDAS.

Ut prato decori pecus est, pecorique magister,
Ut flavæ campo segetes, ut flosculus horto,

Amnibus ut lentæ salices, ut montibus alni,
Sic tu ovibus decus omne tuis, oviumque magistris.

TITYRUS.

Ut cœlum telluri, ut puro sidera cœlo,
Lunaque sideribus, nitidæ Sol gloria Lunæ;
Ipse Deus Soli, & Lunæ, & fulgentibus astris,
Gloria sic Patri una tuo es, sic una voluptas.

LYCIDAS.


Adsis ô, pastorque fave pastoribus olim;
Adsis, ô divine puer: nos propter ab alto
Venisti cœlo; cœlo nos inveher tecum,
Adventusque tui caussam, caussamque triumphi.

TITYRUS.

Sis bonus ô clemensque tuis: terraque poloque
Nos adjunge viæ comites. Te pascua nostra,
Te silvæ, te convalles, amnesque sonabunt,
Atque tuas omnis laudes memorabit Olympus.
Talia dum cantant pueri, montesque revisunt
Quisque suos, caput Eoo de gurgite Titan
Extulit, & radiis sparsit juga matutinis.

ECLOGA IV,

DAMOETAS.



Mstelios nuper campos, natalique arva,
Cara sibi puero Damœtas arva relinquens,
Mutabat Batavis Germanas finibus oras.
Illum discedentem amnes flevere lacusque,
Nymphæque Satyrique; illum sine fine gementes
Pastores flevere: ante omnes mœstior Ægon,
Et nullis hortaminibus solandus Iölas.

Erç-

Ereptum ſibi Damœtam plorabat uterque.
Plorabat Damœtam Ægon, plorabat Iölas.
Præcipue tamen æqualem lugebat ademptum,
Par animis, par corporibus, par arte canendi,
Par ætate ſuo Damœtæ, triſtis Iölas.
Lugebat parvum Damœtam parvus Iölas.
Diſcidii namque impatiens, nimiuſque doloris,
Vicinis urbi campis errabat, & altum
Paſcebat luctum, donec defeſſus ad undam
Procubuit, patriæque ſedens in margine ripæ
Carmine ſurreptos tali inclamavit amores.
Optime Damœta, carum latus, alter Iöla,
Sola atque una prius, ſinerent dum fata, voluptas,
Nunc dolor idem unus, longumque in pectore vul-
Quis mihi, care puer, crudeli ſidere tacto, (nus:
Heu quiſnam mihi te eripuit, mea dulcis imago?
Ergo ego complexu infelix divulſus amico,
Crebraque per longos ducens ſuſpiria ſoles,
Crebraque per longas ducens ſuſpiria noctes,
Abſentem ſuſpirabo noctesque dieſque?
Ergone cuncta ſimul perierunt gaudia tecum?
Nec plus aut denſa recubantes forte ſub ulmo,
Aut pellucentem projecti ad fluminis undam,
Labentes ſuavi alloquio retinebimus horas?
Non veterum cantus paſtorum, & docta legemus
Otia; Romanus cecinit quæ Tityrus olim,
Vel quæ Piſæum Daphnis modulatus ad amnem eſt?
Non & nos paſcemus oves? junctaque cicuta,
Aut magis alternis dicemus carmina cannis?
Ut meminiſſe juvat jucundi temporis, ipſo
Cum te hoc ſæpe loco vidi audivique canentem!
Attonitæ tua pendebant circum ora capellæ,
Graminis immemores, & ſolo carmine paſtæ.
Ridebant flores, ridebant gurgite læto

Flumina, ridebatque comis vernantibus arbos,
Nebat & è patula nativum fronde theatrum.
Hac invitabas ſcena genus omne volucrum,
Diſcebatque tuas volucrum genus omne loquelas,
Et dociles ipſi referebant carmina rami.
Omnia nunc mutata. herbis lymphiſque capella
Abſtinet, & veſci te diſcedente recuſat:
Langueſcunt flores: turpantur flumina fletu:
Arentes lugent rami: ſiluere volucres:
Undique deſertis fugerunt Gaudia campis.
Fugit & ipſa Pales. tecum formoſa Dione,
Arva Charis tecum, tecum arva reliquit Apollo.
Ex illo mihi ſordet ager; tacitoque mapali
Obſcuraque caſa latitans nemora omnia vito.
Vile nemus, poſtquam nemorum dos ille recêſti.
Sed tamen & loca grata prius, calcataque tecum
Rura pererro, tuique aliquid retinentia luſtro,
Exploroque pedum veſtigia, teque per omnem
Inquiro ſilvam, tanquam inveniaris in illa.
Fronde ſub hac, inquam, frigus captavit opacum;
Hac mecum ſpatiatus humo eſt; hac valle reſedit;
Hîc ſummos dedit amplexus; hoc margine fugit.
Quò fugis, ô dilecte? mane: tibi blanda benignis
Munera dat calathis, tibi candida lilia Nais,
Purpureaſque roſas, & purpureos Narciſſos.
Pluſne peregrini placeant popularibus amnes?
Amſtela cur Rheno poſtponitur? Ya, Moſellæ?
Quo fugis, immitis? ſic tu patria arva relinquis,
Longinquos Trevirûm fines, bellumque ſecutus?
Ah quanto melius poteras ad noſtra fluenta
Paſcere oves, ruriſque decus nemorumque canendo
Mollibus in pratis undas audire ſonantes,
Et mecum hac ipſa conſumi lentus in umbra!
Nunc tellure procul patriâ, vitâque beatâ,

Hor-

Horrendum clamorem inter, pila inter & enſes,
Tranquillam vitam, & natales deſeris agros.
At non ſponte fugis; nec ſponte hæc arva relinquis.
Divi, crudeles Divi, regionibus illis
Eſſe jubent: Divi imperiis egere volentem.
In fatis igitur, pacem ut feralibus armis
Mutares, Martemque ovibus ſequerere relictis:
Atque, alio degens aliam ſub ſidere vitam,
Militiam bellique graves paterere labores,
Et caſus idem ancipites, pugnaſque ſubires?
Quam metuo, ne quid noceant hoſtilia tela,
Labaturque meus iſto de vulnere ſanguis!
Quam metuo, ne te feriant, immanibus auſis,
Excuſſi per inane globi, ſæviſque fatiſcas
Ictibus, & terrâ tam cara cæde rubente
Flebilis occurras olim paſtoribus umbra!
Di melius! nec dilectum tela impia lædant
Ulla caput: nulluſque tibi ſeſe offerat hoſtis.
Interea, ſeu caſtra tenes vallumque tueris,
Seu denſis forte in ſilvis, aut montibus erras,
Aëriiſque legis pendentem è collibus uvam,
Seu lento graderis paſſu vicina ſecundùm
Flumina, teque ſuo vitreus rapit amne Moſella,
Sis noſtri memor uſque, loco quocunque vagaris,
Atque animo patrios interdum reſpice fines,
Si quis amor ſupereſt, & nondum oblitus Iölæ es.
Certè ego te, dum vita, colam. piger ante citatum
Præcipitabit Arar Rhodanum, curſuque retorto
Natales ſeſe Rhenus convertet in Alpes,
Quam noſtrum ulla tui capiant oblivia pectus.
Eſt etiam mihi, diſparibus compacta cicutis,
Fiſtula, adhuc ſpirans os & tua mellea labra,
Æternum noſtri ac pretioſum pignus amoris.
Illam ſepoſui incluſam, ſanctéque reſervo.

Illam sæpe meis manibus tero, sæpe labellis,
Experiorque modos & mollia verba, tuâque
Pro te sollicitam mentem consolor avenâ.
Quando erit ille dies, tibi quo data munera reddam,
Tuque, peregrinis oris populisque relictis,
Inflabis rursum ipse tuas, velut ante, cicutas?
Fortunate Mosella, mei qui pectoris ignes
Frondoso occultas in margine, nobile serva
Pignus, & optatum Damœtam flumine prono
Fluctibus Amsteliis patrioque remitte novali.
Sic nunquam perdas nomen majore sub unda,
Nec tua Rhenano cedat vindemia Baccho:
Sic udæ vireant ripæ, multisque nateris
Piscibus: Oceanum velis ita pluribus æques;
Rivos, mobilitate; lacus, lucente profundo;
Potu, ipsos fontes: habeasque hæc omnia solus.
Tale suburbanum cantabat carmen ad amnem
Pastorem lugens Damœtam pastor Iölas,
Cum fausto Nymphæ augurio, cycnique canori,
Plauserunt niveis læto de flumine pennis.

ECLOGA V,

ALEXIS.

SUspirabat inhumanas Amaryllidis iras
Pastor Alexis, & abruptos lugebat amores.
Desertas tantum silvas lustrabat, & altos
Solus oberrabat montes: ubi talia frustra
Montibus, & solis jactabat carmina silvis.
Intonsi montes, nostræque arbusta, sed olim,
Con-

Conſcia lætitiæ, nunc noſtri gnara doloris,
Dicite, prærupti montes, & dicite ſilvæ,
Dicite, quo mea Nympha jugo, qua valle recumbat,
Supremùm ſaltem ut videam, amplectarque fugacem.
Quo fugis, ô Amarylli? tuum quid ludis amantem?
Nympha, mane: extremùm certè quod te alloquar hoc eſt.
Me miſerum! nihil illa ſuum nihil audit amantem.
Me miſerum! ſurdi montes, arbuſtaque ſurda,
Et mea veſani perdunt verba irrita Cori.
Vos molles potius Zephyri (ſenſiſtis amorem
Vos etenim; cœloque preces portatis amantum)
Vos molles inquam, Zephyri, miſereſcite noſtri,
Immitique meos dominæ memorate dolores.
Nil ago: in exitium conſpirant omnia noſtrum:
Nec proſunt Zephyri molles, auræque benignæ.
Sola meos gemitus audit de rupibus Echo,
Paſſa eadem, geminatque meas, iteratque querelas,
Communemque dolet caſum, mihiq; adgemit ultro,
Ipſe meos, mecum illa ſuos deplorat amores:
Echo Narciſſum, Amaryllida plorat Alexis.
Sævus Amor deus eſt. non illum blanda Dione
Monte ſub Idalio genuit. de cautibus illum,
Aut iracundo materni è gurgite ponti
Prognatum reor. ille meos crudelis amores
Impulit in ſcopulos, cæciſque illiſit arenis.
Dure puer, matriſque tuæ truculentior undis,
Cur mea tam ſævâ torres præcordia flamma?
Cur lentam nullâ torres Amaryllida flamma?
Ah quanto ſatius foret, ignorare quid eſſes,
Et nunquam ſentire tuos, inſane, furores,
Et nunquam ſentire tuos, inſane, dolores,
Quam ſic dilexiſſe aliquam, nec diligi ab illa!
Quantum iſti diſtat ſorti mea! me ferus urit,

Me

Me ferus urit amor: nullas ſub pectore flammas
Sentit adhuc, ridetque meos Amaryllis amores.
Ipſe ſequor fugientem: illa averſata ſequentem
Uſque fugit: rupeſque, & devia luſtra pererrat.
Quo properas, fugitiva? quid incomitata vagaris,
Et duris ſola in ſilvis & montibus erras?
Triſte per inſidias iter eſt, urſoſque, lupoſque,
Faunoſque, Satyroſque, & ruricolas Silvanos,
Quique tuas lædent plantas, ſenteſque, ruboſque.
Siſte fugam: nec te dubiis committe latebris.
Siſte fugam: nec luminibus te ſubtrahe noſtris.
Tecum ego per ſilvas, tecum per dura vagabor
Saxa; tibi claudam latus, & comitabor euntem,
Ne te forte aliquæ lædant ſenteſque feræque.
Heu quid ago infelix, aut qua ſub rupe latentem
Invenio? latet illa jugis, latet abdita ſilvis,
Ulla nec apparent campo veſtigia toto.
Huc ades, occultata, tuiſque erumpe cavernis:
Huc ades, atque meum potius ſuccede ſub antrum.
Molliter hîc mecum poteris traducere vitam,
Hic viridi mecum poteris recubare ſub ulmo,
Hic una paſcemus oves, paſcemus amores,
Ipſe tuas eadem pecudes in paſcua cogam:
Ipſe tuas eadem pecudes ad flumina ducam:
Ipſe tibi flore è vario nova ſerta ligabo,
Temporibuſque tuis imponam florea ſerta,
Dumque ligo, dumq; impono, ſimul oſcula jungam:
Dumque ligo, dumque impono, ſimul oſcula junges.
Interea creſcetis oves, creſcetis amores.
Sed quid ego hæc autem demens mihi ſomnia fingo?
Effugit ah, ſpernitque meos Amaryllis amores!
Quem fugias inimica, vide. nec forma, nec ætas
Eſt mea contemnenda adeo, ſpernendaque amanti.
Ipſe ego me nuper vicini fontis in unda
Con-

Consului; mollesque genas, oculosque notavi;
Et poteram conferri aliis, nisi decipit unda.
Me quoque, si nescis, aliæ petiere puellæ;
Et me Thestylis, & me lubrica deperit Ægle,
Et pulchrum Galatea mihi postponit Amyntam.
Sed me nec formosa Ægle, nec Thestylis, ipsa
Nec tangit Galatea. tibi mea gaudia soli
Sepono, tibi servo meos, Amarylli, Hymenæos.
Tu modo, Nympha, velis, sed tu renuisque fugisque,
Nec mea gaudia, nec mea tu connubia curas.
At quæ non in te suspiria suspiravi!
Mille in te fudi lacrymas, suspiria mille.
Neu te dilexit pastor constantius alter:
Neu te dilexi Nympham constantius ullam.
Tu me sola tenes. tu, primus & unicus ardor,
Prima capis tibi servatæ libamina flammæ.
O quoties flammas narravi his saltibus illas!
O quam his sæpe mei commisi pectoris ignes
Arboribus; nomenque tuum, formosa, meumque
Incidi teneris, alterno carmine, truncis!
Crescite cum teneris, dixi, duo nomina, truncis,
Et cum nominibus, cum truncis, crescite amores.
Creverunt trunci, creverunt nomina, soli
(Me miserum!) soli vos decrevistis amores.
Hoc faciles vultus, hoc blandæ gratia linguæ,
Et crebri amplexus, totiesque impressa labellis
Basia spondebant; & inania vota fovebant?
O fallax Amarylli, quid ô quid lumine pæto,
Invitasque meos, iterumque cludis amores?
Quem spernis, lasciva? humili non de grege vulgi
Pastor ego, nec quem tu dedigneris amantem.
Ille ego sum, dudum Arcadia bene cognitus omni,
Et carus Nymphis, & Pani carus Alexis.
Ille ego sum, qui surgentis te solis ab ortu
So-

Solis ad occasum cecini, latéque sonare
Et rupes docui, & silvas, & pascua, & amnes.
Te referunt silvæ, & rupes, & pascua, & amnes.
Hei mihi! cantando silvæ, rupesque moventur,
Tu perstas immota; & nulla carminis arte,
Nullis blanditiis, nulla tu laude moveris,
O & rupibus & silvis immanior istis!
Ergone te, nimium nimiumque ferox Amarylli,
Nec suspiria mille, nec ora madentia fletu,
Nec mea carmina, nec tua te præconia tangunt?
Dura Amarylli, Amarylli meis indigna cicutis,
Et quamvis indigna, meis dicenda cicutis,
Sis licet & silvis scopulisque immitior istis,
Ipsa licet, fugitiva, tuum adsperneris amantem,
Te non adspernatur amans, nec mutat amorem.
Seu tu dura manes, seu tu mutaberis olim,
Nostra manes tamen æternum,æternumque manebis,
Et quæ primus amor fueras, eadem ultimus esto.
Certum est in silvis, certum est in montibus illis,
Quod mihi cunque hujus miseri conceditur ævi
Per tenebras trahere, & solis mœrere sub antris.
Implebo silvas, implebo carmine montes
Luctisono, gemitusque cava de rupe ciebo:
Nec prius hæ miserum lacrymæ, quam vita, relin-
Nil nisi flere juvat. non me jam cura peculî, (quent.
Non me cura tenet pecoris. pastore remoto,
Incustoditæ pecudes per rura vagantur.
Nullum illæ fluvium, nullam illæ graminis herbam
Attingunt. idem pecudes, pecudumque magistrum,
Perdit amor: moriuntur oves, moriturque magister.
Cara vale Amarylli: meos jam spiritus artus
Deserit: hisce meos restinguam fletibus ignes.
In fontes abeunt oculi, sensimque liquescit
Corpus, & humectat lacrymarum pascua rivo.

Su-

Supremùm, ô Amarylli, vale; vale, ô Amarylli.
Ille tuus quondam paſtor, tuus ardor Alexis,
Flumen erit: tuus in flumen mutatur Alexis.
Ille ſupercilio montis, dorſoque volutus,
Per quos paverat ante, ſecabit gurgite campos,
Et campis dabit, & pecori, & paſtoribus undam.
Illum paſtoreſque bibent, campique, pecuſque.
Forſan in hæc venies & tu loca, dumque capellas
Huc potùm duces, noſtroque lavabis in amne,
Forſan & ipſa meis, Amarylli, lavaberis undis:
Forſan & ipſa bibes: &, dum bibis, oſſibus imis
Concipies flammam inſolitam, cæcoque dolore
Tacta, mei deſiderio torquebere fruſtra,
Et ſero miſerum tunc ſuſpirabis Alexim.

ECLOGA VI,

LYCORIS.

EXtinctam Siculæ lugete Lycorida Muſæ.
Vixit pulchra Lycoris, amor meus: occidit illa (Lycoris!
Nympharum decus, & nemorum decus illa
Siderei nocte æterna clauduntur ocelli:
Ora ſilent: jacet exanimum, & ſine ſanguine, corpus.
Extinctam Siculæ lugete Lycorida Muſæ.
Mœret ager, mœret foliis morientibus arbos,
Arenteſque gemunt ſilvæ: ſua fletibus augent
Flumina, majoreſque ſuis de fontibus undas
Effundunt Nymphæ. fundunt ſuſpiria colles
Aërii, redduntque cavæ ſuſpiria valles,
Et clamant: Periit, periit formoſa Lycoris.

Extinctam Siculæ lugete Lycorida Musæ.
Vobiscum ipsa Pales, pastoralisque juventus,
Cum quibus illa choros patriis agitarat in arvis,
Amissam dolet: amissam pecus ingemit omne,
Balatuque suo luctus testatur acerbos.
Ipse ego desertis agito sub montibus ævum,
Inclamoque meam mœrente Lycorida voce,
Heu frustra! non audit enim mea verba Lycoris.
Extinctam Siculæ lugete Lycorida Musæ.
Marcent purpurei moriente Lycoride flores.
Lilia flaccescunt: pallet rosa: perdit honorem
Narcissus, vultusque suos, quos arserat, odit.
Demittit ferrugineus mœsta ora Hyacinthus,
Antiquosque novat gemitus, & plenius ai ai
Tristibus inscribit foliis, duplicatque dolorem.
Extinctam Siculæ lugete Lycorida Musæ.
Quis silvas horror, quis habet dolor? omnia latè
Rura silent. nullis resonant concentibus agri,
Et matutinæ vocem pressere volucres.
Sola gemit, sterilique sedens mœstissima ramo
Triste canit Philomela, arbustaque rumpit acerbis
Questibus, & nostros in longum plorat amores.
Extinctam Siculæ lugete Lycorida Musæ.
Et vos, ô volucres, ô flores, vosque magistri,
Et pecudes, vallesque cavæ, collesque supini,
Fontesque, fluviique, orbataque frondibus arbos,
Campique, silvæque; meam lugete puellam,
Formosam viduæ lugete Lycorida silvæ.
Illam non solæ lugebitis. illam ego fletu
Perpetuo, gemituque, & luctisono singultu
Prosequar, & cineres lacrymis atque ossa rigabo.
Hic me præcipuum tangit dolor. illius urnam
Mollibus ornabo violis, & virgine lauro,
Et dicam: Jacet hoc tumulo, mea vita, Lycoris.

Extinctam Siculæ lugete Lycorida Musæ.
Ah, formosa Lycori! tuum sic linquere amantem
Dura vales? sic me solum, carissima rerum,
Destituis, comitemque fugis? tecum ire sub umbras,
Tecum unà potuissem invisam abrumpere lucem.
Gratior hæc certè mihi mors, quam vita, fuisset.
Te sine sustineam quid vivere? te sine sordent
Omnia; quique mihi quondam placuere recessus,
Quid, nisi vile solum, nunc sunt? sua gramina campis,
Arboribus frondes desunt, sua frondibus umbra,
Ex quo liquisti silvas & rura, Lycori.
Extinctam Siculæ lugete Lycorida Musæ.
O nemora! ô saltus! ô pascua læta, capellis
Delibata meis, tenerisque Lycoridos agnis!
O quoties vidi pendentes rupibus illis,
Miratusque loci faciem, diducta per omnes
Lumina converti partes, positosque notavi
Sub pedibus campos, & euntes desuper amnes!
Pascentes hic nos pecudes conjunximus unà,
Hic animos. his arboribus vitavimus æstum,
Exceptusque tuo gremio, formosa Lycori,
Duxi securos in eodem cespite somnos.
Sæpe dies primus nostros conspexit amores:
Sæpe dies serus nostros deprendit amores.
Te sero, primoque die, medioque canebam,
Lætaque silvestri modulabar carmina canna.
Hei mihi! quam lugubre sonat, quam flebile carmen
Integrat hæc eadem! quanto mœrore fatigat
Omne nemus, longisque implet cava saxa querelis!
Extinctam Siculæ lugete Lycorida Musæ.
O infelices pecudes, quondamque beatæ!
Flete, piæ pecudes, dominamque dolete peremptam.
Non vivos vobis fontes monstrabit, & amnes,
Non vobis cytisum, ac salices præbebit amatas.

Amplius, & sero saturas sub vespere coget.
Ne tamen, ô miseri, post fata Lycoridis, agni,
Incustoditi solis erretis in agris,
Vestri cura mihi incumbet. vos semper amabo:
Vos quoniam mihi cara Lycoris amaverat ante.
Vos gelidas ad aquas, herbosaque pascua, ducam.
Vos pecori immiscere meo libet. Ite, capellæ,
Ite mei, grex noster enim nunc estis, & agni,
Ite, juvat quocunque; sed, hunc arrodere montem,
Parcite; nam sacer est: jacet hoc sub monte Lycoris.
Extinctam Siculæ lugete Lycorida Musæ.
Mons sacer, & semper viridis sacra culmina montis,
Tuque lapis, qui cara meæ tegis ossa puellæ
Mole sub hac, æterna mei monumenta doloris,
Partem hujus servate animæ, dominæque sepultæ
Este leves; mollique sinu, placidoque recumbat
Illa loco: vos perpetuo venerabor honore,
Vos flore aspergam vario, tumuloque quotannis
Et lacrymas, & de lacrymis serta humida nostris
Dona feram, quæ sub nigra fortassis arena
Sentiet ipsa Lycoris, & hunc agnoscet amorem,
Muneribus sacrum cinerem dum spargimus istis.
Extinctam Siculæ lugete Lycorida Musæ.
Care cinis, semperque animo, dum vita sinebat,
Culte meo, quondam, ah quondam, pulcherrima virgo,
Et cunctis mihi virginibus prælata puella,
Nunc cinis exiguus, nudumque in marmore nomen;
Cara puella, puella oculis gratissima nostris,
Primus amor, teneraque mihi dilecta juventa,
A puero dilecta mihi, dum infirmior ætas
Umbrabat molli nondum lanugine malas,
O toties totiesque meis constricta lacertis,
O thalamo promissa meo, quid fœdera lecti
Pacta negas, quid tam sanctos abrumpis amores,
Quoque

Quoque tuum corpus tumulo, mea gaudia condis?
At non & tumulo tecum condetur eodem
Noſter amor. dum ſum ipſe ſuper, ſuper ille futurus,
Et vitæ qui finis, erit te finis amandi.
Fallor.& hac anima erepta, poſt funera, noſter (bram
Vivet amor. cinerem ipſe cinis te amplectar, & um-
Umbra tuam, nuſquamque tua divellar ab umbra.
 Extinctam Siculæ lugete Lycorida Muſæ.
Umbra beata, beata meæ prius umbra puellæ,
Quæ nunc Elyſiis erras in vallibus, & nunc
Eridani lætas pecudes ad flumina paſcis,
Si quid adhuc noſtri memor es, triſtique fluento
Ignavæ nondum potaſti oblivia Lethes,
Si quis amor memori ſupereſt, & mutuus ardor,
Hanc mihi conſerva flammam, dilecta Lycori.
Tempus erit, cum noſtra tibi ſeſe addet imago,
Amplexuſque dabit conſuetos, caſtaque figet
Oſcula, & Elyſii nemoris per amœna vireta
Paſſibus unanimes conjunctis ibimus umbræ,
Et primum ardorem, & veteres revocabimus ignes
Igne novo, nulloque ævo, nulloque dolore
Interrumpendum læti paſcemus amorem.
Interea dum lugubri tibi carmen avena,
Dum lacrymas raptæ tibi fundimus, accipe quæſo
Hæc animi monumenta, & triſtia dona dolentis,
Donaque, donantiſque animum mea ſume Lycori.
Jamque vale. Tecum manes deſcendet ad imos
Noſter amor; ſemperque tui meminiſſe juvabit.
Te nemora, & fontes, vicinaque rura dolebunt:
Te paſtorales calami: te hæc triſtis arundo
Flebilibus dicet numeris, & tempore nullo
Ceſſabunt noſtræ lugere Lycorida Muſæ.

E L E G I Æ.

ELEGIARUM
LIBER PRIMUS.

AD DEUM,

Pro salute publica.

ELEG. I.

MAgne Deus, (quid enim supereſt, quam vota preceſque?)
Da, quæſo, votis, da precibuſque locum.
Vota Deum flectunt mortalia. ſæpe precantes
Excuſſere tuâ fulmina ſumpta manu.
Te rogat auxilium tumidis deprenſus in undis
Navita, dum cœlum non niſi mente videt.
Te rogat auxilium multis ſingultibus æger,
Nec vox, amiſſa pæne ſalute, perit.
Nos quoque morbus habet, lectoque affigit inerti:
Nos etiam fluctus, nos fera verſat hiems.
Æquora ſurrexêre; mari nox incubat alta:
Ac res ſpectari nulla, niſi unda, poteſt.
Africus hinc nigris, hinc Eurus inhorruit alis:
Hinc Aquilo pinum verberat, inde Notus.
Vector in ambiguo eſt, &, dum furit æſtus arenâ,
Jam jam potandas naufragus horret aquas.
Nunc timet in Syrtes, nunc alta Ceraunia mitti,
Et parili diſtant morſque ſalumque gradu.

Creſcit

Crescit & anxietas, quantum ipsa pericula crescunt.
Ingenio robur subtrahit omne pavor.
Nec minus ægra jacet nunc patria : tota laborat;
Vellitur & miro, distrahiturque, modo.
Celtarum rex arma movet, movet arma Britannus,
Quosque sui comites Gallia Martis habet.
Quisque manu valida stimulatur, & agmina cogit.
Nec mora : diripiunt mœnia; rapta premunt.
Res ignota mihi, nota est tibi : tempore parvo
Oppida Borbonium tot subiisse jugum.
Innumeri mœrent cives, matresque, nurusque,
Et sua quæ ploret damna colonus habet.
Pars detruncata est de corpore multa; caputque,
Ipsaque pestiferum viscera virus edit.
Ulterius gliscit violentia, fulminis instar,
Magnaque cùm dederit vulnera, magna dabit.
Cladibus hæc nuper, vicinorumque ruina
Sensimus : at nostris nunc ea vera malis.
In nostrum excidium gens plurima jurat, & omnem,
Qua data porta, rogo vindice, tondet humum.
Non finis furiis, non est modus. ingruit hostis.
Hic ornat classes, hic nova signa parat.
Horrida mox campos legio pulsabit apertos:
Implebunt ponti cærula mille rates. (timetur:
Quo res summa loco? miserum est quodcunque
Quodque premit miserum est, jam patimurque, pati.
Deserimur cunctis. socii vix unus & alter.
Firma fuit reliquis in levitate fides.
Perdidimus cultasque domos, urbesque, solumque,
Cumque suo populo pristina fama jacet.
Spem quoque perdidimus. neu spes super ulla salutis,
Arte tua nobis ni medearis, adest.
Ergone tam lentâ moritura Batavia tabe?
Lumina nec condat qui morientis, erit?

Non, qui communi lacrymas in funere fundat?
 Non, qui sparsa levi pulvere membra tegat?
Orba sed exequiis, sine fletu, & honore sepulcri
 Occidet, & nudâ nuda jacebit humo?
Illane tam fœdis urenda palatia flammis
 Scilicet, & tantas hauriet ignis opes?
Quæque prius poterant & regibus apta videri,
 Lustra feris fient turpibus? antra lupis?
Mergeturque suis, quîs cingitur undique, tellus
 Fluctibus, ut fiat, quod fuit ante, salum?
Nautaque præteriens deserti litoris oram,
 Dicat: Ubi est hodie, quæ modò tanta fuit?
Diluviumve igitur rursum patieris, & imbres,
 Duraque Lamechidæ sæcla redire senis?
Non sinit hoc Arcus cœlo tuus. esse severum
 Te vetat. indicium pectoris ille tui est.
Parce, precor, partemque truci de fulmine deme,
 Et minus iratâ projice tela manu.
Succurras, oro, miseris, Pater. altera plaga
 Possit in afflictos, barbariesque, nihil.
Da vires, da communi fomenta dolori,
 Et redeat membris, qui fuit ante, vigor.
Eripe naufragio quassam navim. illa procellas,
 Et rabiem æquoreæ strenua vincat aquæ.
Mergere posse, sat est. at tu servare memento,
 Qui tibi servati gloria major erunt.
Non quia nos digni, mitissime, sed quia lene
 Pectus, & ad timidas cor tibi molle preces.
Nil equidem, nisi plura pati, meruisse fatemur;
 Turbaque vix pacem digna rogare sumus.
Mille modis te, Sancte, tuamque armavimus iram,
 Et nostrâ pœna est impietate minor.
At, nisi peccarent homines, ignoscere Numen
 Cui posses? veniæ quis locus esse queat?

Cle-

Clementem te culpa facit. mortalia cessent
 Crimina, nil bonitas quod tua donet habet.
Atque ut crebra quidem scelerato admisimus ausu,
 Sic humana tamen crimina, crebra licet.
Intra hominem mansere: cruentatique leonis,
 Ursorumque nihil de feritate tenent.
Debita non populis confudit jura, Deoque,
 Dextra: nec injustis induit arma modis.
Non male tentavit vicinam exscindere gentem,
 Innocuoque fuit sanguine facta nocens:
Impiaque incœptans sine more, sine ordine bella,
 Invasit socias, diripuitque, rates.
Fœda neque in puppes incendia movit, & ædes,
 Bellorum vetitos legibus ausa dolos.
Noxa minor nostra est. neque enim scelerata ciemus
 Arma, sed invitos arma coacta trahunt.
Vincimus ut caussa Batavi, vincamus & armis,
 Inque hostem exitium, quod minitatur, eat.
Et, si rem nulla componi pace licebit,
 Concidat; & legem, quam tulit, ipse ferat.
Tingat agrum: det terga fugæ: det carbasa ventis;
 Et rubeat multo sanguine pingue salum.
Pulvere sic tandem ferroque extorta resurgat
 Laurea: sic Batavas velet oliva comas.
Hoc cupiant captæque urbes, sociique subacti;
 Hoc gens, hoc tellus libera nostra velit:
Hoc juvenum fususque cruor, nuptæque, virique,
 Et tener, heu frustra matre tegente, puer:
Stupratæque nurus, quas ne nece perderet unâ
 Hostilis Rheno mersit in amne furor:
Hoc pecudes, ustæque domus, versique penates,
 Et Bodegravæo rudera sparsa solo:
Hoc Swammerdami cineres: hoc muta favilla,
 Quæ tua suspirans surgit in ora, rogat.

Ut fileant homines ; fluviique & faxa loquentur :
  Ut fileant, ipfis comminuêre rogis.
Sed non finitimus patitur dolor ifta fileri,
  Multaque per mœftas labitur unda genas.
Ecce nimis crudo vexata Batavia bello
  Supplicat ante tuos, ore madente, pedes.
Refpice fubmiffam, non quâ fera nubila cogis,
  Sed quâ difpellis nubila fronte, Pater:
Explicitumque brevì dubii difcrimine belli
  Ire jube populum tuta per arva tuum.
Nempe tuus certè populus fumus : & tua fæpe
  Præfentem bonitas teftificata Deum eft.
Auxiliis Hifpana tuis avertimus arma
  Bis feptem à patriis & duo luftra focis.
Cafibus innumeris modo fracta, modo addita, virtus:
  Jamque fuit victor, jamque fugatus, Iber.
Tum quoque cum noftris lux vifa noviffima rebus,
  Et non fida fatis terra, nec unda, foret ;
Tu ftatio, tu portus eras ; terraque receptos
  Vexifti ad fummum parva per orfa decus.
Magna quidem, fed præteriti monumenta favoris
  Sunt ea: figna magis nos hodierna movent.
Duxifti quoties, medios dilapfa per hoftes,
  Plena bonæ mercis carbafa? plena tui?
Aufpice te parta eft navalis adorea pugnæ.
  Succubuit telis utraque turba tuis.
Tu cæco involvis nimbo, tu nubibus atris,
  Æthera : & æftatis tempore frendet hiems.
Litora tu puppes irrumpere noftra parantes
  Disjicis irato terque quaterque mari.
Alterius frenas molimina regis, & urbes
  Cum teneat plures, pluribus ipfe caret.
Trajecto prohibes decedere : totque triumphos,
  In medio curfu, difpulit una dies.

Bruma

Bruma fuit: campi, Borea indurante, rigebant.
  Quas non ista fuit bruma datura neces?
Irruerant hostes. laxatur frigus, & aër.
  Pars hæret glacie: pars bona mersa jacet.
Haga tibi grates solvit. nec sustinet Haga,
  Dum memor ipsa sui, non memor esse tui.
Quod nondum sumus hostili data præda furori,
  Urimur & servo libera colla jugo:
Quod lucem hanc, quod adhuc vitales ducimus auras:
  Hoc quod nunc grati possumus esse, tuum est.
Parce, Pater; servaque tuam, tua munera, gentem:
  Nec tua sint nobis ora severa diu.
Et, *puto*, mollescent. facie quâ durus, eadem
  Justus es, atque tuos non sinis usque premi.
Justus eris certe, non justaque tela refringes;
  Jamque hostes pœnas, quas meruere, dabunt.
Auguror; occumbent: & lapso lætior annus
  Protinus auspiciis ibit, eatque, tuis.
Intepuere nives, & clementissima cœlo,
  Ac nova jam redeunt tempora, vere novo.
Tu quoque cum miti redeas clementior horâ,
  Et lenem mundi morem imitare tui.
Aspera cesserunt ut frigora, prælia cessent
  Aspera, & optatæ tempora pacis eant.
Neve, Pater, mea Musa tua sit longior ira,
  Illa modum ponat versibus, ira sibi.



IN-

IN TERTIAM BATAVORUM DE GALLIS AC BRITANNIS *eâdem æſtate reportatam* NAVALEM VICTORIAM.

ELEG. II.

DIcite nunc, Pæan, &, Iö, ter dicite, Pæan!
Ter Batavis domito laurea parta mari eſt.
Eloquor? an ſileo, ſignatque modeſtia vocem,
Cautiùs & tantus diſſimulatur honor?
En taceo. lingua non eſt opus: æquora pro me
Hoſtili poterunt tincta cruore loqui:
Quique globi per inane volant; immiſtaque fumo
Fulgura; & obductus nocte nigrante dies:
Et vos concuſſi tormenta per ænea colles,
Litoraque, & rauco mœnia quaſſa ſono.
Deſiſtant hominum ora loqui: tormenta ſonabunt
Latiùs: hæc vel me bella ſilente canent.
Hæc melius Batavos enarratura triumphos.
Exigui non eſt gutturis illud opus.
Auſtrinum gelidâ ſonus hic pertinget ab Arcto
In mare. vox æris tanta futura cavi eſt.
Audiat hanc Eos, & quà declinis Ibero
Phœbus anhelantes gurgite mergit equos.

Proſtra-

Proſtratos ſale Pleumoſio terra audiat hoſtes,
Nereaque excuſſo legibus ire jugo:
Ter reges cecidiſſe duos: & ſparſa per undas
Alnorum innumeris membra, virûmque, locis.
Necte triumphales, age necte, Batavia, lauros,
Sertaque Daphneæ quernea junge comæ:
Victorique Deo grates, & debita ſolve
Carmina, pro populo qui tulit arma ſuo.
At vos, ô Reges, auctorem agnoſcite veſtræ
Cladis, & adverſo ponite tela Deo.
Cernite, nî vobis oculos ille abſtulit omnes,
Quæ faveat nobis dextra, quibuſque modis.
Scilicet infeſtis circumvallata catervis,
Et prope capta capit, victaque vincit humus.
Ecqua fides? uno ſoli tria vicimus anno
Prælia. non hominum; Numinis iſta nota eſt.
Agmina vos ſternunt cœleſtia. parcite cauti
Humanas illis oppoſuiſſe manus.
A tergo vindicta premit. concedite cœlo.
Jamdudum veſtrum damnat, & horret, opus.
Illius exemplo deſtrictum condite ferrum:
Sitque odiis aliquis barbariæque modus.
Tuque prior, Lodovice, iram depone minaſque,
Diraque perpetuâ comprime bella ferâ.
Quid Chriſti delere paras, fortiſſime, gentem,
Tu qui de Chriſti nomine nomen habes?
Non tam ſæva tibi de ſe monumenta reliquit.
O quantò ingenio mitior ille tuo!
Ille ſuum pacem populum, non bella, docebat:
Quæque ſuis tribuit commoda, pacis erant.
Pax erat in vultu, pax dulci fluxit ab ore,
Exemplum pacis vitaque morſque fuit.
Et nunc per Bethlæ colles errabat amicos,
Errabat campis nunc, Samaria, tuis:

Nunc Galileæ placidâ ſpatiatus in umbrâ,
  Paſcebat mites, flumina propter, oves.
Hærebant amnes, ſpirabant lenius auræ,
  Jordanes fractâ lenior ibat aquâ:
Clementique ſacram lambebat flumine ripam,
  In morem Domini tranſieratque ſui.
Nulla per hunc fuſo maculata eſt unda cruore,
  Nullius manus hæc ſanguine facta nocens.
Pax fuit, & pacem coluit Deus. oderat arma:
  Multaque perpeſſus vulnera, nulla dedit.
Has dotes imitare bonus; pacemque, Deumque,
  Indue: quemque refers nomine, mente refer.
Quid petis innocuos? regnandi immenſa cupido,
  Quos libuit, populos num facit eſſe reos?
Quin potiùs junctæ ſociamus fœdera gentes,
  Alteriuſque bonis altera ſervit humus?
Et poteras proprio ſecurus vivere regno:
  Satque tibi campi, ſat ditionis, erat.
Nec minùs & reges audires maximus inter,
  Nec minùs Europæ gloria prima fores.
Auguſtus toti dum legem imponeret orbi,
  Num patre, num ſe ipſo bella gerente minor?
Pace data, gemini ſtridentia limina Jani
  Clauſerat, imperii cenſor, amorque, ſui.
Ipſe fruebatur donis, lætoque ſuorum
  Carmine. pax illi longa triumphus erat.
Non illum gladius, non illum ſica peremit.
  Algentes oculos Livia preſſit anus.
Hæc eadem te fama, eadem hæc te vita maneret,
  Imperio votis ſufficiente tuis.
Subjiciunt tibi regna duo latiſſima Celtæ.
  Ampla parum capiti bina corona tuo eſt?
Quid Batavo affectas victricem in pulvere palmam;
  Nec, quanto hæc veniat palma cruore, vides?
O, tibi

O, tibi qui varias Europæ ſubjicis urbes,
Quot tua fleturis gentibus arma moves!
Tu quoque quid populos bellum moliris in illos,
Carole, quîs ſolii debitor ipſe tui es?
His tu muneribus Batavûm benefacta rependis?
Et violare fidem, conciliare vocas?
Nec te noſter amor, nec te communia vincla,
Nec te Relligio, nec Deus ipſe movet?
Quò conjuratam deducis in æquora claſſem?
Quantùm fraterni funeris illa vehit!
Quid maris affectas regimen? mortale recuſat
Imperium pontus. vindicis ille Dei eſt.
Mandatis, rex magne, tuis ut pareat æquor,
Æquore disjectæ dant documenta trabes.
Quis fructus deteſtandi, quæ gloria, Martis?
Cogeris heu damnis arma movere tuis.
Ipſa dolet merſam viduata Britannia pubem:
Ipſa dolet nullas ire, redire, rates.
Incipe (quid ceſſas?) feſſis ſuccurrere rebus.
Si non vis noſtris parcere, parce tuis.
Ulterius duri ſtudiis ne tendite, Reges.
Horrida ſanguineâ projicite arma manu.
Deſinite infandis divellere cædibus orbem,
Qui meliùs per vos conſociandus erat.
Ah ſatis eſt. revocate viros, revocate carinas.
Quò ruitis? patrium quiſque redite larem.
Ite, precor, tandem unanimes in fœdera fratres,
Et ſperata diu tempora mundus agat.
Pergite, dum locus eſt, dum lecta Colonia paci.
Neſcio quam ſpondet jam mihi Rhenus opem.
Diſcordes liget ille animos: tellure marique
Commiſſum populis expiet ille nefas:
Et, conſanguineò modò quæ maduere cruore,
Fœdere conſtrictas abluat amne manus.

TUL-

TULPIANIS MANIBUS.

Ex persona Defuncti.

ELEG. III.

PArce meos lacrymis onerare, Batavia, manes,
Quisquis & ad tumulum flesque gemisque meum.
Flere decet juvenes, quos primo in flore juventæ
Occupat, ante diem mortis, acerba dies.
Terrarum & vitæ saturo quod vivere possem
Defuit, haud ultra vita, quod optet, habet.
Dum vixi, corpus validum, patiensque laborum,
Incolumique fuit prole beata domus.
Pœonias colui non infeliciter artes,
Crevit & ingenio res tua, Phœbe, meo.
Nec vixi sine honore: meo pede curia trita est,
Parsque senatorum Tulpius una fui.
Ipse suos, ultroque, mihi quater Amstela fasces
Obtulit, & magnæ credidit urbis onus.
Neve inclusa foret patriis mea gloria muris,
Inclyta virtutis testis & Haga meæ est.
Hæc ingesta mihi: sed, honore potentior omni,
Pax animi votis una petita meis.
Hæc fasces, hæc regna domi majora parabat.
Perpetuus placido sub lare consul eram.
Non illic studiis, non ambitione trahebar,
Curarum oblitus omnium, & ipse mei.
Sic ego transegi, Natura quod addidit annis:
Sic mihi dulce fuit vivere, dulce mori.

O ter

O ter inoffenso felix qui tramite vitæ
 Supremum clausi composuique diem!
Amisit jam plaga locum. me jure beatum
 Nominet, ac Crœso præferat, ipse Solon,
Quod neque divitiæ Lydo, distincta neque auro
 Purpura, mors animo præstitit omne meo.
Mors, hujus finis vitæ, melioris origo,
 Plus mihi dat solio, Crœse superbe, tuo.
Non ego Cecropium suprema voce vocavi
 Arsurus structis in mea fata rogis.
Tranquillus placidusque senilia lumina condens
 Implevi summum, Morte vocante, diem.
Fortunate dies, qui me tellure caduca
 Tollis, & optatos das habitare locos.
Jam dudum mea sidereas speraverat arces,
 Gaudebatque Deo mens propiore frui.
Sub pedibus jacuistis opes, jacuistis honores,
 Et quæ sollicitum somnia vulgus amat.
Contemptumque lubens mundum, cupidusque reliqui,
 Hic etenim mundus quid, quod amemus, habet?
Mille per ærumnas adeo producitur ævum.
 Nunc miseros morbi, nunc fera bella premunt.
Nupera quid repetam Batavis data vulnera rebus,
 Cum durum fuerat vivere, suave mori?
Ut patriam vidi, Faveas, pater optime, dixi,
 Et des alterutras pondus habere preces:
Hostibus innocuam belloque evertere gentem,
 Si placet & sedit; mors mihi sola placet:
Sin punire juvat potius, non protinus omnem
 Perdere, sim, salva gente, superstes ego.
O mea tam lentis procedat passibus ætas,
 Ut videam Batavo reddita jura solo!
Tum, Genitor, quocunque vocas sequar ordine lætus.
 Est mihi nam, patria sospite, vita mori.

Audit, & extremam donat ſuccedere partem.
  Hoc quoque fortunis addidit ille meis.
Quid votis ego velle, Deus dare majus habebat?
  Munere nil iſto plenius eſſe poteſt.
Lumina viderunt pacem mea, cumque Britannis
  Tertia concilio fœdera facta meo.
Cœleſti nunc pace fruor: Mars exulat unde
  Impius, & nullum mors habitura locum.
Explicitâ bello patriâ, patria altera cœlo eſt.
  Illius dicor civis, ut hujus eram.
Hîc amor, hîc fixas poſuit concordia ſedes:
  Hæc æterna quies templa ſaluſque colunt.
His ego commutem terreſtria? cedite, terræ,
  Et quiquid vani lubricus orbis habes.
Vivere, ſi detur, renuam: juveneſcere nolim;
  Et, quam confeci, rurſus inire viam.
Quis citet admiſſos retro de carcere currus,
  Extrema ſpatium circueunte rota?
Quis vento exponat dubiam, pelagoque, carinam;
  Quam ſuus in tutum fluctus, & aura, tulit?
Jam metam tenuere mei, palmamque, jugales:
  Quem petiit, portum jam mea puppis habet.
Et felix vixi, & felix vitale reliqui
  Lumen: habet cœlum mens mea; corpus, humum.
Ergo flere virum vitaque & morte beatum
  Deſinite: invidia eſt, non amor, iſte dolor.



De Morte

ABRAHAMI HEIDANI,

Ad

CAROLUM CRUCIUM,

Nepotem.

ELEG. IV.

ERgone vixit avus, Cruci, tuus, oraque pressit,
Quæ toties lycrymas elicuere meas?
Illa silent: nigraque brevì condentur arena.
Heu quantum eloquii vilis arena teget!
Parce tamen lacrymis, ô Carole, parce dolori.
Nil poterunt lacrymæ, nil tuus iste dolor.
Sic placitum cœlo. cœlo parere necesse est.
Non hoc, quem luges, si queat, ipse neget.
Hoc docuit populumque suum, carosque nepotes:
Hoc docet exemplo teque tuosque suo.
Hic te flere vetat. monitum ne sperne supremum,
Dilecti monitus usque secutus avi.
Ille tibi interiit flendus, populoque, mihique;
Me tua, me populi, me mea damna premunt;
Sed tamen interiit senior: lætusque lubensque
Mortem obiit, vitæ jam satur ipse suæ.
Quid quod & hanc primo semper meditatus ab ævo est,
Quodque diu didicit ferre, subivit onus?
Est aliquid, didicisse mori; passuque volente,
Quando fata vocant ultima, fata sequi.

Eſt aliquid, laudum titulis & honoribus auctum
  Florentem multa prole videre domum;
Et natos, & perpetuos numerare nepotes:
  In quorum ſerie, Carole, primus eras.
Hujus adhærebas lateri comes: hujus ab ore
  Legiſti madidis ultima verba genis.
Num tibi ſuccurrit ſupremæ noctis imago?
  Quæ vox, qui vultus jam morientis erat?
Magno animo occubuit: vultuque, & pectore forti
  Naturæ legi paruit, atque Deo.
Nec tamen occubuit. mens eſt, qua vivitur: illâ
  Vivit, & extremum vivet ad uſque diem.
Quod fuerat mortale, jacet. populabile corpus,
  Et tantum cineres oſſaque terra tenet.
Fama viri totum ſpatioſa perambulat orbem,
  Altaque contempto ſcandit in aſtra ſolo.
Dum Muſis conſtabit honos, dum Leida vigebit,
  Doctorumque leget ſcripta, legetur avus.
In linguis animisque hominum, per ſæcula, vivet:
  In cognatorum cordibus, inque tuo.
Hoc ſit ut exiguum: pro vita hac, vita perennis
  Eſt data; qua majus nil habet ipſe Deus.
Sedibus adſcriptus ſuperis, cœloque receptus,
  Debita cœlicolis otia lætus agit.
Hîc fortunatum calcat nemus, arvaque luſtrat,
  Quò ſibi commiſſas ante vocavit oves.
Hîc pace æterna fruitur: flammantia mundi
  Hîc admiratur templa, ſuumque Deum.
Quare age, parce queri: nec eum vixiſſe putemus
  Carole, cui vitam Fama, Deusque, dedit.
Ingenium in terris: alto mens vivit Olympo.
  Hæc ſunt Heidani: cætera mortis erant.

NA-

NATALIS CHRISTI.

ELEG. V.

DEſcendit cœlo Deus, & mortalia membra
Induit, & naſci paupere gaudet humo.
Bethlemii ſalvete lares, vos ſcilicet illum
Excipitis, quem nec terra, nec æthra capit.
Clauditur abjecto deſolatoque mapali,
Qui mare, qui terras, ſideraque alta regit.
Qui cœlum ſtellis, qui terram gramine veſtit,
Lana homines, pecudes vellere, veſte caret.
De ſtipula fænoque Parens dat ſedula Nato
Quas poterat veſtes, quem poteratque torum.
Eſt illi præſepe torus, virgulta tapetes,
Turba pecus, parvæ tecta ſuperba caſæ.
Illic adſtanti Matri, quas ruminat, herbas
Porrigit officio bos aſinuſque novo.
Et quaſi ſentirent vicinum Numen, adorat
Vicinum flexo Numen uterque genu.
Ille autem, quem mox totus venerabitur orbis,
Vilibus in ſtabulis ſtraminibuſque jacet.
Majeſtas tamen in Puero eſt, divinaque virtus
Emicat è teneris, & Pater ipſe, genis.
Agnoſcunt illum aligeri toto æthere cætus:
Et plauſu & læto murmure cuncta ſonant.
Pars carmen cœleſte canit: pars nuntiat orbi
Adventum Pueri fauſtum, hominemque Deum.
Deſerit excubias paſtor, cunaſque ſalutat,
Et variis ſacram floribus ornat humum.

Eoi veniunt extremo à litore reges,
Plurimaque obſequii munera ſigna ferunt.
Ipſa viam monſtrant ſummo rutilantia cœlo
Sidera, natalem reſpiciuntque locum.
Dicite, mortales; quis non deprendit in illo
Numinis effigiem Patris, & ora Dei?
Ille Deus, Puer ille, ætas cum fecerit illum
Firma virum, mundi triſte levabit onus.
Humani generis ſordes Puer iſte piabit,
Quæque fuit noſtrum pondera ferre feret.
Credere quis poſſit! mortem vitæ oppetet auctor:
Ut nobis vitam morte det ille ſua.
Nos ut amet, Deus ecce ſuos exponit amores,
Datque neci Gnatum (quis putet?) ipſe ſuum.
Mira Dei bonitas: nos pro bonitate parentis
Sternimur ante tuos, ô modò nate, pedes.
Quod fieri voluit, feciſti; ultroque lubenſque,
Paullum occultato Numine, factus homo es.
Nec te matre, Puer, puduit de paupere naſci;
Nec puduit parva delituiſſe caſa:
Et circumſtantes inter vagire juvencos,
Mugituſque boum percipere aure tua.
Deprimeris, nos ut tollas in cærula cœli:
Nos ut honoremur, tu ſine honore jaces.
Ipſe humilis cum ſis, humiles nos eſſe jubemur,
Et mundum exemplo ſpernere opeſque tuo.
Tu non inflatas animas, & tenuia corda
Eligis, atque humiles ad tua regna vocas.
Alme puer, ſi Paſtorum tibi vota piorum;
Munera ſi Regum grata fuere tibi:
Si puro dantes animo, non munere, cenſes;
Si locus eſt votis, muneribuſque meis:
Munera parva meæ ne dedignere Camœnæ;
Dedignere animi ne pia vota mei.

Vota tibi ferimus, ferimus tibi carmina noſtra.
Tu vultu adſpicias iſta decente Deum.
Ille bonus, facilisque. bono mea munera vultu,
Naturæque tuæ conveniente vide.
Nec tu dona, precor, ſed amorem dantis, in illis
Adſpice. res magno convenit illa Deo.
Corda Deus ſpectat, non munera. ſi bona mens eſt,
Plus centum bubus, ſimplice gaudet ove.
Quare luminibus donum, dantemque, benignis
Conſpice, ſi donum forte datorque placent.
Blande puer, Matriſque tuæ, Patriſque voluptas,
Edite matre puer virgine, patre Deo:
Verus homo, verum Numen, decus ætheris alti,
Humani generis ſpes, Erebique tremor:
Lætitiæ, paciſque dator; namque otia mundo
Natales quondam læta dedere tui:
Huc oculos faciles, pacataque lumina flecte.
Illa mihi cœlum lumina, teque dabunt.
Te mihi cum dederis, dederis ſimul omnia tecum.
Tantùm in me vertas ora, beatus ero.
Quem ſemel adſpiciunt radiis tua lumina puris,
Illum continuo vita beata manet.
Nos etiam numero per te numeremur in iſto,
Simque tui pretium parsque laboris ego.
Me quoque, ſi merui tantos indignus honores,
Reſpice, & è cunis exere mite caput.
Utque tuas vidit cunas paſtoria turba;
Sic mihi ſit, ſolium poſſe videre tuum.



MORS CHRISTI.

ELEG. VI.


Ccumbit, moriturque Deus. Sol, occule vultum,
Lucidaque inductis nubibus ora tege.
Audit, & inductis condit Sol nubibus ora,
Ne videat Domino tantum obeunte nefas.
Induit atratas vestes, nostrique colorem
Criminis, extincto, machina tota, Deo.
Horrendo reboat tonitru, micat ignibus, æther.
Hunc solum præbet gentibus ille diem.
Succutitur tellus: surgunt maria aspera ponto:
Diffiliuntque altis ardua saxa jugis.
Ecce Sion sua templa quatit, sacra lintea rumpit,
Dilectus Superis ille, Deoque, Sion.
Una tamen Solyme concusso immobilis orbe
Permanet, & multo cæca dolore furit.
Illa, odiis ardens immanibus, agmine denso
Circumstat lignum triste, Deumque necat.
Monte sub aërio terræ moderator & alti
Ætheris infami de trabe pendet onus:
Extensasque manus, longis affixaque clavis
Ostendit magno brachia nuda Patri.
Spina caput fodit, hasta latus, perque omnia membra
Mille fluit plagis vulneribusque ruor.
Utque cruor venas, linguam sic deserit humor.
Sanguine membra suo, lingua liquore caret.
Qui vivos homini fontes, undasque salubres
Sufficit, & dulces sponte ministrat aquas,

Fons

Fons vitæ, fons jugis aquæ, sitit ipse, & aceto
  Cogitur, & mixto felle levare sitim.
Nec satis hoc. verbis turba illum incessit amaris,
  Et plus, quam ferrum, quam sitis, ora nocent.
Si Deus es, descende tuo, Deus inclyte, ligno,
  Atque aliquid magno dignum, ait, ede Deo.
Qui plures alios servasti, occideris ipse.
  I nunc, & regis, rex bone, nomen habe.
Ille silet, Patremque ipsis pro sontibus orat,
  Et verba errorem, non scelus, ista vocat.
Nec minus & dictis illum mordacibus urit
  Ejusdem pœnæ suppliciique comes.
Increpat hunc socius: Quis te furor incitat? inquit:
  Præsentemne times, jam moriture, Deum?
Tu vero nostri mox sis memor. Ille precanti
  Annuit: Hac cœlum luce videbis, ait.
Dixit: & in mediis animam singultibus efflans
  Occidit ante oculos, gens Solymæa, tuos.
Quid facis, ô Solyme? si nescis, barbara, regem,
  Et vestrum, & mundi regem, inimica necas.
Quem vos supplicio afficitis, vitæque necisque est
  Arbiter ille, Deo natus, & ipse Deus.
Exiget ille olim dignas hoc crimine pœnas.
  Effugite, iratum jamque timete Deum.
At vos, ô populi, mundique accurrite cives;
  (Sic vobis fusus sit, precor, iste cruor)
Adspicite inflexumque caput, vultusque cruentos,
  Sanguineasque manus, sanguineosque pedes:
Purpureosque humeros multo sudore madentes;
  Purpureum pectus, purpureumque latus.
Hoc latus opposuit nostris interritus ille
  Hostibus: hoc nostri pectore vixit amor.
His humeris vasti portavit crimina mundi,
  Et, quod nos ipsos ferre decebat, onus.

His pedibus liquidi calcavit marmora ponti,
Et nulli tritum per mare fecit iter.
His manibus certum auxilium mortalibus ægris,
Nulla quod his poterant gramina ferre, tulit.
Hoc vultu nobis iratum sæpe Parentem
Leniit; & verbis molliit ille suis.
Hei mihi, quam diversus ab hoc cruce pendet ab alta,
Distractus miseris omnia membra modis!
Fortis amor, quis te possit memorare canendo?
Quis laudare satis, quis redamare, Deum?
Humana pro gente Deus, pro sontibus insons,
Crimina, quæ nos commisimus, ille luit.
Supplicio letoque suo nos eximit omni
Supplicio: nam mors nos vetat ista mori.
Supplicium servile, suo delapsus Olympo,
Ne serviremus nos, subit ipse Deus.
Ipse dator vitæ vitales deserit auras:
Dumque perit genitor lucis, & illa perit.
Damnatur, luce indignus, caligine mundus,
Illud inexstinctum lumen ut umbra tegit.
Hic dum Justitiæ Sol occidit, occidit & Sol,
Ulteriusque suis ire recusat equis.
Quid mirum? Natura cadit, dum concidit Auctor.
Naturæ moritur lex, moriente Deo
Ecce Deus moritur, diroque è stipite pendet,
Opprobrium populo ludibriumque suo.
Pendet ab excelso ligno, terramque polumque
Inter, qui nutu solus utrumque regit.
Latrones inter geminos sanctissimus ille
Pendet, & hanc mortem, ceu sceleratus, obit.
Morte cadit turpi, quo magnificentius uno
Nil habet hæc mundi machina, & ipse polus.
Discite mortales, quid mors ea prosit amanti
Talia perpessum cum pietate Deum.

Mors nobis vitam, mors nobis iſta ſalutem
  Contulit. hac fluxit de cruce noſtra ſalus.
Credite mortales, noſtro pro crimine fuſus
  Iſte cruor, noſtras abluit ille notas.
Corporis atque animi maculas cruor abluit iſte.
  Intemerata per hunc puraque turba ſumus.
Ille ſalutari nos expiat imbre, Deumque
  Immemorem noſtri criminis eſſe facit.
Ille dat æternam vitam, æternamque ſalutem;
  Ille dat, æthereas poſſe videre domos:
Et fortunatas animas, pacataque coram
  Pro nobis cæſi conſpicere ora Dei.
Ergo nec opprobrio, nec vobis iſte pudori
  Sit Deus: occiſum mente videte Deum.
Pro nobis ignominias, pœnaſque ſubivit
  Has Deus. hac orbis cæde piandus erat.
Ut luſtraretur deterſis ſordibus orbis,
  Factus homo Deus eſt, victima factus homo eſt.
Victima pura, nec ullius rea victima culpæ,
  Victima grata homini, victima grata Deo:
Reſpice ſublimi nos de cruce, noſtraque tolle
  Crimina, nos propter victima facte Deus.
Nec mortem hanc noſtris infer rationibus, hujus
  Nos quoque pars turbæ quamlibet una ſumus.
Nos, nos te ligno ſuffigimus, haſtaque noſtra
  Infligit lateri vulnera cruda tuo.
Noſtra tibi ferro claviſque trabalibus ira
  Tranſadigitque manus, tranſadigitque pedes.
Dextera noſtra caput ſpinis tibi pungit acutis:
  Et te, ceu quondam, crimina noſtra necant.
Ne tamen hæc nobis, precor, ingere; cunctaque perfer,
  Quæ te olim noſtri ferre cöegit amor.
Has plagas, hoc ſupplicium te ferre cöegit
  Humani generis, teque peremit, amor.

Et

Et cessamus adhuc tepidi, nec amamus amantem,
 Qui nostri periit captus amore, Deum?
Surgite, terrarum populi, paribusque calete
 Ignibus, & flammas concipite usque novas:
Et vitam, quam vitæ auctor quondam in cruce vestri
 Sprevit amore Deus, spernite amore Dei.
Qui lucem vitamque Dei contemnit amore,
 Vita perennis ei præmium amoris erit.
Hic illo dispar amor est, meliorque priore:
 Conferet hic vitam, contulit ille necem.
At tu, qui nostri caluisti semper amore,
 Qui nostri pariter nunc quoque amore cales,
Da pronos in amorem animos; & corde vicissim
 Spiret amor nostro, spirat ut ille tuo:
Quasque prius nostri liquisti Numen amore,
 Da nobis patrias olim habitare domos:
Et, quam tu moriens pro nobis sponte subisti,
 Evitare necem da, prohibeque mori.



CHRI-

CHRISTI RESURRECTIO.

ELEG. VII.

Te Dei bellatrices in tempora lauri:
Mors debellata eſt victaque morte Dei.
Ite triumphales lauri: ſpinisque rubisque
Implicitum veſtra cingite fronde caput.
Magna Deo parta eſt victoria. gaudeat æther,
Et bis Iö bis Iö terra triumphe canat
Morte Deus victa, ducit de Morte triumphum,
Sub pedibuſque ſuis illam, Erebumque, premit.
Vix bene ad inviſas Erebi pervenerat umbras,
Protinus inferni cùm tremuere lacus.
Horruit, & flammis Phlegethon minus acribus arſit:
Pallida Styx imis condidit ora vadis.
Impuræ fremuere umbræ; Pallorque, Timorque,
Et Furor, & Rabies, & ſcelerum atra Fames,
Nulliusque boni Mens conſcia, Numine viſo,
Anxia præcipiti terga dedere fugæ.
Fugit, Tartareisque caput Mors abdidit antris,
Conſcia ſupplicii, Virgine nate, tui.
At ſancti manes, & quos felicior æther
Detinet, & Zephyri purior aura fovet,
Sponte ſuo occurrunt Domino; fractisque ſepulcris
Multa per Hebræos umbra vagatur agros.
Ipſe ſuo ſurgit tumulo, Letique Erebique
Victor Idumæam, ceu prius, ambit humum.
Mane

Mane erat, & primo lustrabat lumine montes
 Eoïs vixdum fluctibus orta dies,
Cùm vitæ & lucis tumulo caput erigit auctor,
 Et rupta, tanquam Sol novus, exit humo;
Exuviasque, catenato quas cœpit Averno,
 Et quæ, devicta Morte, tropæa tulit,
Judæo monstrat populo, medioque Sionis
 Culmine, Calvaria monte fremente, locat.
Interea busto effracto dum surgit Iësus,
 Quamque sua tinxit cæde pererrat humum,
Visuræ Domini tumulum, Dominique cadaver;
 Approperant matres, approperantque nurus:
Cara Deo matres dilectaque turba, minusque
 Sanguine conjunctæ, quam pietate, nurus.
Illæ mane novo, primi sub lumina Solis,
 Excedunt tectis, urbs Solymæa, tuis.
Campus erat, Solymæque situm prope mœnia bustum,
 Condiderat Dominum quo pia turba suum.
Illuc dum properant matres, subito ecce fragore
 Intumuit quassum, contremuitque, solum.
Aliger ex alto juvenis descendit Olympo,
 Et tumuli clausas non sinit esse fores.
Ille manu saxum busto devolvit aperto:
 Ipse super busti saxum, aditumque sedet.
Pura Viro vestis, nivibusque simillima primis:
 Os roseum, roseo fulgor in ore fuit.
Accedunt timidæ matres. Quem quæritis, inquit,
 Non hîc est Dominus, sed Domini iste locus.
Discedunt mœstæ matres. Quem quæritis, inquit,
 In Galilæis invenietis agris.
Ite bonis avibus matres: vos ite beatæ,
 Atque hæc Discipulis dicite verba, nurus.
Illæ deseruere locum, monstrataque jussæ
 Arva petunt. hinc spes urget, & inde metus.

Jamque

Jamque propinquabant Solymeæ mœnibus urbis,
Quando illis præsens obtulit ora Deus.
Cognatæ salvete meæ, quem quæritis adsum,
Ille ait: hæ flexo procubuere genu.
Surgite cognatæ, subdit Deus: ite ministræ,
Atque hæc Discipulis visa referte meis,
Dixerat: hæ celeres peragunt mandata, viamque,
In tenues auras dum fugit ille, secant.
In tenues abit ille auras, visendaque rursum
In Galilæo subtrahit ora solo.
Christicolæ gaudete: Necem superavit, & orcum,
Qui nunc sub pedibus calcat utrumque suis.
Christicolæ gaudete: sacras vos nectite lauros,
Lætaque victori dicite verba Deo.
Exit in aërias, tumulo modò conditus, auras:
Et vivit, vitâ qui modò cassus erat.
Erumpit tumulo, tenebras non passus inertes,
Tertius Eoo surgit ut orbe dies.
Hoc totidem luces balæna mersus Iönas:
In puteo latitans hoc Iösephus erat.
Hoc illud templum, populi, Deus alme, furentis
Destructum manibus, compositumque tuis.
Tu, velut ante, artus laceros, diffractaque membra,
Templi hujus lapides vivaque saxa, locas.
Tu Mortemque, Erebumque domas; justumque triumphum
De Nece, de tumulo, de Styge, victor agis.
Et quid prodesset mors hæc, nisi, Morte perempta,
Exisset tumulo vivus, ut ante, suo?
Quo pugnasse fuit, nisi eam victoria pugnam,
Atque triumphalis palma, secuta foret?
Infernum frustra fuerat domuisse tyrannum,
Victor ab infernis ni rediisset aquis.
Ecce redit, manibusque Necem post terga revinctis
Sub superas auras, & sua jura, trahit.

Testis

Teſtis erit primæ rupes Calvaria pugnæ,
  Plena latrocinii, plena cruoris humus.
Eſt illâ cum Morte Deus congreſſus arenâ:
  Mortem illo vicit culmine morte ſua.
Concidit infelix divinâ bellua dextrâ;
  Quoque loco ſolita eſt vincere, victa fuit.
Nec ſatis: inſequitur fugientem Victor in imas
  Buſtorum latebras, & loca ſenta ſitu.
Nec ſatis: inſequitur fugientem Victor in altas
  Umbrarum tenebras, Tartareumque chaos.
Hic ſe occultantem dono caliginis atræ
  Conſtringit vinclis, implicitamque tenet.
Nec mora: vitales auras Hebræaque luſtrans
  Oppida, natalem rurſus oberrat humum;
Induit & ſpolio ſe triplice, deque ſepulcro,
  De Nece, de Stygiis rite triumphat aquis.
Nil Stygiæ jam juris habent, nil roboris, undæ.
  Perdiderunt vires mors tumulusque ſuas.
Si morimur, vitam æthereo ducemus Olympo,
  Cujus nec ſpatium, nec modus ullus, erit.
Si tegimur tumulo, tumulo ſurgemus eodem,
  Et vivum hi cineres oſſaque corpus erunt.
Nec, qui nos longa damnatos nocte tenebat,
  Damnabit tenebris Orcus, ut ante, ſuis.
Salve, ingens Erebi victor, tumulique, Necisque,
  Hoſtibus eripiens terna tropæa tribus.
Tu moreris, tu proſtrata de Morte reſurgis.
  Crux hominem, tumulus te docet eſſe Deum.
Magne Deus, qui nunc victa de Morte triumphas,
  Et nigra, amoto marmore, ſurgis humo,
Tu faciliſque bonusque veni, precor: utque ſepulcro
  Horrida vulneribus fractaque membra levas,
Sic nobis vita caſſis, tumuloque ſepultis,
  E tumulo liceat ſurgere, teque ſequi.

CHRI-

CHRISTI
IN COELUM ADSCENSIO.
ELEG. VIII.

HActenus in terris, quod juſſerat æthra, peractum
Empta Dei ſacro noſtra cruore ſalus. (eſt.
Omnia quæ voluit Genitor, tulit omnia Gnatus.
Nil, Hic quod jubeat, quod ferat Alter, habent.
Debetur cœlo Numen. tellure relicta
Tendit in æthereas, regna paterna, domos.
Non procul à muris Solymes, altoque Sione,
Collis erat : colli nomen oliva dabat.
Occupat hunc, ſolita comitum ſtipante caterva,
Diſcipuliſque refert talia verba, Deus.
Ite mei, gens cara mihi, gens fida, miniſtri,
Et, quem vos docui, ritè docete Deum.
Vos mea vidiſtis coram miracla : laboris
Vos eritis teſtes tempus in omne mei.
Me Solyme, me gens Judæa, quod ante negavit,
Agnoſcet Dominum, totaque terra, ſuum.
Jamque dies veniet, voto vicinior ipſo,
Qui manifeſta ſui ſigna daturus erit.
Spiritus ex alto vos accenſurus Olympo eſt.
Lucebit ſubito tota nitore domus.
Hæc ubi dicta, leves abiit, ceu fumus, in auras,
Aëria nitidum nube tegente caput.
Obſtupuere animis comites, longéque volantem
Cernere luminibus non potuere ſuis.

Dum cœlo intendunt oculos, in vestibus albis
Ponè adstant juvenes ecce repente duo.
Hoc quid cœlum oculis spectatis, & æthera fixis,
O Galilæi, pectora sancta, viri?
Ut petiit patrium Deus æthera, non secus idem
Descendet patrio, ne dubitate, polo.
Sic fati, aërias illi fugêre per auras:
Hi repetunt muros, urbs Solymæa, tuos.
Interea jam non oculis spectabile Numen
Invehitur liquidis in sua regna rotis.
Campus erat, cœli spatium; cava nubila, currus;
Flamina, equi; ventos currus habebat equos:
Aurea cæruleum variabant sidera currum,
Ut formam cœli posset habere sui:
Auratæ fulsere rotæ; temo aureus illi;
Aureus, & stellis concolor, axis erat:
Argentum se per radios diffuderat omnes;
Ad juga Chrysolythus, multaque stabat onyx.
Protinus aërium cœli per inania currum
Cum Zephyro Boreas, Eurus, & Auster agunt.
Ipse triumphali Deus insidet ætheris axi,
Cæcaque quadrijugis nubila findit equis.
Candida erat, simplexque, Deoque simillima vestis:
Ornabant dextram gemmea sceptra manum.
Ornabant sua sceptra manum, sua sidera crines:
Splendebat sacro multus ab ore decor.
At chorus Aligerum, cœlo delapsus ab alto,
Occurrit Domino, Patre jubente, suo.
Hi currum circumvolitant, niveoque coronant
Agmine. Cœlestum personat æthra tubis.
Cœlestes sonuere tubæ; lætumque Triumphe,
Qua vehitur, magno concinuere Deo.
Ille simul terras linquit, simul æthera tangit,
Altaque despectâ sidera calcat humo.

Ætheree

Æthereæ patuere fores, patet aula Tonantis,
Seque suum sistit Filius ante Patrem.
Care Pater, mundo sæcloque perennior omni,
En tua confeci jussa: quid addis? ait.
Ulteriusne meo scelerata injustaque tellus
Sanguine pascenda est, sanguine pasta meo?
Prætereane jubes aliquid, Pater? annue tantum,
Sitque modus pœnis, meta nec ulla, meis.
At Pater, ô oculis & me mihi carior ipso,
Vera tui soboles, Gnate, Parentis, ait:
Desine pœnarum, satis est. haurire cruoris
Divini quantum debuit, hausit humus.
Cætera, parce precor verbis; cœloque receptus
Incole cœlestes, & moderare, domos.
Dixit, & immensi culmen conscendit Olympi,
Se juxta Gnatum constituitque suum.
Considet ad dextram magni Genitoris, & orbis
Commune imperium cum Patre Gnatus habet;
Gnatus habet cœlum. Domino gaudete reducto,
Cœlicolæ sancti, cœlicolumque lares:
Et vos, ô terræ; quique hæc terrestria tecta,
Et multa obductam fæce tenetis humum.
Tempus erit, cum vos terrena mole solutos
In loca transcribet nobiliora Deus.
Pro tellure suum vobis concedet Olympum;
Et, quæ nunc habitat templa, habitanda dabit.
Quas petiit sedes, sperate, petemus & ipsi.
Calcandum nobis ille præivit iter.
Diffracto frustra tumulo rediisset in auras,
Si non & cœlo restituendus erat.
Æthereas idem frustra rediisset in arces,
Si non & cœlo turba locanda sumus.
Ut generi humano plenam daret ille salutem,
Debuit aëriis astra subire rotis.

Credite mortales : pro nobis ille reliquit,
Pro nobis repetit, liquit ut ante, polum.
Nec dubitare licet : verbis hoc dixit apertis,
Fallere qui nescit, nec velit, ipse Deus.
Pascite commissam, pastores, pascite turbam,
Vosque mihi caræ pascite, dixit, oves.
En ego, quas habui terras urbesque relinquo,
Inque domos alias hinc abiturus eo.
Pro vobis abiturus eo : cœli atria vobis
Ut reserem; vobis ut loca digna parem.
Ergo agite ô, quicunque Deum modò vera locutum
Creditis, ut verum credimus esse Deum,
Exhilarate animos lætique remittite vestros,
Et spe cœlestes concipitote domos.
Quas spe concipitis nunc tantum, habitabitis olim,
Et cœlum, & sanctos conspicietis avos:
Divinumque simul vatem, qui, pignus ituri
Numinis, ignitis ivit in astra rotis.
Ille cui prælusit, idem nos rite sequemur
Numen, eruntque uno Pastor ovesque loco.
Nimirum cœli convexa, habitacula nostra,
Corpore nos isto mors ubi solvet, erunt.
Tunc pede calcatis mutabimus æthera terris,
Permixti Superis, cum Superisque Deo.
Tunc cœli sedes & templa tuebimur aurêa,
Quicquid & immensi continet aula poli.
O pulchræ cœli sedes, ô aurea templa:
Numinis artifici condita templa manu!
O muri, ô altæ solido ex adamante columnæ,
Gemmatæque fores, marmoreumque solum!
Pictaque sideribus vasti laquearia mundi,
Solibus, & Domini plena nitore sui!
O illo, qui vos posuit, dignissima templa:
Quondam habitanda homini, nunc habitata Deo!
Quando

Quando erit illa dies, cum vos intrare licebit,
Mœnia ſiderei tectaque pulchra poli?
Quando ego vos, cœli formoſa palatia, viſam?
Quasque Deus ſedes incolit, ipſe colam?
Cumque piis Superis cœleſtia gaudia carpam?
Gaudia: ſed noſtro non memoranda ſono.
O, quibus Elias, quibus æthera Chriſtus adivit,
His illos ipſis detur adire rotis!

MISSIO
SPIRITUS SANCTI
ELEG. IX.

SUnt rata verba Dei, ſunt ut rata ſemper: Olympo,
Quem modo venturum dixerat, ecce venit.
Ecce venit, Sanctuſque polo delabitur alto
Spiritus in terras, diſcipuloſque Dei.
Tempus erat, quo grata ſuæ libamina terræ
Gens Hebræa Deo primitiaſque dabat.
Ducebant Solymen ſolemnia feſta per urbem,
Surgeret agricolæ meſſis ut ampla ſuo.
In ſacris urbs tota fuit. ſua ſacra colebant
Diſcipuli, una quibus mens erat, una domus.
Protinus auditur rupto fragor æthere, qualis
Amramida Leges accipiente fuit.
Ventus erat, multo permixtus turbine ventus;
Si fuerat ventus, nec magis ille Deus.
Intremuit, timuitque domus: domus igne reluxit,
Flammaque præſentem teſtificata Deum eſt.

Ante oculos lapsæ ſtabant ex æthere linguæ.
Ignis erant linguæ: Spiritus ignis erat.
In partes ſectus varias, variaſque figuras,
Igneus adſtantum ſedit in ore Deus.
Ocyus innumeras illi effudere loquelas,
Hactenus ignotis multaque verba ſonis.
Diſcipuli, linguas, quas non didicere, locuti,
Spectaclum Solymes, & ſtupor orbis, erant.
Accurrêre, ſuis laribus quicunque relictis
Incoluere tuas; urbs Solymæa, domos.
Venit Arabs, venit primi niger accola Gangis,
Quique tenent ripas, aurifer Inde, tuas:
Venit & Euphratis, venit potator Araxis,
Quique tenent ripas, aurifer Herme, tuas:
Qui Xanthum Simoinque bibunt, qui litore curvo
Æquoris Euxini, Caucaſeique, jacent:
Qui Creten, qui Cyrenen, Meroënque coronant;
Et qua vicinam Nilus inundat humum:
Qui lymphas, Achelöe, tuas; qui rure Latino
Terrarum dominam Tibridis haurit aquam.
Omnis diſcipulos gens admirata loquentes:
Omnes prodigiis obſtupuere novis.
Auctorem tantorum operum pars tollit ad aſtra:
Ebria gens nimio, pars ait, iſta mero eſt.
Petrus adhæc: Quicunque refers ea falleris, inquam;
Iſta nec eſt ullo ſaucia turba mero.
Eoïs vix Sol radiis reſperſit Olympum,
Luſtravit flammis & ſata læta ſuis.
Templa vocant, non vina: hæc ad ſolemnia feſta;
Ad matutinas nos vocat hora preces.
Vera cano: pane aut vino jejunia nullo
Solvimus: at linguas ſolvit & ora Deus.
Ille dedit, varias hominum cognoſcere linguas:
Poſſe loqui linguis pluribus, ille dedit.

Hoc

Hoc erat, hoc, quod vaticinans prædixit Ioël,
Vatis & ipse sui rettulit ore Deus.
Ille dies, inquit, veniet, cum lapsus ab alto
Æthere per totam Spiritus ibit humum.
Et gnati, & teneræ fundent oracula gnatæ:
Servarum, & famulûm turba futura canent.
Nocturnas facies, & non fallentia signa,
Spectabunt juvenes; somnia vera, senes.
Cædibus infecti spumabunt sanguine rivi:
In cinerem sident oppida, sidet ager.
Abscondet rutilos Titan ferrugine vultus:
Inficiet niveas Luna cruore rotas.
Signa sui nunc terra dabit, nunc arduus æther,
Omnis & hæc mundi machina fumus erit.
Vera Deus monuit: verum prædixit Ioël:
Illustris Domini jam venit ille dies.
Indigno quem supplicio, letoque dedistis,
Disrupta leti vincula rupit humo.
Vivus in aërias rediit vitæ arbiter auras.
Ille Deum terris reddidit, ille polo.
Illius imperio, dudum promissus Olympo
Labitur, & loquitur nostra per ora, Deus.
Creditis, an mentem, populi, obduratis, & aures?
Credite: credenti dat sua dona Pater.
Funditur in paucos qui nunc, fundetur in omnes
Spiritus, &, noster qui fuit, orbis erit.
Vos modo ductoris magni sacra signa secuti
Militiæ sacram sumite pignus aquam.
Dixerat hæc Petrus: tingitque salubribus undis,
Nomina qui Christo, ter prope mille, dabant.
Fortunata cohors, quibus his accedere primis
Contigit, & Christum discipulosque sequi:
Istorumque pias ductorum agnoscere voces;
Et cœlo, & Christo, proximiore frui!

Longa dies illum nobis invidit honorem;
  Ore licet pasci nec mihi, Petre, tuo.
Quid loquor? ah! voces & nos audimus easdem,
  In nobis eadem sit modò, Petre, fides.
Dixisti sæclis, quæ tunc sunt dicta, futuris,
  Serus & imbibimus nos tua verba nepos.
Nunc etiam loqueris, nunc exaudiris, & orbis
  Nunc quoque, ceu quondam, pendet ab ore tuo.
Qui tibi diversis hominum sermonibus olim
  Posse loqui dederat, dat tibi posse loqui.
Hic per te loquitur, quo tu prius ore locutus,
  Commisit chartis & tua verba suis.
Cœlestes chartæ, cœlesti nectare plenæ,
  Sacrum opus, æterno pagina plena Deo;
Delapsæ cœlo chartæ, via sola salutis,
  Mansuræ, dum, qui vos peraravit, erit:
Et tu, qui foliis contenta oracla sub istis
  Scripsisti propriâ, Spiritus alme, manu;
Sedibus & superis olim domibusque relictis
  Lustrasti nostram, ventus & ignis, humum;
Oraque discipulûm divino tacta calore
  Jussisti variis edere verba sonis:
Pandite cœlestes cœli, precor, atria chartæ;
  Claude nec æthereas, æthere lapse, fores.
Da, quas scripsisti, sacras cognoscere voces,
  Atque iterum aurato labere, Sancte, polo:
Et, quæ discipulûm quondam sedêre sub ora,
  Ardentes acuant pectora nostra faces:
Utque illos variis docuisti dicere linguis
  E cœlo lapsi grandia facta Dei;
Sic nobis concede, tuâ data munera dextra
  Oribus & linguis commemorare novis;
Æquævumque Patrem Gnato, Gnatumque Parenti,
  Æternùm numeris, Teque, referre meis.

AD

AD

CHRISTUM

In cœlo ſedentem.

ELEG. X.

CHriſte, Dei patris ſoboles, Deus ipſe, relicto
Ardua qui mundi nunc premis aſtra ſolo;
Inque poli medio, dextram Genitoris ad ipſam
Tradita fers manibus ſceptra paterna tuis:
Reſpice pacato deſertas lumine terras,
Unica terrarum noſtraque, Chriſte, ſalus.
Æthere mutaſti terram Deus: Ætheris exul
Calcaſti noſtram quondam homo factus humum.
Illa ſui ſenſit veſtigia Numinis: illam
Tinxiſti moriens ſanguine, Chriſte, tuo.
Sanguine divino madidam tu rurſus eandem
Deſeris, & cœli cum Patre regna tenes.
O decus, ô ingens vaſti moderator Olympi!
O, qui te genuit, nil Genitore minor!
Reſpice nos, tantos pro nobis paſſe labores,
Inque tuas tecum duc age, Chriſte, domos.
Tempus erit, cùm nos iſto mors corpore ſolvet,
Et, quæ te tenuit, nos quoque condet humus.
Tempus erit, cum vitales in luminis auras
Ibimus exemplo membra ſepulta tuo:
Invectique tuis laribus, cœloque recepti,
Jungemur ſupero, junctus ut ipſe, choro.

Hoc certè quondam de te ſperare jubebas,
  Hanc cum deſereres, illò abiturus, humum.
Aurea, dicebas, cœli peto templa, Paterni
  Ut pandam vobis limina pulchra poli.
Excipiet cœli vos mecum regia : cœlum,
  Credite mortales, qui modò credit, habet.
Credimus ô, inquam, cui ſoli credere fas eſt.
  Credimus æternum te, ſate Patre, Deum.
Credimus intacta pariter te Virgine natum:
  Credimus indignam te ſubiiſſe necem.
Credimus effracto te ſurrexiſſe ſepulcro:
  Credimus æthercam te remeaſſe domum.
Credimus ex alto rediturum rurſus Olympo,
  Cum judex olim noſter, ut orbis, eris:
Et te cærulea ſublimè in nube ſedentem
  Conſpiciet Dominum terra, tremetque, ſuum.
O præclara dies, hujuſque noviſſima mundi,
  Tam ſperanda bonis, quam metuenda malis;
Adſis fortunata, precor, cœloque ſereno,
  Lucidaque & felix, non metuenda, veni.
Ergo dies veniet, volventibus ordine ſæclis,
  Cum mare, cum tellus, cum polus, ignis erunt?
Totaque diverſis flagrabit partibus æthra;
  Cunctaque ſub priſcum ſunt reditura Chaos?
Illa dies veniet : veniet quoque Numen in illa:
  Si qua fides verbis pagina ſacra, tuis.
Nuntia terribilis tempeſtas atra diei,
  Emiſſusque ſuo carcere ventus erit.
Terrebunt pavidas, quatientque, tonitrua terras:
  Spargentur toto fulmina crebra polo.
Exibunt tumulis carioſa cadavera ruptis,
  Aligerûm clarâ ſæcla citante tubâ.
Hos inter Deus ipſe ſuo deſcendet Olympo,
  Vectus in aëriis, vectus ut ante, rotis:
Juſtitiæque

Justitiæque trucis medius, veniæque faventis,
 Digna dabit meritis præmia cuique suis.
A dextrâ positos cœlo transcribet & astris:
 A lævâ, Stygiæ gurgite merget aquæ.
Protinus assument alias Elementa figuras:
 Accendet vastam, qua patet, ignis humum.
Fumabit latè Vesper, fumabit & Ortus:
 Immensus cinerum mundus acervus erit.
Ardebit cœlum: superumque vorantibus axem
 Vix domus à flammis tuta futura Dei est.
Alme Deus, quem, quæ cœlo vexere, reducent
 Labentem patrio nubila curva polo:
Aëre qui medio, facto de nubibus arcu,
 Arbiter in totam, Christe, sedebis humum:
Et tibi dilectæ facies discrimina turbæ;
 Et tecum caras ire jubebis oves:
O utinam nobis ita sit felicibus esse,
 Simus ut illius pars modò parva gregis!
Quique suis terram lustrabit, & æthera, flammis,
 Sit nobis utinam candidus ille dies!
Parce, precor, mundoque fave, mundi inclyte judex,
 Nec judex nobis, sed pater, esse velis.
Sis bonus ô, placidusque tuo, bone ductor, ovili;
 Et prosit populo mors tua, Christe, tuo.
Christe veni, gentemque tuam cœlo assere, pro qua
 Non detrectasti, vivat ut illa, mori.



ELEGIARUM

LIBER SECUNDUS.

FERDINANDO,

PRINCIPI ET EPISCOPO

PADERBORNENSI.

ELEG. I.



Cui, nominibus quanquam præcellis avitis,
  Nobilius Pæan nomen habere dedit:
Da veniam, Fernande, sacrum dum limen adorat,
  Sollicitatque tuas nostra Thalia fores.
Suasit id Heinsiades, crimenque auctore redemit,
  Ille decus Batavi nominis, ille meum.
Heinsiades versus metuenti mittere dixit,
  Mitte, neque Aonii Principis ora time.
Non illo melior, citharæ nec amantior alter,
  Nec judex quisquam verior esse potest.
Atria quid cessas, & amicam vatibus aulam
  Visere? ne dubita, lente, viamque seca.
Talibus atque aliis firmato pectore dictis,
  Sunt mihi non lentâ carmina scripta manu.
Hæc ut temporibus possunt aliena videri,
  Sic sunt ingenio non aliena tuo.

Otia sectaris tu sacra, novemque Sorores,
Et placida Musis mente, Deoque vacas.
Tu Martem insanum, feraliaque arma relegas
Crudum ultra Boream, Sarmaticasque nives.
Insedere tuum concordia Numina limen.
Æde tua colitur Phœbus, amatque coli.
Ille suo quoties te tangit & incitat œstro,
Carmina Phœbeo digna furore canis.
Incede heröis, heröis ire decorum est:
Pange elegos, elegos composuisse decet.
Sume lyram Flacci, veneres imitare Catulli,
Nil hic, nil vates tersius ille dabit.
In te Romanus spirat post fata Tibullus,
Deliaque & Nemesis flagrat amore pari.
Utraque te cupidis certatim amplectitur ulnis:
Illa tuos numeros ambit, & illa tuos.
Et toties blandi versu celebrata Propertî
Te præfert vati Cynthia pulchra suo.
Artis namque tuæ est Elegeïa: nec prior ullus,
Apta per undenos nectere verba pedes.
Hinc tibi partus honos, hinc gloria: plurima ab isto
Venit in augustas pulvere palma comas.
Romanos montes, & montibus eruta testor
Rudera; carminibus saxa superba tuis:
Surgentemque Deam septeno culmine, & arces
Oblitum tardis radere Tibrin aquis:
Et placitis Longæ recubantem collibus Albæ
Chisiaden, Romæ Pontificumque decus.
Illic sæpe tui dulcedine pectinis hæsit,
Et doluit parvas solibus esse moras.
Inter Aricinæ Zephyros & frigora silvæ,
Pectora qui noras intima, solus eras.
Illius cupidam præbebas versibus aurem:
Captabat numeros auribus ille tuos.

Cantabas

Cantabas Dominumque tuum, Dominumque locorum,
Et non humano lingua locuta ſono eſt.
Reſponſaſſe cavas valles, lætoque fragore
Egeriæ ramos intremuiſſe putant:
Pellectuſque modis imo latitantia fundo
Extulit Albano Virbius ora lacu.
Invidit Latio Germania. Tibris amatum
Tranſmittit Rheno, mœſtaque Roma, caput.
Roma ſolo patrio te reddidit. Iſta regenda,
Iſta tibi regio nempe canenda fuit.
Tu patriæ fontes, patriæ dicturus amœna
Flumina; Francorum tu monumenta ducum:
Et captas aquilas, proſtratique agmina Vari;
Pluraque Saxonicis fixa tropæa tholis.
O quoties, & quæ, Paderæ mirantis ad undam
Aurata cecinit dextera docta chely!
Audiit iſta Pater, vitreaque reclinis in urna
Te faſſus fluvio purius ire ſuo eſt.
Te Phaëthonteæ riſere canente ſorores,
Applauſitque novi cycnus ab amne Padi:
Ipſæ venerunt ſegetes felicibus agris,
Herba ſolo, pecudes ſaltibus, umbra loco.
Et modò te antiquis, noſtris modo vatibus æquas,
Et primos inter non leve nomen habes.
Nam licet inſignes tulerint hæc ſæcla poëtas,
Ingenio tulerunt nil prius illa tuo:
Dumque Favoriti, dum Wallî, dumque Rapini
Scripta probat, veſtrum Fama probabit opus:
Nec plus eloquii, nec plus te laudis habebunt
Filius Heinſiades Heinſiadeſve pater.
Quin & Alexandro componeris, Urbanoque.
Hic citharam docta movit, & ille, manu.
Qua moderabantur Latiæ telluris habenas,
Sæpe lyram poſito ſuſtinuere pedo.

Horum

Horum exempla ſequens, horum veſtigia, Princeps
  Principibus tantis annumerande, premis.
Tu tibi ſubjectos populos moderaris, ut illi.
  Te quoque cingit apex, vittaque ſacra tegit.
Tu quoque dulce canis, geminoque inſignis honore
  Fert tua dextra pedum, fert tua læva lyram.
Ipſe tibi cedit cantandi Chiſius arte,
  Et pudet Urbanum verba minora loqui:
Quîs quantò minor imperio es, rebusque gerendis,
  Tantò carminibus major es ipſe tuis.
Salve, Pieridum columen, ſalve, inclyte Princeps,
  Conſpiciende pedo, conſpiciende lyra.
Tu facis imperio dignos, vittaque, poëtas:
  Tu pretium Muſis, ingeniisque, facis.
Tu tua ſæcla doces pangendi carminis artem:
  Scribere Romanè tu tua ſæcla doces.
Per te non ſtudium dicetur inutile carmen,
  Et nomen vatis, nomen honoris erit.
Quæ vero pro muneribus tibi munera tantis
  Reddimus, ô ævi gloria rara tui?
Acquiſitus honos in te, Fernande, redundet,
  Aſſerti per te quem ſibi cunque ferent:
Proque tuis meritis, omnes te jure poëtæ,
  Omnes te gentes, omnia ſæcla canant.

JACOBO WALLIO.

ELEG. II.

SI quid pacati Muſis fera bella relinquunt,
  Et citharæ lituos inter & arma locus:
Accipe quam patria tibi portat ab urbe ſalutem
  Pagina, ſermonis nuntia certa mei.

Perlegis?

Perlegis? an prohibet male cognita? perlege, Walli;
Non eſt hoſtili charta notata manu.
Seu cenſeris Iber, ſeu mavis Belga vocari,
Seu quocunque venis nomine, Belga venis.
Stat Batavo conjunctus Iber. Communis utrique
Belgica. Borbonias ſiſtit uterque minas.
Ambobus mens ut populis, ita vatibus, una.
Eſt ſtudium nobis pacis, ut artis, idem.
Me Muſæ rapuere: ſua me ſuſtulit urbe
Amſtela: Romano Francius ore vocor.
Uror amore tui. Cunctantem hic impulit œſtro,
Finxit & hos ipſos elicuitque modos.
Illa quidem fateor magni non eſſe poëtæ
Otia, nec, Metio judice, digna legi.
At limæ quicquid deêrit, deêritque calori,
Concedet Muſæ Wallia Muſa meæ.
O lingua, ô numeris longè terſiſsime Walli!
O laus Aonii maxima, luxque chori!
Ergo ego te vivum, falſò qui murmure vulgi
Dictus es Elyſium nuper adiſſe nemus;
Ergo ego te vivum nunc alloquor, optime vatum,
Inque tuas venient hæc mea verba manus?
Vivis io, vitamque novam tibi gratulor iſtam,
Cumque tuâ vitâ reddita vita mihi eſt:
Itque ſalutatum te littera. Comis euntem
Excipe, & ingenium fronte decente tuum.
Non tibi te coram laudatrix, non ita venit
Improba: ſinceri eſt pectoris illa fides.
Te referant alii, major quos ſpiritus implet,
Atque adeo, mutis omnibus, ipſe refer.
Ipſe tibi ſolidæ virtutis grande theatrum es;
Nullaque te melius, quam tua, Muſa canet.
Nam modò te Flacco aſſimulas, & vertice ab alto
Ceu magno Lyricis laberis amne modis.

Et

Et modò Peligni numeros artemque poëtæ
  Exprimis, & campo liberiore fluis.
Nunc majeſtatem divini æquare Maronis
  Te juvat : & currus pangis, & arma virûm.
In te Roma ſuos antiqua agnoſcit alumnos.
  Mæcenas iſtam laudat amatque lyram.
Naſonemque ſuum, deterſa ſorde, Perilla
  Credit ab intonſis læta redire Getis.
Excitus Andinum renovare putavit olorem
  Auguſtus Latiâ Dardana fata tubâ.
Auſtriacos certè cepiſti carmine Patres
  Laudavitque tuum rector Iberus Epos.
Et quanquam propria te laude oſtendere poſſis,
  Ingeminant dotes ſæcula noſtra tuas.
Te tuus Hoſſchiades, par laudatoribus unus
  Omnibus : innumeri te cecinere viri.
Accedit titulis & Furſtenbergius iſtis,
  Laus & honos clarii maximus ille chori.
Scilicet eſt aliquid, poſt tot præconia Famæ,
  A tali dici Principe, Primus amor.
Urbis Alexander qui flexit, & orbis habenas,
  Audivit Muſam deperiitque tuam.
Tempus ut huic præſens valeat nihil addere majus:
  Plus addent famæ poſtera ſæcla tuæ.

AD EUNDEM,

URNÆ FRACTÆ RESPONSORIA.

ELEG. III.

ILla ego quæ nuper, Treviris effoſſa ruinis,
  Fractaque ſacrilega militis Urna manu,

Lugebam caros cineres, & mœsta videbar
  Æternùm tantis indolitura malis,
Mœrorem detersi omnem, lamentaque jussi
  Vicinum rapidos in mare ferre Notos.
Scilicet, Aonidum Walli Phœbique sacerdos,
  Tu mala, tu luctus, tu mea damna levas.
Quod doleam non est, ut sum tibi credita, Vates,
  Materies numeris ingeniosa tuis.
Effossæ fuerant hæc infortunia tanti.
  Ut vivant aliæ, me periisse juvat.
Erravi: vitam mors hæc dedit. hæc, mihi vita est:
  Et mors, quæ vitæ nomine venit, erat.
Nunc demum vivo, cœcis educta latebris,
  Ignavos Erebi despicioque lacus.
O bene, qui tenebris ereptam reddidit orbi,
  Æthereumque dedit posse videre jubar!
Et rursus bene, qui egestam dum bajulat urnam
  Confregit! laudi favit uterque meæ.
Cum jacui defossa solo, neglecta jacebam
  Protenus, & testæ gloria nulla fuit.
Inventam rupit me postquam incuria, multis
  Extollor titulis, & canor ore tuo.
Longa, tuis rediviva modis, in sæcula vivo;
  Et nil altera mors, quod populetur, habet.
Temporibus cuncta intereunt mortalia certis.
  Corrumpit ferrum saxaque longa dies.
Artificum periere manus, periere labores,
  Quique tenet tumulus corpora, signa tenet.
Lysippi non spirat opus, non spirat Apellis.
  Quid super è tantis nunc, nisi fama, viris?
Carminibus vivunt vates. mihi gloria vivæ,
  Perpetuusque tuo carmine crescit honos.
Neu mihi quis numeret peragenda, quot ante peregi,
  Sæcula: cùm tulerim plurima, plura feram.
Immen-

Immensum est, quod restat adhuc, & terminus ævi
Idem, qui mundi terminus hujus, erit.
Paupere nec busto, parvâque includar arenâ,
Et tantùm Treviris nota futura meis.
Trans ego Danubium, trans altas evehar Alpes,
Trans juga Pyrenes, occiduumque diem.
Me fulvo Tagus amne, suo me gurgite Rhenus
Concinet, attonitis me Tiberinus aquis.
Quin etiam pia Roma, sui monumenta laboris
Agnoscat lacrymans, & mihi dicat, Ave:
Quemque prius texi cinerem, dum vita manebat,
Quos habuit colles, monstret, &, unde domo.
Forte pererrabit notum quoque culmen imago,
Occurretque isto conspicienda loco,
Et dabit amplexus teneros, & basia junget,
Lætaque gaudebit versibus Umbra tuis.
Mox ubi jam Elysium repetet, vallemque beatam,
Narrabit Stygio carmina culta Jovi.
Inferni gens assurget de sedibus omnis,
Et ducet festos læta per arva choros.
Pars huic applaudet; partoque favebit honori:
Hunc mihi qui invideat, qui sibi malit, erit.
Non hanc marmoribus vitam dedit Appia priscis:
Non hanc Æmiliæ Flaminiæque viæ.
Nomina vix servat Latium. cecidere sepulcra:
Urna suo superest & quotacunque rogo?
Certè ego, Roma, tua sum fortunatior urbe,
Et quicunque tua restat ab urbe lapis.
Tu dudum æternæ premeris caligine noctis:
Mî datur optata luce dieque frui.
Mortua tu propriis immergeris usque ruinis;
Temporis ac vitæ nulla ruina meæ est.
Quos dant fata dies, perago, secura pericli;
Tu, ne sint spolium, quæ premis, arva, times.

Cura tibi, ne quis lapides ſcrutetur, & æra,
  Perdat & indignâ ſacra reperta manu.
Non ego nunc raſtrum metuò, metuove ligonem.
  Non, mea qui campis fragmina ſpargat, erit.
Nec ſum opibus, cenſu nec commendanda potenti;
  Exſupero cunctas & tamen Urbis opes.
Wallius ignotæ pretium mihi ponit, & artem.
  Æſtimor ingenio, magne poëta, tuo.
Si qua mihi ſeris ventura nepotibus olim
  Gloria, muneribus debita tota tuis.
Tu facis, ut latè peregrinis canter in oris:
  In tibi nativo canter ut una ſolo:
Laudibus ut cedant noſtris, quæcunque Vetuſtas
  Exhibuit fictis carmina luſa modis.
Jam poterit Fractæ palmam dare Pſittacus Urnæ,
  Et famæ poterit Paſſer habere minus.
Clara tuis ego carminibus ſublimia tango
  Sidera. nil votum, quod ſuperaddat, habet.
Si tamen hæc ultra quicquam benefacta petendum eſt,
  Æternùm pietas duret ut iſta, peto.
Pectoribus me nulla tuis unquam eximat ætas,
  Simque illibandi pignus amoris ego.
Sic adſint Muſæ faciles; nomenque decuſque
  Perpetuum à memori poſteritate feras:
Sic te, ſera colum Lacheſis cùm ruperit, orbis
  Lugeat; & multus buſta poëta colat:
Annua ſic manibus faciat ſolemnia puris,
  Spargat & intactis ſancta ſepulcra roſis:
Sic tibi, pro meritis, Walli, ſit fida, precabor,
  Quondam urnæ tellus, oſſibus urna ſuis:
Et, quæcunque tuos cineres involvet arena,
  Sit cineri, dicam, non gravis illa tuo.

JOH. GEORG. GRÆVIO.

ELEG. IV.

Ergone adhuc ſuperas media inter bella, Georgi?
Et tua ſtat ſalva conjuge ſalva domus?
Gratulor incolumi, quantum licet. una ſalutem
Sunt mihi noſſe tuam gaudia, parſque meæ.
Ipſe quidem valeo, Grævi, privata valere,
Dum res ægrotat publica, ſi qua poteſt.
Vis brevius dicam? doleo: & feralis imago
Temporis ante oculos ambulat uſque meos.
Et modò Borbonio devictas milite gentes
Conqueror, & campos, Geldria terra, tuos.
Nunc Vahalis largos, nunc elicit Iſala fletus,
Vinctus uterque manus, vinctus uterque pedes.
Cuncta movent animum: ſed vos mihi maxima cura,
Trajectinæ arces, & loca, blanda prius.
Seu me camporum, ſeu gratia demeret urbis,
Hæc aliquid fati ſeu tenet ora mei.
Qui mihi præ terris arriſerat omnibus olim
Angulus, heu lacrymas nunc habet ille meas!
Illic Pieriamque domum lamentor, & iſtos
Qui pœnam hanc culpa non ſubiere ſua.
Cumque ego commemoro plures mihi, plurimus ipſe
Diceris, & mœſti creber in ora venis.
Immeritos ploro caſus urbiſque tuoſque:
At nil ploratus, quo medeantur, habent.
Forſitan hæc aliquam demet tibi pagina curam,
Et minus infelix per breve tempus eris.
Eheu! quid volui ſolamine? Grævius illo
Non eget, & propria ſublevat arte malum.

Nequicquam monuisse virum est, cui Musa medela,
Et liber exemplum quilibet esse potest.
Idem animus, damno mortali major, eodem
Fortunam vultu novit utramque pati.
O decus, ô sæcli merito laus inclyta nostri!
O vir consilio fortior ipse meo!
Sæpius incœptum revocavit epistola cursum,
Ire per insessas nec fuit ausa vias.
Nuper erat scriptus versus mihi: cætera tristi
Ducere me memini non potuisse manu.
Nunc etiam metuo, chartam ne polluat ipsam
Plurima de lacrimis facta litura meis.
Atque utinam tantùm vestro lugere periclo
Cogerer, & tellus libera nostra foret!
Hactenus, ô Superi, fureret Bellona, neque ultra
Gallicus Hollandas ureret ignis opes!
Serius exitium paullo properamus ad unum.
Communis leti parva futura mora est.
Illa perit latam Mater factura ruinam,
Et caussam interitûs nescit: at illa perit.
Sic æger, medico morbum ignorante, laborat.
Discordi vento sic labat icta ratis.
Sic gemit impactis truncanda bipennibus arbos,
Et vastum alterutra parte minatur onus.
Me miserum, quanti fuscarunt æthera nimbi!
Jam fœdum immensæ decidet agmen aquæ.
Me miserum, quanti tonitrus glomerantur, & ignes!
Jam cœli nostrum proteret ira caput.
Sed meliora Deus! Parcas, pater optime, parcas,
Et sint augurio pondera nulla meo.
Mollia mutantur duris, adversa secundis,
Nec, quamvis male nunc, res male semper eunt.
Vidi ego laxatis horrescere nubila ventis:
Et vidi, pulsa nube, nitere diem.

Neu me incerta putes dubiis fundamina rebus
 Ponere : pro populo fert Deus arma suo.
En conjuratus pro nobis militat æther,
 Et Sol inversis signa pererrat equis.
Quin æstate gelu, bruma percœpimus æstum,
 Proque Noto Boream, pro Boreaque Notum.
Te quoque, divinâ præeunte, Batavia, dextrâ,
 Exstimulat vindex tandem aliquando dolor.
Te pietas, te innatus amor patriæque tuique,
 Te bona, te conjux, pignoraque alma vocant:
Caraque libertas, vitâ pretiosior ipsâ,
 Signatum nostris sanguine nomen avis.
Cernere jam videor rumpentem vincla Leonem,
 Undique & excitos arma movere viros.
Hostilique procul Rhenum spumare cruore,
 Et Vahalim obstructis segnius ire vadis.
Parte alia lætos spondet Groninga triumphos,
 Et Rabenhauptiacâ capta Covorda manu.
Libera vicinas ad pilea suscitat urbes
 Ille, novo niveam vinctus honore comam.
Auriacus Batavas hinc ducet in arma catervas:
 Jamque brevi spatio, nec mora, liber eris.
Unda recedet agris; & dulci carmen avena
 Cantabit medias Tityrus inter oves:
Atque ego dilecta rursum spatiabor in umbra
 Per Trajectini jugera culta soli.
Jugera Castaliis calcata Sororibus ante,
 Castaliæ, dicam, gloria gentis ubi est?
Pulsaboque fores notas, salvumque tuebor
 Salvus, & amplexu colloquioque fruar.
Hæc ne vana canam, dent fata tibique mihique,
 Votaque successus comprobet ista bonus.

JACOBO GRONOVIO.

ELEG. V.


Qui, victa Pyrenæi post frigora montis,
Hispanûm Grajas ducis in arva Deas:
Quantumvis longè patriis semotus ab oris,
Oblitus nondum nominis anne mei es?
Et tibi, tot curas inter patriæque tuasque,
Nos quoque pars curæ quantulacunque sumus?
Jucundum est, quod, amice, facis. renoventur amores,
Qui junxere olim me tibi, teque mihi.
Alterno alloquio (nulla est mora) littera certet,
Et pietas cursu, quo prius ivit, eat.
Dum loquor, aërias rapitur mea Musa per auras.
Ecce Pyrenæas transiit illa nives.
Si, quid agam, quæris, valeo. si plura rogabis,
Dicet flebilibus cætera charta modis.
Nam nunc finitimo descendit ab aggere Gallus,
Nunc Brito captivæ vincla minatur aquæ.
Saucia vulneribus suspirat patria fœdis;
Utque ratis, dubio fluctuat acta noto.
Felices, quos Herculeis vicina columnis
Cladibus à nostris terra remota tenet!
Vos audita movent, at nos spectata, pericla.
Lenius hæc animum, fortius illa, gravant.
Spes tamen est domitâ venturæ pacis in undâ.
Fallor? an audita est hæc quoque fama tibi?
Scilicet & campis sonus intellectus Iberis,
Victrices Batavûm cum tonuere rates.
Fœdere conjunctas bis vicimus æquore classes,
Albionum inflatas contudimusque minas.

Illa

Illa ferox toto depulſa Britannia ponto eſt,
  Perfidiæ pœnas & luit ipſa ſuæ.
Interea, meliora, Deum dum fata precamur,
  Diverſâ longum decipio arte diem.
Nunc pectus ſtudiis juvat emendare ſeveris:
  Otia nunc Muſis quærere blanda meis.
Nunc Grajos audire placet, Latioſve poëtas,
  Et ſenis Andini, Mæoniique, tubam:
Nunc populo vatem eripiunt Parnaſſia Tempe
  Phocidis in valles, Aoniumque nemus.
Utraque docta mora eſt, dulces habet utraque cauſſas,
  Atque alit hæc animum, nec minus illa, meum.
Tu vero, rerum, quid agis, ſuaviſſime? ſera
  Anne aliquid dignum poſteritate paras?
Num titulos æquare ſtudes virtute paternos,
  Quò tibi jam vivo facta parente via eſt?
Quiquid erit, didiciſſe libet: cupidusque revolvam
  Ingenii fœtus & monumenta tui.
Mittere ne dubita: non eſt mutata voluntas:
  Ullius ſtudii nec mihi friget amor.
Impetus eſt aliis alius. cupit ille latere:
  Grande libris nomen pluribus alter emit.
Scribendi quoque forma nec una, nec una voluptas.
  Ducimur huc variis attrahimurque modis.
Hic chartas veteres, terræque recondita Grajæ,
  Et Latium doctis explicat omne notis.
Ille tuus campo genitor ſudavit in iſto:
  Hoc tibi jamdudum pulvere crevit honos.
Eloquio pollent alii, mulcentque, moventque.
  Alter in hiſtoria nobile pangit opus.
Sunt quoque qui dulci ſtimulantur Apollinis œſtro.
  Horum (confiteor, nec piget) unus ego.
Vive age neglecta ſi dicat arundine Pæan;
  Abnuerim: uſque adeo fiſtula ſuave malum eſt.

Ignoſcas, Iäcobe, juvat quoque morbus, & omnem
Auxiliaturæ reſpuit artis opem.
At non, Muſam ut amat, reliquas mens negligit artes.
Falleris. impensè, quæ placuere, placent.
Ruſticus eſt etenim, quem non capit alma Vetuſtas,
Et quicquid Pæan ipſaque Muſa probat.
Ruſticus eſt etiam, qui ſacra Poëtica temnit,
Et guſtum antiqui non ſatis oris habet.
Et minimis ſua palma datur. decor omnibus idem:
Sed fovet ingenii ſemina quiſque ſui.
Nil agis, invitâ quicquid conere Minervâ:
Quò te ſponte vocat, perge; diſertus eris.
Naturæne vides morem? jam gramine lætam,
Jam picturato flore, coronat humum.
Hanc pomis, oleiſque beat felicibus illam.
Hac veniunt ſegetes: hac tumet uva mero.
Munere cum vario niteat ditiſſima tellus,
Allicit hæc oculos, allicit illa, meos.
Quid non egregii, tot vatibus aucta, Poëſis,
Æmula Naturæ parturientis, habet?
Quamlibet haud uno conſcendant tramite Pindum:
Diſſimiles ſimilis laus tamen inde manet.
Hic ſocci capitur ſermonibus, ille cothurno,
Et tragico queſtu tota theatra movet.
Ille Lycambeo ſua collinit arma veneno:
Hic Satyram, Veneres hic amat, ille Sales.
Arguto feriit limatum pollice carmen
Romanæ fidicen præſidiumque lyræ.
Cantabat molles elegos, quo ſæpe canente
Laxatis Iſter mollior ivit aquis.
Ilion Auſonias & qui deduxit in arces
Fortia concinuit fortibus arma modis.
Adde quod, invalidi renuant quid ferre lacerti;
Quid poſſint fortes, noſcere quemque decet.

Stabis,

Stabis, materiam quisquis tibi deligis æquam:
  Si vires ultra progrediare, cades.
Fabula trita quidem, sed nos inventa monere,
  Irati Phaëthon perditus igne Jovis.
Stultus Apollineas si nunquam agitasset habenas,
  Texisset medio non Pater ora die:
Non illum cognatus olor, non maximus amnis,
  Lugeret positis non Phaëthusa comis.
Icarus infirmis isset nisi celsior alis,
  Viveret; & nulli signa dedisset aquæ.
Me quoque fortunæ terrent exempla prioris,
  Et suadent humili cautiùs ire via.
Aëra pervolitent alii: mihi Musa negavit
  Scaligeros inter Salmasiosque locum.
Non mea tam validi distendunt carbasa venti:
  Area non nostris ista terenda rotis.
Illis tu natus; parvis ego. parva sequentem
  Me juvat Aonio nomen habere jugo.
Decipior? sacris an me quoque Fama poëtis
  Inseret, ignava nec tegar omnis humo?
Cumque aliquis Batavos numerabit in ordine vates,
  Et mea qui forsan nomina subdet, erit?
Et dicet mea præteriens monumenta viator:
  Qui jacet hic, Clarii pars fuit una chori?
Invidiosa sonent alios præconia manes:
  Gloria sufficiet manibus ista meis.



AD

AD HENRICUM SOLINGIUM,

De vitæ privatæ commodis.

ELEG. VI.

SOlingi, laus Pœonii non ultima cœtûs
  Parsque ſodalitii, nec pudet, una mei;
Quid moliris, agisve? tuo num pectore pulſus
  Francius? an memorem mutuus urit amor?
Certè ego non iſtud committam rumpere vinclum,
  Ex quo tu patria junctus in urbe mihi es:
Cum mores placuere tui, candorque leporque,
  Innocuique joci, mixtaque verba ſale:
Et, quæ temporibus ſe commendabat avitis,
  Simplicitas, noſtra protenus exul humo:
Atque animi dotes, & concurrentia raro
  Ingenium parili judiciumque modo.
Sive Machaoniis juvat inclareſcere ſuccis,
  Dum Letum oppugnas, Tartareosque lacus:
Seu tu, prima rudis diſponens ſemina mundi,
  Hoc, quodcunque vident lumina, fingis opus:
Cum mare, cum terram, & cœlum, indigeſtaque cœli
  Sidera, quæque ſuo digeris apta loco:
Unde nives, unde Æolii cum grandine venti,
  Unde graves tonitrus, fulminis unde minæ.
Quid Phœbus, quid agat rutili ſoror aurea Phœbi;
  Igne reluceſcat fratris, an igne ſuo:
Cur fluat alterno, vel cur mare refluat æſtu;
  Cur tumeat, victo cur cadat ira ſalo:

Si

Si latitet Nilus; quibus ardeat ignibus Ætne,
  Saxaque disrupto volvat in astra jugo.
Ad caussas rerum obscuras, nodosque latentes,
  Ipsaque telluris viscera, sternis iter:
Et, quascunque sinu Natura recondidit imo,
  Naturæ occultas pandis alumnus opes.
Fortunate animi, cui tot miranda tueri,
  Et populo ignotam contigit ire viam!
Cui vulgi studiis, & ab ambitione remoto
  Privata licuit consenuisse domo!
Cui data mens, quæ temnat opes, quæ temnat honores,
  Quæ contenta suo est, & satiata, bono!
Cuncta fluunt: decrescit honos: modò Crœsus in Irum
  Vertitur, & fiunt maxima regna cinis.
Corporeis certi nihil est. bona pectoris una,
  Cætera cum fato sunt peritura, manent.
Ista petit Sapiens; patrioque insertus Olympo
  Transit ab humanis in loca dia locis.
Terrenæ nil fœcis habens terrestria vota
  Despicit, ac solo pascitur ille Deo.
Non illum curæ insomnes noctesque diesque
  Exagitant; dubio non data vela salo:
Nec, quibus impellunt venti mare, motibus îsdem
  Æstuat infelix, & mare pectus habet.
Possessis non plura petit bona. crescit edendo
  Ista fames, caussa est & cibus ipse cibi.
Æmula nec saturat se gloria; quamque levare
  Fontis aqua poterat, vix levat amne sitim.
Respuit ingestum, nec inani pendet ab aura,
  Qui desiderio sufficit ipse suo.
Ipse sibi solium, ac sceptrum, diademaque format,
  Regali major culmine, rexque suus.
Haud ulli talem strepitus; haud classica terrent:
  Heu nimium patriæ classica nota meæ!

Undique

Undique deſtricto ſecurus obambulat enſe,
  Nec belli ſtrepitus audit, & æra virûm.
Qui torvæ excuteret clypeumque haſtamque Mi-
  Qui Martem primus vinceret; ille fuit. (nervæ;
Nil ſperat; metuitque nihil. quod tollere poſſit,
  Nil mala, nil bona ſors, quod dare poſſit, habet.
Fortunæ vultus varios vultu unus eodem
  Ridet, & immoto pectore, parque ſibi eſt:
Nullius metuens diſcriminis; obruat orbem
  Unda, vel in flammam, qua patet, orbis eat.
Ipſa ruant cœlo fractis licet axibus aſtra,
  Infractum feriant illius aſtra caput.
Illius impavido ſub pectore læta Voluptas,
  Otiaque, & Riſus, & Jocus omnis agunt:
Quamque ſibi inveniunt nuſquam ſedemque domum-
  Inveniunt iſto Paxque Quieſque loco. (que,
Nunc amat urbe frui: nunc, urbis amore relicto,
  Ruris opes, blandi commoda ruris amat.
Hîc ſuus, & pura, quam carpit, purior aura,
  Deductas valles & juga montis obit.
Arva nemusque vocant. Virtus errare per arva
  Dicitur, & nudo Gratia nuda pede.
Arva Fides, Pudor arva colit. terrena relinquens
  Finibus ex illis ceſſit in aſtra Themis.
Ducitur hîc victu modico, contentaque paucis
  Vita, procul quæſtu, diſſidioque procul.
Felicem demum agricolam, ſi ſe modò norit,
  Cui facilem præbet terra benigna cibum!
Quod ſi non domus huic ingentibus alta columnis;
  At parva è tenui ſtramine facta caſa eſt:
Tutior at ſomnus, qui divite pulſus ab aula
  Præcipue parvas fertur amare caſas.
Si non innumeri veniunt ad tecta clientes;
  Suavius eſt vulgi murmure, murmur aquæ.

Æris

Æris pondus abeſt; at non deſiderat æra,
 Texta Semiramiâ nec variatâ manu.
Lana quid Aſſyrio fucabitur alba veneno,
 Cui plus Aſſyrio murice concha placet?
Dives agri, dives pecoris, dum rure paterno
 Paſcit, & errantes inter oberrat oves.
Talem vivebat vitam ſine fraude Vetuſtas:
 Saturno talis ſub ſene mundus erat.
Spirabat pacem, ſpirabat & otia mundus.
 Nectebant molem mutua vincla novam.
Inſtructus nondum facibus, nondumque ſagittis,
 Nulla minabatur vulnera inermis Amor.
Nectar erat commune: cadebat ab arbore nectar;
 Et, quod volvebant flumina, nectar erat.
Ridebat Zephyro tellus inarata colono:
 Sponte ſua ſegetes, ſponte virebat ager.
Divitias, meliusque ſitum, dum conditur, aurum
 Damnarat tenebris, nec pia norat humus.
Divitiis contenta datis, nullius egena
 Vomeris, ingenio floruit ipſa ſuo.
O curis ætas vacua! ô ætatis imago
 Illius! hac fieri lege colonus amem.
Qua licet, affecto tamen hunc; populumque peroſus,
 Dum vacat, in ſaltus & loca ſola feror.
Harlemi colles, dilectaque rura Camœnis;
 Sæpe quies Muſis, rura, petita meis:
Umbroſi ſalvete iterumque iterumque receſſus,
 Ire nec in veſtrum me prohibete nemus.
Me curas juvat in gremio deponere veſtro,
 Tædia frondoſis me ſepelire jugis:
Æſtivoſque ſub arboribus vitare calores,
 Dum torret medio Sirius arva die.
Jamque errare libet lento pede, jam pede laſſo
 Sidere, gramineis & recubare toris.

Mulcet

Mulcet membra quies, & molli mollior herba
Subrepit furtim lumina victa sopor.
Conciliant illum volucres, rumpuntque, canoræ.
Utraque lassato grata querela mihi.
Grata quoque & venti sunt sibila; quique beatam
Fœcundo Zephyrus flamine lambit humum;
Et tremulis suspirantes in frondibus Auræ:
Quas Procris Cephali crederet esse sui.
Siste fatigatum; verus, puto, fiet amator,
Ac solitis dicet vocibus: Aura, veni.
Amissam inveniet venienti Procrin in Aura,
Pensabitque toro fata priora novo.
Fallor? an & Floram læto vocat ore maritus,
Annuit & motis garrula silva comis?
Hæc Nymphæ, Satyrique, & capripedes Silvani;
Hæc lustret cupido tesqua Diana pede.
Hîc, confessa suos, aliorum narret amores,
Oscula que Assyrio det Cytherea viro.
Non hîc acre lupos genus, invisosque leones,
Fulmine terribiles non metuisset apros.
Securus saltu puer erravisset in isto,
Nec foret Idaliæ nunc dolor ille Deæ.
Da Pindum, & Pindo spumet Penëus ab imo;
Thessala credideris hîc tibi rura dari.
His ubi blanditiis animumque & lumina pavi,
Vicinæ repeto proxima tecta domus:
Inque suburbano claudor lare; parvaque lustro,
Sed non culta minus jugera, parva licet.
Finibus exiguus quanquam me detinet hortus,
Hic tamen exiguus, quo capiaris, habet.
Vota sui domini non spe deludit inani,
Mendacique solo credita fallit ager:
Ingeniosus at in flores, fructusque ferendos,
Fructibus, ac pictis floribus ornat humum.

Lilia

Lilia ſeu ſpectanda, nives æquantia: ſeu qui
  Flos olet Eois cinnama lecta jugis:
Quæque refert variis tulipa coloribus Irin:
  Quæque rubet Tyrio tincta cruore roſa:
Et Phœbo veterem quæ nunc quoque ſervat amorem:
  Et periit forma qui miſer ipſe ſua:
Et ſuaves violæ, & lugentes Hyacinthi:
  Et quæ de lacrymis Cypria, nata tuis.
Nec minus & teneras inter reptantia frondes
  Fraga libet facili ſubſecuiſſe manu:
Perſicaque, & coctas maturis ſolibus uvas:
  Teque, notam geminæ quæ necis, arbor, habes:
Quasque prius Corydon & quas Amaryllis amabant;
  Et ceraſa, & ſucco dulcia pruna ſuo:
Pomaque diſtentos & mala prementia ramos,
  Blanda ſuum peteret quîs Galatea virum.
Eſt quoque telluri ſemen mandare voluptas:
  Aut aliquo ſiccum fonte rigare ſolum:
Aut raſtrum verſare manu, verſare ligonem,
  Ac Bacchi nimiam falce putare comam:
Aut per adoptivos truncum diducere ramos:
  Ut recidiva novas proferat arbor opes:
Aut turdo ſtruere inſidias, ſibi dum male prudens
  Ipſa dolos collo vel pede nectit avis:
Aut volucrum aërios lentè ſpectare volatus;
  Teque polo pennis vecta columba tuis.
Interdum lubet umbroſa ſub vite jacere,
  Inque meo temere procubuiſſe toro;
Ac late ſpatiari animo, populoſque remotos
  Cernere, perque ſalum currere, perque ſolum;
Luminibus viſas & mente reviſere terras.
  Illi quò pedibus non datur, ire datur.
Ante meos oculos adducitur hoſpita tellus,
  Apricus dum me lectus & umbra fovet.

Hîc parvam fingo Italiam, ſedeſque cupitas,
Inque peregrinis me reor eſſe locis.
Sic ubi jucunda capiuntur imagine ſenſus,
Ipſe mihi dico : Quid ſibi viſa volunt?
Ipſe mihi tum dico : Meos num migrat in hortos
Auſonis? Auſonium conſpicio anne ſolum?
Attollunt ſeptemgemini ſua culmina montes:
Tollit arundineam Tibris ab amne comam.
En ultro me Roma ſuas deducit in arces.
Subſequor : ac veterem miror in urbe nova.
Innumeras intro villas, & colle recumbo,
Sive tuo, Cœli, ſive, Quirine, tuo.
Hîc inter laurosque altas altasque cupreſſos
Detineo profugum decipioque diem:
Quóque loco, gratas pandit ſpatiantibus umbras,
Et ſcatet irriguis fertile Tibur aquis:
Quóque loco, platanis & multa nobilis urna,
Commendat Latiam Tuſcula Naïs humum:
Aut illo potius, Maro quo jacet; áque Marone
Proxima divinis Actia Muſa modis.
Fortunata nimis, geminoque ſuperba poëta,
Dignaque Sincero, digna Marone, juga;
Sit mihi, ſit rurſum, decerptas vertice veſtro,
Nectere Daphnæas in ſacra buſta comas:
Sit mihi Pauſilypi placida recubare ſub umbra,
Cernere ludentes & maris inde Deas.
Hei mihi! quam fallax, & quam brevis, illa voluptas:
Quæ, dum mens umbras captat, ut umbra, fugit!
Avolat, ut pennis volucres! ut ab arbore pomum,
Decidit! ut flores flamine, tota perit!
Alliciunt oculos hæc oblectamina ſolos.
Qui ſapis, his nimium ne capiare, cave.
Seria ſunt ſtudiis interponenda jocoſis.
Quæ paſcant animum ſeria nempe dabunt.

Seu ſedet annales veteris perdiſcere ſæcli,
Et rerum varias imperiique vices:
Dogmata ſeu Senecæ, vel dii mella Platonis,
In labris pueri qualia finxit apis:
Seu Demoſthenicæ tonitrus ac fulmina linguæ;
Quove juvet trepidos Tullius ore reos:
Lumine ſeu captum, qui plurima vidit, Homerum,
Cantantem forti fortia bella tuba:
Aſcræove ſeni viſas per ſomnia Muſas;
Sive Syracoſii carmina blanda ſenis:
Quique illis palmam eripiens, tres æquat in uno,
Ternaque promeruit præmia, terna tulit;
Cui Tiberis, cui Sebethus, cui flumine curvo
Mincius, & tremulis Mantua plaudit aquis:
Quóque nihil vidit Sol ingenioſius; in quo
Pelignus merita laude ſuperbit ager:
Et qui Pierias Auguſti Cæſaris aures
Cœpit, Apollineæ maximus arte lyræ.
Hi mihi ſunt comites. Juvat hos audire canentes;
Accendit cantus cantus & ille meos.
Erigor: ac ſimili pectus percuſſus ab œſtro
Sentio neſcio quem pectore & ore Deum:
Quique voluptatum cumulus, teſtudine ſumpta,
Ipſe meas ferio ſollicitoque fides:
Effingoque aliquid, tentoque, & nitor eandem,
Quantumvis paſſu diſpare, inire viam.
Quod ſi ſponte mea curas componere poſſem:
Componi curas hoc mihi more velim.
Hæc vitæ mihi forma placet. ſic frangere ſoles
Juverit. optarim nil agere, hoc ut agam.
Interea cari venientes urbe ſodales
Sæpe interrumpant ſeria, ſæpe jocos.
Hos inter ſi me alloquio dignaberis hoſpes,
Et venies lateri tu mihi dulce latus,

In silva, & solis unà spatiabimur hortis,
Sæpe locuturi seria, sæpe jocos.
Protinus ad nostros ridebunt germina risus,
Applaudet lætis & nemus omne comis.
Curre, vola: blandi nemoris te murmurat aura;
Ipsa tibi rident germina, ridet humus.
Sedibus his utinam primo te sistat Eoo,
Eoüm vigili qui vehit axe diem!

JANO BROUKHUSIO.

ELEG. VII.

BRoukhusi, quem blanda Erato, quem mater Amorum,
Formavit manibus quem Charis ipsa suis:
Quem mihi juge sodalitium sic junxit amantem
Unus ut è gemino corpore spiret amor:
Ecquid, amice, vales? animæ pars altera nostræ
Ecquid adhuc superest, &, velut ante, viget?
In te quæ superest animæ pars altera, certè
Dudum nescio quo tabuit illa modo.
Hæc viget, illa jacet: videorque ego, sanus & æger,
Vivere dimidius, dimidiusque mori.
Non sunt de nihilo præsagia. mens mihi tristis
Anxia pro vita proque salute tua est.
Terrent sollicitum diuturna silentia pectus,
Erroresque vagi, militiæque labor.
Terret & Auriacus, Caroli qui nomine regis
Dicta repentino mœnia cingit equo.
Undique jam video præruptos scandere muros,
Et cadere hostili millia multa manu.

Ah

Ah metuo, ne tu numero numereris in illo,
  Simque, tuo audito funere, funus ego.
Ah metuo, ſi forſan & hæc, quam nunc tibi mitto,
  Charta tuas unquam ſit ſubitura manus.
Cuncta miſer timeo. tu cuncta ignoſce timenti.
  Si neſcis, amor eſt, non timor, iſte metus.
At tu obdura animum, & magno preme pectore ſortem,
  Et ſis carminibus fortior ipſe meis.
I generoſe animi, (tibi ſic Deus adſit eunti)
  Quo Deus, & virtus, & tua fata vocant.
Dura quidem, fateor; ſed quæ leviora ferendo
  Confieri poſſunt, ſi bene fertur onus.
Tempus adeſt, cum, ſuſpenſo poſt prælia ferro,
  Otia Pax terris, & tibi, longa dabit.
Tunc erit in ſtudiis conſumere dulcibus ævum
  Geſtanti citharam, qua prius arma, manu.
Fila legent Parcæ tibi mollia: dumque priora
  Excuſare volent, proſperiora dabunt.
Hæc quoque, quæ pateris, quondam meminiſſe juvabit,
  Curaque lætitiæ pars erit iſta tuæ.
Candida nec mihi ſunt ex omni ſtamina voto:
  Nam, quæ perduras tu mala, & ipſe fero.
In partem ſocii venio diſcriminis: in te
  Vulneror, & morior, ſi moriaris, ego.
Obverſant animo Leti mihi mille figuræ,
  Luminibus lacrymas eliciuntque meis.
Sed tu nec timidus, nec tu temerarius eſto,
  Et nimium vitæ prodigus ipſe tuæ.
Parce, precor, quantumque licet diſcrimina vita:
  Et mihi ſi non vis parcere, parce tibi.
Si tibi non parcis, dilecto parce ſodali:
  Parce, neque unius funere perde duos.
I tamen, i contra. cœpto bonus annuit æther;
  Et, quem protexit, proteget enſe Deus.

Te multis ante eripuit belliquе marisque
Fluctibus, & tutum cinxit ab hoste latus.
Illum hilaris, quocunque vocat, lætusque sequare.
Incolumem patrio te dabit ille solo.
Pigneror augurium. perfer, quodcunque ferendum est;
Dum veniat votis mitior hora tuis.
Interea, quando amplexu prohibemur amico,
Leniat invisam multa tabella moram.
Nunc pede, nunc pedibus decurrat epistola nullis,
Lasset & alternas littera crebra manus.
Dumque procul longo disjungimur intervallo,
Mutuus in juncto pectore flagret amor.
Adsumus absentes: & lumina corporis ire
Quò nequeunt, illuc lumina mentis eunt.
Ut juvat optatos vultus, & cara tueri
Pectora! transactos ut meminisse dies!
Tecum per nemora, & colles, & devia rura,
Et secreta piis vatibus antra feror.
Et modò propter aquam, viridi modò fusus in herba,
Ceu prius, assumpta gaudet uterque lyra.
Nunc tibi compositos repeto relegoque labores,
Et capior numeris, culte poëta, tuis.
His levo deliciis animum. jam audire loquentem,
Reddere jam videor verba, palamque loqui.
At cum grata manus pertingit epistola nostras,
Tum mihi tu loqueris, tum loquor ipse tibi.
Conspiceris tabula, præsensque audiris in illâ.
Hæc animum, hæc vultus monstrat imago tuos.
Ipsa sui genium domini, numerosque, sonumque
Quæ referat vivis, est mihi charta, notis.
Judicium tenet illa tuum. nec certior index
Esse potest animi, candidiorve, tui.
Scilicet Aonius, Domini post fata, libellus
Commendat Famæ carmina, seque mihi.

Define,

Desine, amice, tuas mihi commendare Camœnas.
Ista sui debet pignora noster amor.
Quid dubitas? vinclum credisne perennius ullum,
Aut aliquid nostra sanctius esse fide?
Non illa Pylades macula consperfit Oresten:
Per Nisum Euryalo non ea inusta nota est.
Ex æquo Pylades, ex æquo ardebat Orestes,
Euryalique comes, Euryalusque puer.
Nos quoque fax eadem flammis æqualibus urit,
Quoque tuum, parili cor calet igne meum.
Fœdus amicitiæ per non violabile juro:
Perpetuæ curæ te fore, & ista, mihi.
Nil opus est stimulis. fugit hos, oditque rogari
Verus amor. calcar sufficit ipse sibi.
Sponte facit, quodcunque facit. Vis pignus amoris?
Æternum fidei te tibi pignus habe.
Ne dubita: vinclum neu crede perennius ullum,
Aut aliquid nostra sanctius esse fide.
Ibimus in lucem pariter, pariterque legemur;
Et qui nos, idem carmina junget amor.
Floribus ornabo tumulum, lacrymisque rigabo,
Musa nec officio deërit amica suo.
Non mea cum caro pietas moritura sodali est.
Transcendet fati litora noster amor.
Denique diceris semper, quam longa supersum
Tempora, seu vivas, seu moriare, meus.
Sed potius vivas; & in uno corpore serva,
Dimidiumque mei, dimidiumque tui.



AD EUNDEM.

ELEG. VIII.

ACcipe dilectum Musis opus, accipe Jane,
Quod tibi depositum reddit amica manus:
Cara tibi manus ante alias, belloque fideque
Cognita, jamque suo cognita amore mihi.
Militiæ comes ille tuæ, tuus Hasius ille
Fert secum ingenii pignora, Jane, tui.
Haud equidem potui tua carmina tutius ulli
Credere, credideras quæ vagus ante mihi.
Illa meum nunc hospitium tectumque relinquunt,
Oraque dilecti sub genitoris eunt.
Tu vero gaudente manu venientia, & illo
Excipe, legitimum quo decet, ore, patrem.
Quanta tui capient mox incrementa libelli
Invecti laribus, Jane polite, tuis!
Quæ species, qui cultus erit, quæ gratia, per te
Accipient summam cum tua scripta manum!
Illa quidem facunda, & quæ dictasse canenti
Crediderim ductas ex Helicone Deas.
Nec plures edunt flores Parnassia Tempe:
Nec fluit Aonio purior amne latex.
Illa tamen Domini tersam revocanda sub aurem
Rursus, & exactâ perpolienda manu.
Perge decus juvenum, cultissime perge poëta,
Per te correctis cultior ire modis.
Non ego vitupero, laudo quoque: possit ut ultra
Addere nil operi lima polita tuo.
Perge inquam nova Pegasidum, nova gloria Phœbi,
Inque diem, & populos, quæ male condis, eant.

Rumpe age, rumpe moras: quid enim cessamus inertes,
Ire nec in lucem, canaque sæcla, libet?
Quid premis immiti vulganda poëmata dextra,
Et tenebris damnas digna videre diem?
Ingenii monumenta tui legat ultimus orbis,
Cognita nec soli sit tua Musa mihi.
Ipsa vocat te Fama, sacrique è vertice montis
Lecta parat capiti laurea serta tuo.
Hac sine, quò versus effingere? quò tibi nomen
Vatis? inauditæ gloria nulla lyræ.
Hæc alit, hæc laudis sitientum pectora vatum
Excitat: hæc illos unica palma manet.
Huic decet inservire: hæc nos vulgoque soloque
Eripit, & cœlo sideribusque locat.
Cantanti dudum illa tibi favitque, deditque
Nobile in Aonio nomen habere choro.
Non valet hæc eadem, quod contulit ante, negare.
Augebit famam pronior usque tuam.
Cumque recensebit nostræ telluris alumnos,
Et Grotium, & Dousas, nomina magna, canet:
Æqualemque patri Heinsiadem; dulcemque Secundum,
Delicias Phœbi, deliciasque tuas:
Hos inter vates aliquem tibi jure relinquet,
Et non postremum, Jane diserte, locum:
Dumque Secundi ignes terra admirabitur, alter
(Quid majus tribuat Fama?) Secundus eris.
Illius ingenio cunisque superbiat Haga:
Te, quo se tellus Amstela jactet, habet.
Hooftdius illustret patriam natalibus urbem,
Et linguæ, & Batavæ gloria summa lyræ;
Qui primi Clarias Tiberi deduximus artes,
Nos sumus. Invidia vera fremente loquar.
Primus ego in patriam, quo nomine glorior uno,
Montibus è Latiis sacra Latina tuli.

Major ut ingenio ſit nobis, major ut arte,
Hoofdius; eſt aliquid non patrio ore loqui.
Eſt aliquid Latia carmen componere lingua,
Itala quod tellus, Roma quod ipſa legat.
Quare age, Jane, novas capiti precor indue lauros,
Et celebris Muſis ſit tua terra tuis.
Scilicet has olim, præſens ſi reſpuet ætas,
Excipient gremio poſtera ſæcla ſuo.
Hæc verum imponent pretium, tum, quod tibi Fama
Jam dedit, ex æquo poſt tua fata dabit.
Tu modò Pieriis vitam famamque libellis
Affere: nec lapis has, qui teget oſſa, tegat.
Artibus Aoniis periturum extendere nomen
Aggredere, Aonia nomen adepte lyra.
Ede tuos verſus: quid enim facundius illis
Eſſe: quid his ipſis terſius eſſe poteſt?
Flagitat hos Phœbuſque pater, Muſæque ſorores,
Et, quæ paſta tuo nectare ſæpe, Charis.
Flagitat, æquoreo de gurgite nata Dione:
Et, qui te docuit ſcribere carmen, Amor.
Ulteriusne premes, quod nos, tua turba, ſodales
Dudum exſpectamus non patienter opus?
Rumpe precor latebras, Muſisque faventibus exi,
Exit ut Eleo carcere pulcher equus.
Emendata diu jam carmina, qua patet, orbis
Audiat, & multa voce manuque probet.
Si tamen emaculata ſatis nondum illa putabis,
Alter in alterius vulnera portet opem:
Et detergendis incumbat uterque lituris:
Tu noſtro melior carmine, egoque tuo.
Præſtitit officium hoc Naſo tibi, culte Properti:
Iſtud idem, Naſo, præſtitit ille tibi.
Naſonem Lyrica demulſit Horatius arte:
Cœpit Flaccum Elegis Naſo poëta ſuis.

Tales

Tales, exemplo veterum, Jovianus, & olim
Actius, alternos corripuere modos.
Talis Sidronio fuerat modò Wallius, illi
Sidronius: par his cura duobus erat.
Et modò laudabant quicquid pulchrumque bonumque:
Nunc meliora suis substituere locis.
Profuit hoc illis studium: maculasque notasque
Tollebat numeris libera lima suis.
Hæctibi si via fortè placet, quin tendimus illac,
Et tritum magnis vatibus imus iter?
Auxilium tibi, Jane, meum promitto, tuumque
Pigneror: alternam res ea poscit opem.
Atque utinam propiore solo traducere vitam,
Inque suburbano posse liceret agro:
Conspectus tuus ille mihi, tibi noster, amice,
Sufficeret nostris robora quanta modis!
Nunc, quia diversis disjungimur urbibus, unâ
Vivere nec nobis in regione datur:
Littera compenset culpam terræque locique,
Oris & alloquii sustineatque vicem:
Quaque licet, studiis communibus adsit uterque,
Si res indigeat te mea, meque tua.

RENATO RAPINO.

Cum meas ei Eclogas mitterem.

ELEG. IX.

MAgne Vetustatis defensor, docte Rapine:
Laus & honos Clarii, culte Rapine, chori
Accipe, nec pigeat crescentem audire poëtam,
Hæc mea bucolicis carmina lusa modis.

Pasto-

Paſtorale placet dudum mihi carmen, & illuc,
Si qua mihi Muſa eſt, me mea Muſa vocat.
Jam dudum Siculus rapuit me paſtor, & ille
Qui ſequitur Siculum, non minor ipſe, ſenem.
Illi prima meæ moverunt ſemina mentis:
Altera tu numeris, culte poëta, tuis.
Tu calamos utcunque meos non paſſus inertes.
Inflavi calamos, te modulante, meos:
Exemploque tuo, Ieſſidæ vatis ad urbem,
Pavi lanigerum læta per arva gregem.
Alter ego incedo tua per veſtigia vates,
Audax hortatu factus ab ipſe tuo.
Tu, me cùm legeres, aliquid ſperare jubebas:
Laudabaſque meos ore favente modos.
Ex illo velis cœpi majoribus ire,
Favit & incœptis Calliopea meis:
Juſſit & Heroïs pedibus graviora referre,
Martiaque Andinâ dicere bella tubâ.
Nunc tuba, nunc ſumpta eſt mihi fiſtula. quid mea
Fiſtula, tu quæſo, cui propria illa, vide. (poſſit
Tu morem imponis calamis, legeſque canendi
Præſcribis nobis, nec minus ipſe tibi.
Sic utinam iſta ſequi, ceu tu præſcribere, poſſem,
Carmine materiæ conveniente ſuæ:
Et leve neſcio quid tenui cantare cicuta,
Pana quod oblectet, Naïadumque choros.
Ah vereor, noſtræ ne ſit decor ille cicutæ,
Sufficiat teneris nec mea Muſa modis. (men.
Multum Elegos, multum Heröum conſcribere car-
Plus habet hoc artis, quo patet illa minus.
Simplicitas, ſermoque ſuus, ſermoque pudicus,
Multum naturæ, plus tamen artis, habent.
Artis, ſi qua fides, Naturam effingere, ſummæ eſt.
Non niſi Apellea pingitur illa manu.

Aſt

Aſt hæc quo major, major mihi cauſſa timendi,
His gravius ne ſit viribus illud onus.
Juſtius incumbunt humeris ea pondera firmis.
Ferre negant humeri pondera tanta mei.
Nata tuis manibus, manibus tractetur ab iſtis
Canna: decet digitos canna, Rapine, tuos.
Quodam jure tuum rus eſt: tibi paſcua, & horti,
Imperioque tuo ſubdita paret humus:
Et Nemora, & picti Flores, Pomaria, & Undæ,
Nomina ſunt verſu nobilitata tuo.
Te colit ante alios paſtorum Numen, amatque
Illo, quo ſolitum eſt, dignius ore cani.
Nec tamen, ut ſpero, noſtram averſatus avenam
Reſpuet Arcadiæ, ſi ſinis ipſe, Deus.
Illum concilia mihi tu: facileſque Napæas
(Nam potes) in ſaltus & mea rura voca.
Ipſe quoque haud dubita noſtras inviſere ſilvas:
Clementique meos imbibere aure modos.
Invenies illic ſterilis mala ſemina avenæ,
Evellenda tuâ ſemina caſſa manu.
Invenies etiam frutices, & amabile forſan,
Quodque velint teneræ carpere gramen oves.
Illic, umbroſæ recubans ſub tegmine fagi,
Percipies cantus per nemora alta meos.
Dumque meos audis cantus, mulceberis illis
Forſitan, atque aliqua parte placebit opus.
Forte meo quoque Damœtæ ſuſpiria fundes,
Et, qui te moveat, noſter Alexis erit:
Proruptaſque meis oculis mihi fleta Lycoris
Oſtendet lacrymas, elicietque tuas.
Ergo age, paſtoreſque meos & paſcua luſtra,
Inque meas ſilvas, captus amore, veni.
Si quid in his frugiſque bonæ naſcetur, & herbæ,
Debebo monitis carminibuſque tuis.

AD

AD NICOLAUM HEINSIUM,

De secessu ejus Vianensi.

ELEG. X.

PAtris Apollinci soboles, quem margine Leccæ
 Mœnibus includit pulchra Viana suis:
Mille voluminibus qua tu circumdatus, Heinsi,
 Fingis in Aonia parvum Helicona domo:
Insanoque fori strepitu vulgique remotus
 Nunc tota Musis mente, tibique, vacas:
Salve, Pierii dux agminis; istaque perge
 Otia, concedit dum Deus ista, sequi.
Hactenus Europæ varios populosque locosque
 Perlustrasti oculis, multaque regna, tuis:
Inque hominum media versatus luce salutem
 Curasti Batavæ, nocte dieque, rei.
Testis Hyperboreis subjecta Trionibus ora,
 Canaque perpetuâ Parrhasis ursa nive:
Quæ curamque, operamque tuam, vigilemque labo-
 Vidit ab Arctoo, pervigil usque, polo. (rem,
Sæpe tuam mirata fidem Regina Trionum est:
 Mirata est numeros sæpe eadem illa tuos.
Illius auspiciis, quam nunc habitatque probatque,
 Calcasti Latiam non novus hospes humum.
Illius in terris multos exinde per annos
 Auxisti patriæ remque decusque tuæ.
Plena quidem famæ, sed, multi plena laboris,
 Quam tu vixisti, publica vita fuit.

Quod

Quod supereſt, longumque tibi dent fata ſuperſit,
Jure tuo Muſis, & tibi, ſolus habes.
O fortunatum pariter ſtudiique locique,
Æthere quem noſtro purior aura fovet!
Cui melior tellus, noſtriſque feracior arvis
Surgit, & innumeras larga miniſtrat opes!
Cui, Brederodæam dum præterlabitur arcem,
Suppeditat dulces proximus amnis aquas!
Hic vivis, tecumque habitas, hic multa ſenectæ
Inſtantis Claria tædia fallis ope.
Clauderis hic parvis laribus, nec clauderis illis.
Tu tamen, atque animo, quò libet, inde fugis.
Illo pervolitas quicquid Lutetia, quicquid
Includit gremio maxima Roma ſuo:
Et, Vaticanus quæcunque recondit Apollo,
Evolvis cupidâ ſcripta vetuſta manu.
Quin ea ſacra tuos dudum ſubiere penates,
Inque Vianæum Roma receſſit agrum.
Huc tua ſedulitas Italis advexit ab oris,
Egregii ſi quid Tibris & Arnus habent.
His animum ſtudiis oblectas; jamque Maronem,
Jamque alios, tenebris explicuiſſe juvat.
Tota poëtarum ſeries tibi denique vitam
Debet, & acceptum fert, ſine ſorde legi.
Dat plauſum, dat promeritas turba enthea grates
Auctori vitæ, ſæpe datura, ſuæ.
Ergo aut antiquos vates è faucibus Orci
Eripis; aut, illis æmulus, ipſe canis.
Jam veterum monumenta virûm, jam ſcripta recen-
Excutis, & multa ſedulitate teris. (tum
Nunc vicina tibi Germania, nunc tibi mittit
Gallia, nunc ceras Auſonis ora ſuas.
Et modò Fernandus, modò te Chriſtina ſalutat:
Nunc Montoſerii, nunc tua, Coſme, manus.

Nunc è finitima docti regione sodales
  Invisunt Musas, suspiciuntque, tuas.
Ecce Vianensem creber festinat ad urbem
  Græviûs, & multum fert tibi lætus ave.
Deserit Hagani nemoris Kinschotius umbras,
  Teque tibique aditum gaudet adire locum.
Et, qui fama suis, Bleisvicius, inclyta Delphis,
  Natalem Lecca flumine mutat humum:
Insignesque lyra Hugenii, gnatique paterque,
  Magna aulæ, Clarii lumina magna jugi.
Sic his, sic aliis vivorum, aut luce carentum,
  Alloquiis, animum pascis, alisque tuum:
Et terras, terrarum exul, mundumque relinquens,
  Hoc quod abest tibi tu das, nec abesse doles.
Multa ætas vanum docuit te spernere mundum:
  Spernere eum Musæ te docuere tuæ.
Quod tibi surripuit, quamvis reparabile damnum est,
  In libris, in te percipis, inque Deo.
Hic fructus studiorum, hæc debita palma, tuorum:
  Suaviter exacti temporis ista fides.
Scilicet est aliquid, vitæ illecebrisque bonisque
  Destitui, nullis destituique bonis.
Usque beata adeo, nec vulgo cognita res est,
  Posse aliquem secum vivere, posse sibi:
Et placidum, & sese contentum vivere solo:
  Nec solum, nisi cum solus es, esse minus.
O Heinsi, qui depositis hæc otia curis
  Rure tibi placito, rure silente, facis;
Sive sodalitii consortes inter amicos,
  Seu tecum vitæ tempora solus agis;
Me quoque, si pateris, sacras admitte sub ædes,
  Simque clientelæ pars ego parva tuæ:
Inque tuæ Musæ cultoribus, & mihi, quæso,
  Concedas aliquem, magne poëta, locum:

Vir-

Virtuteſque tuas mirantem, & grandia plectra,
Me tecum excipiat margine Lecca ſuo.
Lecca pater, ſeu tu Vahalis cognomine dici,
Seu Moſa, ſeu Rhenus, ſeu mage Lecca cupis;
Et vos arboreæ frondes, umbræque cadentes,
Et quæ populeas concutis, aura, comas;
Alituumque genus varium, trichilæque, viæque,
Et prorupta ſolo lympha, Genique loci;
Et vos umbroſæ ſecreta ſilentia ſilvæ,
Tuque fatigati corporis, herba, quies;
O, qui me veſtri nemoris ſeponat in umbra:
O, qui me veſtræ margine ſiſtat aquæ:
Innumeras ut delicias, & gaudia glebæ
Uberis, hinc oculis, auribus inde, bibam!
Trajice me fluvioque tuo, ripaque jacenti
Oppoſita mollem da mihi, Lecca, torum:
Temperiemque tuam videam, paſſimque volantes
Huc illuc celeres, quò jubet aura, rates.
Et tu, proxima ſilva, tuo me gramine feſſum
Excipe, ſeceſſus & mihi pande ſacros.
His ego ſub foliis umbras & frigora captem:
Lenè ſuſurrantes hîc ego lentus aquas:
Hîc volucrum cantus: quæque alite ſuavius omni
Concinit, Heinſiacæ fila canora lyræ.
Illa tuo ruri dos unica: vate ſine illo,
Ut tibi tu placeas, nil niſi vile ſolum es.
Sis multa dives licet arbore; ſis licet arce,
Et Brederodæa nobilitata domo:
Plus tamen huic te pœnè viro debere fateris.
Grande tuis pretium frondibus ille facit.
Hunc unum propter tu viſeris: hujus amore
Creber amat ſaltus hoſpes, initque, tuos.
Non Hagana tibi, non ſeſe Harlemia teſqua
Æquiparent: famæ plus, & honoris habes.

Phœbo sacra tibi Daphne, tibi Thessala Tempe
Submittunt ramos, aëriumque caput:
Et, quondam Latii certissima gloria campi,
Cedit Aricinum jam tibi, silva, nemus.
Et tibi sunt frondes, natæque è frondibus umbræ:
Et tibi multus honos, & tibi numen inest.
Læta Camœnarum viridi sit Aricia luco;
Sit Daphnes Phœbo terra dicata suo;
Tu quoque silvicolis habitaris, ut illa, Camœnis:
Tu quoque Castalio curaque amorque deo.
Heinsius Aonidas, Phœbum præstatque refertque
Heinsius: ille tuo numen, honorque, solo.
Hospitium geniale sibi te legit, & ipsa
Thessala blanditiis posthabet arva tuis.
Certè ego te cunctis veterum silvisque locisque
Anteferam, & multa relligione colam:
Teque, tuumque canam, quo possum carmine, vatem,
Et dicam numeris nomen utrumque meis.
Tu modò depositum cœli servare tuumque
Sis memor, &, famam hanc qui tibi donat, ama.
Tu gratas illi latebras, tutosque recessus
Suffice, & attenta, quod canit, aure nota:
Eque tuis foliis, quanquam non indiget illis,
Frondea Pierio vincula necte viro.
Sic celebrent Satyri, sic te tua numina Fauni;
Naïades festos instituantque choros:
Sic te vicina veniens terat urbe viator;
Lustret & Aoniam plurimus hospes humum:
Sic tibi non Zephyri flatus, non frigora desint,
Scenarumque umbræ, vivaque fontis aqua:
Innumeræ tua sic volucres per culmina ludant,
Argutumque canant ore sonante melos:
Sic nulla violere manu, violere securi,
Neu lædat lignum bucula, ovisve, tuum:

Sic tibi nec venti noceant, nimiive calores,
  Sæva nec Icarius dum levat ora canis:
Sic, ut laurea ſerta, tui quæ tempora cingunt
  Hoſpitis, uſque tuæ ſtent, vireantque, comæ.

AD

ÆGIDIUM MENAGIUM,

De ſtudiis ejus Poëticis.

ELEG XI.

MEnagi, primis ſibi quem ſacravit ab annis
  Pallas, & Aonio cum grege ſancta Themis:
Accipe quod multi mitto tibi pignus amoris
  Pars ego Pierii Francius una chori.
Ecce timet, doctaſque fores pulſare recuſat
  Tincta verecundas Muſa rubore genas.
I tamen, i, dixi, timidumque evince pudorem,
  Ruſtica tam culto ne videare viro.
Quod metuas, non eſt; doctas amat ille puellas,
  In quarum numero tu quoque forſan eris.
Illa nihil: paullo ſed ab his animoſior, ivit
  Orba metu juſſam, nec tamen orba, viam.
Et merito: quis namque tuam, cultiſſime vatum,
  Viſere ſuſtineat, non metuatque, domum?
At tu, docte, meas illo precor ore Camænas,
  Excipe, Menagi, quo cupis ipſe legi.
Jam dudum terras ſparſit te Fama per omnes,
  Suſtulit & pennis alta ſub aſtra ſuis.

Tu legeris toto, toto cantaris in orbe,
Æternumque tibi dant tua ſcripta decus.
Sive per Aſtrææ campos ſpatiaris amœnos,
Submittit flores & tibi Diva ſuos;
Sive Sophos Grajos Stygiis educis ab umbris,
Et veterum vitam dat tibi vita novam;
Seu Francæ, Tuſcæve doces primordia linguæ,
Ductaque Sablolia ſtemmata longa domo;
Seu tu, Pegaſea mentem lymphatus ab unda,
Laberis Aoniis purior amne modis.
Hic tua ſe monſtrat virtus, hic exerit omnes
Ingenium vires eloquiumque ſuas.
Te Themis, & patrio rapuit ſata vertice, utramque
Ante tamen Clariæ te rapuere Deæ.
Inter Apollineos nunquam delebile myſtas
Nomen habes, ſcripti natus ad omne genus.
Nunc paſtorali carmen modularis avena;
Nunc Lyra, nunc Elegi, nunc Epigramma, placent.
Nec ſatis eſt, uno dici ſermone diſertum:
Facundum linguis pluribus eſſe, tuum eſt.
Jam te Græca vocat, jam te Romana Poëſis;
Gallica jam, jam te Tuſca Thalia juvat.
O quoties numeris ego lenè fluentibus hæſi,
Et dixi: numeros tolle, Tibulle, tuos!
O quoties, vel Callimachi, vel Teïa coram
Pæne tuis verbis credita Muſa loqui eſt!
O quoties Italis laudem palmamque Poëtis
Viſus es, & Gallis præripuiſſe tuis!
Sequana mirantum curſum ſuſpendit aquarum,
Attollit fluctus Arnus & ipſe ſuos.
Surgunt Muſcoſo Nymphæ Cephiſides antro,
Plaudit & è mediis Ilia mater aquis.
Si qua fides, Cytherea polo Chariteſque relicto
Aure bibunt numeros depereunte tuos.

Præ

Præ numeris Cytherea tuis, facunde Poëta,
Deſeruit Cyprum, deſeruitque Paphon.
Ipſe liber teſtis tuus eſt mihi. totus amorem
Spirat: habet veneres pagina quæque ſuas.
Nunc in me Paphios Amaryllis ventilat ignes,
Nunc, quo ſurripiat me mihi, Doris habet:
Nunc verſatilibus me Delia captat ocellis,
Flore levi pictis nunc Teleſilla genis.
Jam me pulchra Corinna rapit, jam pulchra Laverna,
Verſibus in cœlum vecta Laverna tuis.
Hei mihi, non tutum eſt vel ſic ſpectare Lavernam!
Prædatur ſenſus illa diſerta meos.
Uror io: ſenſi. flammis ignoſce, Menagi,
Quas per te movit dicta puella tibi.
Quæ non viſa places, ut tu mihi viſa placeres,
Gloria Sequanici, pulcha Laverna, ſoli!
Incedas Grajâ; veſtis te Graja decebit:
Incedas Latiâ; palla Latina decet:
Indue Gallorum cultus, Italumve, recentes;
Convenit hic formæ, convenit ille, tuæ.
Jure tibi, quæ Peligno cantata Poëtæ,
Invidet, & docti Lesbia vatis amor:
Quæque ſuo cupidum torſerunt igne Tibullum;
Quæque Propertiaco carmine nomen habet.
Ipſe ſuos vates Tyrrhenus negligit ignes,
Et te, pro Laura, pulchra Laverna, colit.
At tu, Menagi, doctorum ſcriptor amorum,
Cui plus quam matri debet amica ſuæ:
Vive diu, longumque tuo potiaris amore,
Iſtaque diſrumpat vincula nulla dies.
Tu famam dona pulchræ, vitamque, Lavernæ:
Det famam, & vitam, verſibus illa tuis.
Illa caput mirto, Claria tu cingere lauro,
Quam tibi quadruplicem Muſa datura tua eſt.

Scribere bis gemina valuit qui carmina lingua,
Et gentes ſcriptis demeruiſſe ſuis;
Bis gemino meruit velari tempora ramo
Scilicet, & plus quam ſimplice fronde tegi.
Septem urbes dixere ſuum poſt funera Homerum:
Te populi dicent quatuor eſſe ſuum.



ELEGIARUM LIBER TERTIUS.

CRETA AD JOVEM.

ELEG. I.

En Loquor, an nimius præcludit guttura luctus?
Qua ſeſe exoneret neſcit & ipſe dolor.
Ergo juvat ſolus miſeram dolor? & mihi, præter
Flere, nihil ſupereſt, & mea damna queri?
Hoc quoque vix ſupereſt. jam mens occalluit uſu:
Vox ſilet, & verbis deficit ipſa ſuis.
Et quoties oculis libet indulgere dolori,
Pro lacrymis multo ſanguinis imbre madent.
Utque gemit moriens ſua fata Cayſtrius ales,
Hæc ego cycneo carmina more cano:
Exequias comitata meas, vivumque cadaver;
Funera funeribus (quis putet?) ipſa meis.
Juppiter ô deſint iſtis ſua pondera verbis;
Inque meos hoſtes hoc precor omen eat:
Si quondam jucunda tibi placui hoſpita Crete;
Ubera ſi nutrix nectare plena dedi.
Quid tamen hoc prodeſt, ſi depopulanda relinquor
Hoſtibus, & tellus ſanguine tincta meo eſt?
At potui peritura, modo meliore perire,
Et non inviſis Threcibus eſſe cinis.
Jam magis atque magis muros tutantia carpunt
Agmina: per numeros carpor & ipſa meos.

Arma cadunt : languet longo mea tempore dextra.
  Hoc de me ſpolium, non meus hoſtis, habet.
Nec tot ſuſtinuit, nec tantos Troja dolores,
  Annorum totidem ſit licet illa labor.
Utraque ſi belli conferre pericula tentas,
  Invenies noſtris iſta minora malis.
Numina quin etiam, quamvis in perfida ſtarent
  Pergama, Pergameis ingemuere rogis.
En, tibi quam tribui, vitam, te vindice, perdo.
  Et potes exitium, lente, videre meum?
Quo tantum noxæ merui? juvine parentem,
  Cum ſua te contra ſuſtulit arma parens?
Anne giganteis favi conatibus olim,
  Et cinxi æthereas obſidione domos?
Num te Dictæa quondam tellure removi
  Portantem Libyco regia furta mari?
Certè ego ſum te ſollicitis tutata lacertis,
  Cum peteret nati membra voranda pater.
Qua ſobolem rabido mater ſubduceret ori,
  Tuta quies cœlo vix ſatis ulla fuit.
Anxia circuitum terræ luſtraverat omnem.
  Quis credat? profugæ nulla patebat humus.
Una Deæ longos doleoque levoque labores,
  Excipioque meo pondera cara ſinu.
O tandem miſerata mei, miſerata meorum,
  Hic tibi ſit curæ regius exul, ait.
Orabat, regemque poli tradebat alendum.
  Agnovi puerum : cætera numen erat.
Interea toto frendet Saturnus Olympo,
  Et maria, & terras, qua patet orbis, obit.
Venit & ad Creten, fidæ ſub tegmine quercûs
  Suſpendi cunas, occuluique, tuas.
Quod niſi tunc Leti diſcrimina parva fugaſſem,
  Jam Chaos antiquum, te ſine, mundus erat.

Quod vivis, terræ quod rector & ætheris audis,
Hoc ipsum, quod me deseris, ergo meum est.
Idne, ingrate, placet? sic nutrimenta rependis?
Hæc sunt officiis præmia digna meis?
Mene perire, meo nutritus ab ubere cernes?
Et mors, pro vitæ munere, munus erit?
Non hanc Armenii legem novere leones.
Anne potes duris durior esse feris?
Ah nimium similis tauro cognosceris illi,
In quo cœlestem dissimulabat amor!
Juppiter, ignoscas: verum puto nasse juvencum,
Et taurum in tauro, non latuisse Deum.
In quem, deposito transibas numine, numen,
In mores idem transiit ille tuos.
Unius in pœnam, ceu conjurata, Deorum
Offensam sequitur cætera turba tuam.
Signa movet diversa meis Latonia signis,
Filiaque irato cum genitore facit.
Est aliquid silices, montanaque rura petisse.
Ingenio rigidi convenit illa loci.
Mollis amor, molli Endymion de corde recessit,
Quod nunc, pro domino, Latmia saxa tenent.
Scilicet humanis assuevit cædibus, ex quo
Tinxerunt Scythicum Taurica sacra solum.
Quid faceret, pleno si se diffunderet orbe,
Sic mihi quæ media parte, meisque, nocet?
At tu verte animos, rebusque cadentibus adsis,
Inque tuas arces, priscaque templa redi.
Justa precor: serva, ceu te servavimus ante.
Redde vicem meritis: quod peto, nempe dabam.
O per me patriis erepte furoribus infans,
Eripe me Getico, Bosporeoque jugo.
Infandam prohibe muris incurrere Thracen,
Cæde cruentatas abstineatque manus.

Nec de te ſpoliis indignùm inſultet ademptis,
Et tibi ſacratam turpè profanet humum.
Impia Sithoniæ vaneſcant cornua Lunæ,
Parſque parent ferro, pars ſua terga fugæ.
Atque utinam poſſem ſatiatos ſtragibus enſes
Affixiſſe tuis, libera facta, tholis!
Sic nunquam affectent vani tua regna gigantes:
Æternùm Enceladi ſic premat Ætna caput.
Sic tua perpetuis cumuletur odoribus ara,
Nullaque terrarum pars tibi thura neget.
Per mala: quæ patior, multoque fluentia tabo
Ubera, per primos, dulcis alumne, cibos:
Si quid id eſt, niſi tota mei te cura reliquit,
Hæc tua te nutrix, non peregrina, rogo.
Quod ſi Creta nihil te tangit; at orbis amati,
Europæque potes non meminiſſe tuæ?
Cernis, ut auxilium precibus flagrantibus oret,
Inclametque ſuum, quo valet ore, Jovem.
Addicine tuos igitur patieris amores,
Verberaque inſontem, duraque vincla, pati?
Illane fœdari ſtricto mucrone videbis
Pectoribus toties pectora juncta tuis?
O quanto dilecta tibi felicius Arctos,
Et quas clara tuus ſidera fecit amor.
Hæc quoque cùm cœlo meruit manifeſta locari,
Debita cur vectæ munera vector habet?
Quo tu Sidoniam duxiſti, dure, puellam?
Ut, pro regali virgine, ſerva foret?
Solane barbarico mactanda ornabitur hoſti
Victima? & hæc referes præmia, læſe pudor?
Ille cruor melius patrio de litore raptæ
Iſſet, dum potuit virginis ire cruor.
At memini, cum tu Europæ jurare ſolebas,
Arſurum haud alio pectus amore tuum.

Si quid adhuc veteris flammæ ſuper; arma ſecundes,
Barbaraque intereant corpora Marte meo.
Ultores tonitrus, irataque fulmina torque,
Sufficiat diris pæna nec una Getis.

CRETA CAPTA.

ELEG. II.

HOc habet. En ſero tandem ſuperata duello
Ceſſit inhumanis Creta rapina Getis.
Mars vigila; dira ulterius neu tendat Enyo,
Imaque peſtiferum ſerpat in oſſa malum.
Surge, age, ſurge tuis aliquando gentibus horror,
Biſtonis & noſtras ſentiat ora manus
Tu quoque quid ceſſas communem accendere Mar-
Europa, & populos, & ſociare rates? (tem,
Orat id infelix Solyme, repetendaque tellus,
Calcavit pedibus quam Deus ante ſuis.
Hoc Iſter, Venetique lacus, hoc Viſtula lymphis
Omnibus, hoc multâ Græcia voce, rogant:
Arvaque Pieriis habitata ſororibus olim.
Heu quantum ingenii perdidit iſte locus!
Si ſubiiſſe negas aliena pericula tanti;
Dum tua res agitur, reſpice: cauſſa tua eſt.
Quid petitur tandem, niſi tu? jacet inclyta Crete,
Sed non hac pariter tela jacente jacent.
Progreditur Bellona, novoſque reſuſcitat ignes,
Nec ponit regno ſævitiæque modum.
At tu pone modum, diſcors, tibi. deſine litis;
Deſine, ſat diris exagitata tuis.

Quæ

Quæ non luxuriant fuſo de ſanguine rura?
Increviſſe ſuas quod mare neſcit aquas?
Heu! quonam Oceano, quibus illa piabitur undis
A conſanguineâ dextera cæde nocens?
Ipſe oculus mundi, videat ne crimina tanta,
Merſa tenebroſis nubibus ora tegit.
Byzantina fovent hæc lumina: paſcitur illis,
Munera Thrax edi nec potiora velit.
Utque lupus, ſummo prædam ſpeculatus ab Hæmo,
Dum te dilanias, præmia raptor agit.
Et quantùm rixæ, tantum gens impia creſcit:
Creſcit, & exitio fertilis illa tuo eſt.
Sic, veſana, juvat, plus quam civilibus armis
Viſcera ſacrilegas in tua ferre manus?
Te proprio verſas in vulnere? corpore Thracum
Hic quanto melius ſanguis iturus erat!
Parce odiis, iræque: tuo jam parce cruori,
Effera: Sithonium tranſeat haſta latus.
Supprime morborum primordia: ſupprime fumum,
Dum potes, eſtque tuo robore flamma minor.
Tempus erit, cum tu cupies ſopire furentem,
Et fruſtra fortis dextra futura tua eſt:
Proxima cum Getico vaſtata Polonia bello,
Et vicina nimis Cæſaris arva gement:
Cum petet Italiam, ſegetiſque uvæque feraces
Barbarici campos ungula ſternet equi:
Cum juga ſubſident; & victa miles ab Alpe
In quamcunque volet ſpicula mittet humum.
Avertat noſtro Deus hæc incendia mundo:
At tu his ne pereas ignibus, ipſa cave.
Viribus î junctis ſceleratam exſcindere gentem,
Quæque prior fecit barbara, damna ferat.
Quid renuis? favet ipſe Deus cauſſæque tibique:
Et dubitas prono bella movere Deo?

O mihi tam longè fatales currite fusi,
  Martis ut Odrysii terga cruenta canam!
Ut tuba Bistonios sonet Europæa triumphos!
  Anticipet votum lux, precor, ista meum.

AD SOMNUM.

ELEG. III.

LAnguentis medicina animi, medicina malorum,
  Luce fatigati corporis alma quies,
Quo fugis o, quo Somne fugis? piger ecce Bootes
  Ducit sopito languida plaustra polo.
Mollia conticuit resolutus in otia mundus.
  Te mare, te tellus, te capit omnis ager.
Sola vident longas sine te mea lumina noctes,
  Pervigil in vacuo destituorque toro.
Nunc huc, nunc illuc per laxa cubilia volvor,
  Et, quo te potiar, vertor in omne latus.
Protinus occurrunt invito mille figuræ,
  Et trahitur misero nox prope quanta venit.
Nec mihi, quæ vigiles soletur amoribus horas,
  Et levet alloquio, decipiatque, suo.
Eheu quam procul hinc, terrâ divisa marique,
  Secubat in viduo pulchra Neæra toro!
Quis scit, an haud simili curarum fluctuet æstu,
  Sollicitæque mei tempora noctis eant?
Forsitan & niveis me detinet illa lacertis,
  Jactat & elusas in mea colla manus.
Sic certè, si non aliter, conjungar amatæ.
  Huc ades in thalamos, huc age, Somne, meos.
Et tibi pacatum, levibusque domabile telis
  Pectus, inauditum nec, puto, nomen amor.

Sepæ

Sæpe Dionæis, lascive, caloribus ardes,
Adscenditque tuum multa puella torum:
Sed tenebris ea furta latent, & noctis opacæ
Plurima nequitias occulit umbra tuas.
Nec tamen occultum, nec te finit esse severum
Pasithee juveni nupta locata tibi.
Hoc quoque stellifero quod cingitur agmine cœlum
Nos trahit, & Venerem sidera cuncta docent.
Senserunt quoties duplicatos ignibus ignes,
Et Pueri flammas prævaluisse suis!
Æquoreas oculis nunquam subeuntibus undas
Respicit haud durum Parrhasis ursa Jovem.
Ora poli medio septenaque lumina tollit,
Per mare Sidonios qui tulit ante toros:
Quasque vides collo Tyrii fulgere juvenci,
Atlantis natas Pleïonesque vides.
Si quæris, cur sint Ledæi sidera fratres:
Alterni cœlum pignus amoris habent.
Quid sit amor, scit Cassiope; germanaque Phædræ:
Scit Bereniceo vertice tonsa coma.
Et qui mutatam deplorat arundine Nympham,
Quaque potest dominæ jungitur arte suæ.
Adspicis Andromeden, & Persea? victor in astra
Andromeden Perseus, Persea vexit amor.
Semper amant, & amare jubent, duo numina aman-
Siderei pisces, hic Amor, ille Venus. (tum,
Et raptor Ganymedis, adoptivisque sub alis
Tectus Olor, furtis sidera nota suis.
Neglectis numerem quid euntia legibus astra,
Cum quibus incertus semper oberrat amor?
Illic conspicitur furtivas natus ad artes
Juppiter, & formas doctus inire novas.
Herse Mercurium torret, Cythereïa Martem,
Vinculaque ultoris ridet & arma viri.

Sol

Sol quoque, cæruleo quem nunc tenet æquore Tethys,
Sedando nullis igne calescit aquis.
Nec sola fratris flamma calet ignea Phœbe,
Et monet exemplo semper amare suo.
O quoties sese solito furata labori est,
Illunisque polus, nubilaque æthra fuit!
Ecquis nominibus dubitet subscribere tantis,
Sideribus tritas & neget ire vias?
Ut domina careant, & spe foveantur inani;
Quo se defendant, non mea vota carent.
Dum loquor, auratum stellarum evanuit agmen,
Et mea paullatim venit in ossa sopor.
At tu quid nostros premis importunus ocellos?
Non tempestiva quid mihi luce venis?
Nocte sato media, tristique voragine Lethes,
Quid tibi cum puro, quid tibi, Somne, die?
Tu tenebris contentus, ea domineris in aula,
Umbrarum & nigro carcere conde caput.
Tu diras tecum facies, tu somnia vana
Ducis, & à Stygio plurima monstra lacu.
Quid quod & à Leto, solo nisi tempore, differs,
Et consanguinei grande quod instar habes?
Cum sua, depulsa caligine, protulit ora
Admonitrix operum, te quoque pellit, Eos.
Ferre reformidant tantum tua lumina lumen,
Non nisi perpetuum sueta videre Chaos.
Quam tibi conveniat, titulis monstrabit apertis,
Exponens medio membra pudenda foro.
Cum trahet illa palam, nigro maculata colore,
Pectoris agnosces signa, fidemque tui.
Deformes oculo renuente tueberis artus:
Membraque spectanti turpia risus eris.
Desieram. scires intellexisse, pudebat;
Cæcaque Cimmeriæ fugit in antra domûs.

AD AMSTELAM.

ELEG. IV.

Quæ nova ſollicitam tentant mihi gaudia mentem,
  Viſceraque inſolitus repit in ima calor?
An dubii ſenſus ſpecie luduntur inani?
  An vero patriæ pectus adurit amor?
Sic erat: Amſteliæ faſtigia cernimus urbis.
  O decus, ô Batavi gloria ruris, ave.
Ut reducis tangunt animum vetereſque ſodales,
  Et patria, & patrii dulcia membra laris!
Sat Gallis, Italiſque datum eſt. ſat rudera Romæ
  Vidimus, æternæ buſta rogumque deæ.
Nunc libet in patriis agitare receſſibus ævum,
  Haud procul à ripis, Amſtela care, tuis.
Hic dulci addictus ſtudio, tacituſque ſedebo,
  Sæva licet circum claſſica, & arma, ſonent:
Claraque doctorum repetam monumenta virorum,
  Græcia quos, aut quos terra Latina dedit.
Phyllida vel tenui calamo modulabor, agamque
  Herboſo niveas margine paſtor oves.
Heroumve canam Romano pectine carmen,
  Tollam & virtutes ſidera ad alta tuas.
Nec, qui ſeptenos præterfluit agmine montes,
  Majus in Heſperiis nomen habebit aquis.
Lentior Hadriacum jam nunc Padus ibit in æquor,
  Et fons Euganeus contrahet ora novem.
Ergo erit illa dies, cum te, formoſe, licebit
  Ardua Pieriis ferre ſub aſtra rotis?
Neu referam Batavo ſulcatum milite pontum,
  Merſaque Victrici captaque roſtra manu:

Eoaſque

Eoasque domos, fessique cubilia Phœbi.
  Trita tuis nimium puppibus ista via est.
Dura Lycaonii perfringam claustra profundi,
  Perpetuam glaciem, perpetuamque nivem.
Venturis alios monstrare nepotibus orbes
  Me juvat, & populos, te præeunte, novos.
At tu cantanti, Pater, annue, si tibi nondum
  Ille vetus nostri pectore cessit amor:
Intemerata tuos si mens celebravit honores,
  Et pura coluit teque tuosque fide.
Te colui, te dilexi, regionibus absens,
  Nec mutata suo pristina cura loco est.
Testis erit Rhodanus, testes Tiberinides undæ:
  Et vidit flammas flamma Veseva meas;
Quæque Dicarchæâ, lascivæ, luditis actâ,
  Oceani neptes, Oceanique nurus.
Tu quoque ne dubita pariles, age lenis, amores
  (Nam tuus est) vati conciliare tuo.
Non ego prodendas venio speculator ad arces,
  Nec mecum insidias, tectaque tela fero.
In me, crede, doli nihil est. meus orat Apollo
  Innocuas sedes, exiguamque domum.
Jura nec hospitii peregrinus & advena posco;
  Sed natalitium, tecta paterna, larem.
Da modò te nostris, da te, pater Amstela, Musis;
  Inque tuo viridem margine sterne torum.
Hîc mihi vicina lento recubare sub umbra,
  Hîc audire tuæ sit mihi murmur aquæ.
Hæc si præstiteris, structam cadet agnus ad aram:
  Non facit ad nostras victima taurus opes.

NARDA RECUPERATA.

AD SERENISSIMUM

ARAUSIONIS PRINCIPEM &c. &c.

GULIELMUM III.

ELEG. V.

SAnguis Araufiadum, plures cui bella triumphos,
Ante tuis Proavis quam tribuere, dabunt:
Pacando, Princeps, fi quid requiefcis ab hofte,
Et Mufis aliquem das, Gulielme, locum:
Gratulor ejectis Nardæ tibi mœnia Gallis.
Convenit ifta tuæ laurea prima comæ.
Nil urbs Te contra valuit: tot millia cedunt
Ocyus, & muros obfidione levant.
Quot menfes alios, totidem Te impendere foles
Vidimus. adventu turba fugata tuo eft.
Ingrederis captam, Batavis plaudentibus, urbem.
Excuffit dominos, libera ut ante, novos.
Nos quoque fervata pariter fervamur in illa,
Totaque communem patria fentit opem.
Jam latè tua figna jugis figuntur apertis,
Et quadrupes campum, quem pede pulfet, habet.
Jam non aggeribus transfundet Nerea ruptis
Hoftis, & immiffis oppida merget aquis.
Ipfe fuas clades, & prædam luget ademptam.
Ut trepidat! veftras ut timet ille minas!
Undique

Undique collectas Trajecti ad mœnia vires
 Contrahit. en toto Mars Tibi cedit agro.
Auguriis ecquid dubitas felicibus uti?
 Quas meruit, pœnas Gallus, & arma, dabit.
Terra parat justum Tibi Trajectina triumphum.
 Præludunt spoliis ista tropæa novis.
Hostibus assuescit jam nunc tua dextra domandis.
 Ad majora vocat Te Deus arma: veni.
Grande viæ pretium. mox pleno gurgite Rhenus,
 Et Mosa, & Vahalis sub tua signa fluent.
Isala compedibus per pinguia culta solutis
 Ibit, & assertas in mare fundet aquas.
I nostrum i columen, cœlo duce, vindice cælo.
 Sic faveat cœptis illius aura tuis.
Sic reparet priscum recidiva Batavia nomen.
 Sic Te perpetuo, quem regis, orbis amet.
Agmina sic nostras fugiant inimica cohortes;
 Et cupiant urbes, Te veniente, capi.
Sic ævi simul heroas veterisque tuique;
 Sic superes magnos, fulmina Martis, Avos.
Sic Turenhoutano prostrata cadavera campo
 Concedant titulis, & Neoporta, tuis.
Belgica sic reducem Te consociata salutet:
 Nec semel, ingenti voce, Triumphe! sonet.
Fœdera sic ineant populi, tandemque coacti
 Deponant telis tela retusa tuis.
Sic aptes patriis hostilia postibus arma.
 Otia sic per Te parta Batavus agat.

TRAJECTUM AD RHENUM LIBERATA.

Urbs Principem adventantem alloquitur.

ELEG. VI.

TAndem igitur venit, lapſis gratiſſima rebus,
Et toties votis hora petita meis;
Veniſti, Gulielme, Deum clariſſima proles,
Ortum ſceptriferis nobile germen Avis?
Excuſſine jugum, modò quæ cogebar inulta
Celtarum furias, ludibriumque pati?
Jamdudum injuſtis mea preſſerat ora lupatis,
Et vectigalem Gallus habebat humum.
Exhauſtis viduæ lugebant civibus urbes,
Lugebat raptas Alpheſibœus oves.
Neſcia quid facerem, fatique incerta futuri
Pendebam, rabidis agna voranda lupis.
Et modò Vulcanum ruitura in tecta timebam:
Nunc rapta cæſas virginitate nurus.
Cuncta minabatur vitio Martiſque ſuoque,
Fas ut in obſeſſos credidit omne nefas.
Sic mihi jam menſes ter ſex abiere dolenti,
Et modus adflictæ, Te ſine, nullus erat.
Tu requies inopina mali. Tu, maxime Princeps,
Rupiſti validâ Gallica vincla manu.
Quam citò deſtituit captivos territus agros
Miles, Arauſiacâ bella ſonante tubâ!
Ergo ego tot curis, tot jam defuncta periclis
Mitia conſpicio Vindicis ora mei?

Huc

Huc ades, ô terræ Batavæ tutela, meæque,
Solque novus radiis exoriare novis.
Sis bonus ô placidusque meis! nec lumine duro
Tam Tibi devotam respice, Victor, humum.
Imperii totas in Te transcripsit habenas,
Et fieri gaudet muneris illa tui.
Da leges, da jura fori, sanctumque senatum,
Stetque sub auspiciis, ut stetit ante, tuis.
Principe Te, Duce Te, vires lassata recepit
Patria, seque tuum salva fatetur opus.
Adjice servatis unam, precor, urbibus urbem,
Simque ego septeni pars quotacunque chori.
His ipsis socii sanxerunt fœdera Belgæ
Sedibus, Hispanas cum timuere minas.
Concilium commune meam confluxit in ædem:
Nata est libertas hoc proavita loco.
Omina sunt aliquid: neque enim puto, convenit illam,
Vivere qua primum cœpit in urbe, mori.
Qua placui, Princeps, culpa minus? an quia fecit
Mars miseram, merui protenus esse nocens?
Et data sum, quia danda fui: male firma tueri
Qui poterat miles mœnia rarus erat.
Turbine quid tanto properantem sisteret imbrem,
Vicinus nullam cum Sala ferret opem?
Disrupto fluvium declinat ponte viator.
Effugit iratas navita cautus aquas.
Quis, nisi mentis inops, vento dum fertur & æstu,
Adverso invalidam dirigat amne ratem?
Sic ego, Bellonæ ne me modò mergeret æstus,
Subduxi tumido carbasa cauta mari.
Ut potui, feci. sed Tu, generose, jacentem
Erige, nec socias inter habere nega.
Nil despero equidem. mea judice caussa sub æquo
Pendet, & eventum res habitura suum est.

Certè magna tui nuper documenta favoris,
  Quod per Te dicor libera, serva tuli.
Reddidit ereptum Bonnæ victoria nomen.
  Nec poteras ullo mitior esse modo.
Nil damni tenet illa mei. longinqua movebas
  Bella, neque in muros exitiosa meos.
Nostro urbs capta bono, non nostro capta periclo est.
  Vicisti, peregre dum geris arma, domi.
In mediis Ubiis, & Rheni ad flumina Rhenum
  Asseruere tuæ, Dux animose, manus.
Rex ita de Siculis Agathocles finibus olim
  In Libyam exemplo transtulit arma novo.
Impiger Ausonias sic Hannibal ibat in arces.
  Scipio sic Afram depopulatus humum est.
Salve Heros: salve ætherea sate gente, meaque
  Fige triumphalem, Victor, in urbe pedem.
Quis de te sensus, quæ mens mihi, conspicis: unus
  Omnibus est animus civibus, unus amor.
Pars tua facta canit, pars Te majoribus æquat:
  Pars ducibus priscis Te putat esse parem.
Quæ valet argumenta sui dat quisque favoris,
  Solvit & in laudes protinus ora tuas.
Ecce Tibi populus currit procul obvius omnis,
  Votaque pro reditu, proque salute, facit.
Linquunt innuptæque domos, nuptæque puellæ:
  Nulla tenent juvenes limina; nulla senes.
Serta ligant Nymphæ. festos hæc destinat arcus,
  Hæ scenas variis implicuere modis.
Cernis, Arausiadum ramos incurvet ut arbor?
  Ut simulata Tibi, ceu sua, poma ferat?
Cuncta voluptatem spirant loca: plaudimus omnes:
  Voxque Academiæ templa per alta sonat.
Hic libertatem populis, extortaque Gallo
  Gratatur reduci Grævius arva tibi.

Jactet

Jactet ametque suum Nereïde natus Homerum:
Hic tibi, Pelidæ quod dedit ille, dabit.

AD VENEREM.

ELEG. VII.

ERgo ego perpetuo semper torrebor ab igne,
Unus in innumeras sufficiamque faces?
Et modò Liriopes, modò Phyllidis urar amore
Incertusque mei semper amoris ero?
Jam mihi dulcis Hyella placet, jam pulchra Lycoris,
Luminibus nunc est grata Neæra meis.
Jam nec dulcis Hyella placet, nec pulchra Lycoris,
Jam nec luminibus grata Neæra meis.
Nunc alios, nunc rursum alios mens concipit ignes,
Et desiderio torqueor usque novo.
Quid voveam, dubito: voveo tamen omnia demens,
Sumque miser voti nescius ipse mei.
Et libet, & cupio: sed quod cupioque libetque,
Hei mihi, nec cupio, nec libet illud idem.
Fluctuat huc illuc animus, ceu pinus in undis,
Nunc Borea, adverso nunc agitata Noto.
Alma Paphi regina, vago Diva edita ponto,
Cur adeo similis motibus unda tuis?
Unda levis, levis est & amor. maris unda movetur
Semper: amor nullo perstat, ut unda, loco.
Æstibus alternis illuc modò pontus, & illuc
Volvitur: alternis æstibus errat amor.
Quo libet, impellunt venti mare: quo libet, æquor
Impellunt animi ventus & aura mei.
In medio vagor oceano: nusquam ostia, nusquam
Terra: stat ante oculos pontus & æthra meos.

Undique vesani tendunt mea carbasa Cori,
Temperat ambiguam nec manus ulla ratem.
Adsis ô Erycina, meam nec desere pinum;
Jus etenim in fluctus, fluctibus orta, tenes.
Pelle vagi motus animi; ne devius ultra,
Instabilisque meus semper oberret amor.
Da quod amem, da quod ludam, juvenilibus annis,
Ne pereant vitæ tempora verna meæ.
Ver aptum agricolæ, ver aptum tempus amanti:
Vere colendus ager, vere colendus amor.
Jam mihi ver abiit primæ geniale juventæ,
Nec tamen ulla meus germina fundit ager.
Debueram jamdudum aliqua pallere puella,
Castaque legitimi fœdera nosse tori.
Sed neque conjugii socialia vincula nosco:
Nec, qua pallescat virgine, vultus habet.
Furtivo interea melior pede labitur ætas:
Nec scio, quid sit Hymen; nec scio, quid sit amor.
Mille jacent alii juvenes cum conjuge cara:
In thalamo jaceo cælibe solus ego.
Mille rates aliæ portus tenuere cupitos:
Fluctuat in medio nostra carina mari.
Passibus incertis erro miser. æstuat intus,
Et mea nescio quis viscera torret amor.
Utque olim ignotis OEnides ignibus arsit:
Ignotis sic nunc ignibus uror ego.
Heu, quid agam? versant variæ mea pectora curæ:
Nec sat consilii, nec rationis adest.
Non mihi principium miseri, non finis, amoris.
Semper amo, careo semper amore meo.
Occulto sic infelix consumar ab igne,
Dum requiem longi dent mihi fata mali.
At tu pone meo finem, Cytherea, dolori;
Sitque modus dubii certus amoris amor.

AD CUPIDINEM

ELEG. VIII.

EXorata meas audit Cytherea querelas,
Et desideriis annuit æqua meis.
Ecce mihi tandem certos selegit amores,
Atque unam è multis, præcipuamque, dedit.
Illa quidem formosa, & amari digna, suoque
Urere quæ magnos possit amore Deos:
Sed votis inimica meis, sed dura feroxque,
Quæque meas surda negligit aure preces.
Non precibus, non lamentis, lacrymisque movetur,
Nec scit, nondum illo saucia, quid sit amor.
Me miserum! votis desideriisque cupitis
Dum potior, votis torqueor ipse meis.
Tollere dum curas meditor, majoribus usque
Implicor, ærumnis discruciorque novis.
Nunc ego sum pinus, medio quæ gurgite ponti
Fluctuat, atque inter spemque metumque natat.
Nunc ego sum pelago exstantem, contraque rigentem,
Quæ frustra scopulum verberat, unda maris.
Hei mihi, quid volui? quò me Cytherea furentem,
Impulit, & voto favit iniqua meo?
Nonne foret satius, nullas cognoscere flammas,
Quam semper clausas sollicitare fores?
Quam tristes Dominæ fastus tolerare superbæ;
Nec finem tanti posse videre mali?
Parve puer, domitorque hominum, domitorque Deo-
Matris Acidaliæ, nostraque cura, puer: (rum:
Si quid te nostri miseret, pharetrate Cupido,
Tu mihi, (namque unus tu potes,) adfer opem.

Tende tuos dextra valida juveniliter arcus,
Inque jecur Dominæ dirige tela meæ.
Aut si tela valent in eam minus, altera tela
Interiora tuas conde sub ossa faces.
Quoque magis caleat, succensum nutriat ignem,
Circumdat niveum quæ tibi penna latus.
Non valet, ut renuat, gemino quin vulnere læsa
Submittat victas illa proterva manus.
Ergo age, magne puer, vires intende, tuosque
Sentiat illa arcus, sentiat illa faces.
Tristia lenito tandem fastidia vultu
Exuat, atque bonâ discat amare fide.
Et nunc blanditias, & verba juvantia dicat:
Nunc faveat verbis blanditiisque meis.
Non injusta peto. dudum hanc promisit habendam,
Addixitque meo mater amica toro.
Parce voluntati caræ te opponere matris,
Otia nec mihi tu, quæ facit illa, nega.
Quin & res agitur pariter tua: res tua certe est,
Libera ne Paphio virgo sit ulla jugo.
Hactenus Idalios Amaryllis negligit ignes,
Gaudet & elusis ambitiosa procis.
Assere contemptos arcus, spretumque tuere
(Si quid habes animi) nomen amoris, Amor.
Sume, Puer, pharetram, læsosque ulciscere amantes,
In quorum numero, nec pudet, unus ego.
Non tibi vulgarem spondet labor iste triumphum,
Nec te de vili pulvere palma manet.
Hæc est formosas inter formosa puellas:
Hæc est Amstelii gloria rara soli.
Hanc ubi prostrâris, multas superabis in una:
Et metuet numen cætera turba tuum.
Nulla tibi mirto vinctas non eriget aras,
Assyrioque tuos sparget odore focos.

Certe ego virtuteſque tuas, & fortia facta,
Carminibus gratis tempus in omne canam:
Atque iſtum celebrabo diem, quo pulchra Amaryllis
Venit in amplexus, te feriente, meos.

IN

IDAM PUELNAM.

ELEG. IX.

IDa nigris oculis, nigriſque decora capillis,
Atque eadem purâ purior Ida nive:
Dilectum Veneri, dilectum nomen Amori,
Pulchrior Idæis, Ida venuſta, jugis:
Ida, puella tenella, Deâ formoſior Idæ,
Illa potens formâ ſit licet, illa Dea:
Virginei decus Ida chori, ſpes omnium amantum,
Omnium amor juvenum, ſed magis, Ida, meus:
Seu Cretæ, ſeu Dardaniæ tu nomen ab Ida:
Seu tu de Cypri culmine nomen habes:
Quam bene formoſæ nomen tibi convenit Idæ!
Nobilis in Phrygio mons erat Ida ſolo:
Mons Cretæ fuit Ida: Cypri ſtant litore curvo
Idaliæque domus, Idaliumque jugum:
Idaliæ loca ſacra Deæ, loca ſacra Dionæ,
Quæ Dea poſthabitâ prætulit ipſa Papho.
Idaliæ promontorium Venus ante colebat:
Idaliæ lucos; Idaliæque lares.
Frondoſum ſuper Idalium Cytherea nepotem
Suſtulit, in multa compoſuitque roſa.
Vallibus Idaliis venantem vidit Adonim,
Colle ſuo reſidens, deperiitque Venus.

Monte

Monte Ida, monte Idæo formosa superbit
  Creta: sacer Veneri Creta, Jovique, locus.
Idam urbes, Idam fluvii fontesque coronant:
  Prima novum Phœbi conspicit Ida jubar.
Collibus aëriæ tollit se Lucifer Idæ,
  Spargit & auratum læta per arva diem.
Ida salutares eadem mortalibus herbas
  Educat, & capris gramina nota suis:
Nobile Cretæâ Dictamnum nascitur Idâ:
  Dictamnum Idæo propria planta jugo.
Illud ab hoc ipso decerptum vertice læso
  Præbuit Æneæ mater, opemque tulit.
Trojanæ mons Ida dedit cunabula genti:
  Nomen Trojano contulit Ida solo.
Ida, decus Phrygiæ, celeberrima fontibus Ida,
  Regibus hospitium, Numinibusque, dedit.
Idæ culmina celsa parens Idæa Deorum
  Insidet. hîc arces templaque Mater habet.
Formosum rapuit Ganymedem è collibus Idæ
  Juppiter, & pennis vexit in astra suis.
Juppiter Idæi consedit vertice montis,
  Junonis lateri conseruitque latus.
Monte sub Idæo, nemorosæ in vallibus Idæ,
  Creditur Anchisæ concubuisse Venus.
Idæo sub monte Paris, quæ nunc daret Idæ
  Ille meæ, Veneri præmia ferre dedit.
Fortunate Paris, patriæ qui in vallibus Idæ
  Diceris OEnonen detinuisse tuam.
Non tam læta meis adspirat amoribus aura,
  Nec mihi tam blanda est, quam fuit Ida tibi.
Ida decens, Venere Idaliâ speciosior Ida,
  Cui formæ palmam non neget ipsa Venus:
Huc ades, o formosa, sinuque illabere nostro,
  Et mihi sis, Phrygio quod fuit illa viro.

Par Veneri facie, Veneri par moribus esto,
Et facilis votis, annue, Nympha, meis.
Quid renuis, lasciva? tuum quoque nomen amare
Te docet, Idaliæ semper amata Deæ.
Tu Veneri Idaliæ gemina jucundior Idâ,
Idæique sacris, Idaliique, jugis.
Idalios præ te spernit Cythereia colles.
Si nescis, oculos incolit illa tuos.
Ex oculis sua tela tuis jaculantur Amores,
Accenduntque suas discutiuntque faces.
Ex oculis Sol ipse tuis, Sol aureus, exit:
Eoo qualis se levat ille mari.
Nec vero, cum culminibus cognominis Idæ
Surgit, & alipedem Lucifer urget equum,
Tantum purpureo diffundit ab ore nitorem,
Ida, tuo quantus surgit ab ore nitor.
Utque Idam venerantur agri, montesque minores,
Sic te virgineus suspicit, Ida, chorus.
Cedant Idalii colles, fontesque, lacusque:
Dat colles alios Ida, aliudque nemus.
His me gaudentem spatiari vallibus, Ida:
His recubare, precor, collibus, Ida, sine.
Tunc ego mî Anchises, tunc Juppiter esse videbor:
Tunc, quod in Idalio vertice Adonis erat.
Tum, novus ipse Paris, Veneri quæ contulit ille,
Dona dabo formæ, Cypride digna, tuæ.
Nec, quem Cretæâ complexa est Diva sub Idâ,
Iäsion nobis invidiosus erit.
Nec, quem saxosæ recubantem culmine Latmi
Formosâ tenuit candida Luna manu.
Tu modo, Diva, fave, neque te Dea verior ulla,
Vulneribusque meis ocyus adfer opem.
Certius, aëriæ quod vertice nascitur Idæ,
Tu mihi Dictamnum porrige: sanus ero.

Me

Me Venus, Idalii me tela Cupidinis urunt:
  Hæret adhuc lateri penna cruenta meo.
Tu digitis, formosa, tuis evelle sagittam:
  Crede mihi, digitis excidet illa tuis.
Non aliud mihi præsidium præsentius ullum est.
  Vulneris auxilium, vulneris auctor, amor.
Ergo age cara meis succurre doloribus Ida,
  Et mea Pelidæ vulnera more leva.
Tu facis, ut doleam. nostrum lenire dolorem
  Si cupis, Ida, dole: meque, ut amaris, ama.

AD MUSAS.

ELEG. X.

Musæ, curarum lenimen dulce mearum,
  Sub mea Pegasides tecta venite Deæ.
Vos animum lenite meum, vos vulnera, quæso,
  Tollite, crudelis quæ modò fecit amor.
Illa ferox Amaryllis, inexorabilis illa,
  Frigidior Scythicis illa puella jugis:
Durior his ipsis scopulis Amaryllis amores
  Negligit, & surda respuit aure, meos.
Ah nil blanditiæ molles, nil dulcia verba,
  Suppliciter fusæ nil potuere preces:
Nil lacrymæ, nil ex imo suspiria corde
  Ducta, fides animi certaque signa mei:
Nil lyra, nil carmen, nil carminis auctor, & illo
  Ipso laudati plus semel ore modi:
Nil purus, nil fidus amor, nil quattuor anni,
  Et tot, sacravi quos tibi, dura, dies.
Omnia diripienda furentibus æquoris undis
  Illa dat, & sævis, sævior ipsa, Notis.

Illa mihi dilecta meos fastidit amores:
Nec plus, quem toto pectore amabat, amat.
Hinc madeo lacrymis; hinc mille doloribus uror,
Hinc crurior miseris nocte dieque modis.
Vix mihi vita placet, vitâ jucundior ipsâ
Fugit ut ex oculis illa adamata meis.
Illa fugit: subito infelix ego percitus ictu
Labor, & heu mecum votaque spesque cadunt.
Aërio talis scopulo dejectus ab imbre
Pastor in æquoreas præcipitatur aquas.
Irato talis cœlo dum tangitur arbos
Interit, & virides perdit adusta comas.
Haud aliter Capaneus, muris delapsus ab altis,
Thebanam moriens sanguine tinxit humum.
Haud aliter Phaëthon, summo dum pronus Olympo
Decidit, Hesperio proluit ora Pado.
Ille ego sum subito cœli percussus ab imbre:
Ille Jovis rapido fulmine tactus, ego.
O nimium crudelis amor! sic ludis amantes
Scilicet! hæc nobis spicula figis, Amor!
At vos, o Musæ, nostri solamen amoris,
Ferte salutiferam, namque potestis, opem.
Vos eritis fractæ tutum navale carinæ:
Vos eritis misero, ceu prius, ara mihi.
Vos me Castalio fovistis sæpe sub antro,
Mens oppressa suis cum foret ægra malis.
Vos ego nunc, vos Aoniæ telluris alumnæ,
Montibus è vestris in mea tecta voco.
Currite io celeres; animumque doloribus ægrum
Pascite Pieriis, & recreate, modis.
Jam mihi cunctarum subeunt fastidia rerum:
Nulla vacat gemitu nox mihi, nulla dies.
Lenta, neque adsueto procedere tempora passu,
Nec Phœbi volucres ire videntur equi.

Et vitæ piget, & lucis; pulcherrimus ille
    Jam mihi Sol oneri est, sumque oneri ipse mihi.
Sola mihi Musæ solamina. vos mea, Musæ,
    Tædia Phœbeæ fallitis arte lyræ.
Vos modo festinate citæ: vos corde dolorem
    Pellite: vos animo vellite tela meo.
Vellite, Castalides: omnes ita pectore curæ,
    Invisusque meo pectore cedat amor,
Non medicaminibus, non expugnabilis herbis
    Ille, Machaonia nec relevandus ope.
Auctor opis medicæ, captus Peneïde, nullum
    Auxilium Clarius sensit ab arte Deus.
A vobis medicina, Deæ, non inde, petenda est:
    Certius auxilium, quam dedit ille, datis.
Vos Veneris flammis, cæcoque resistitis igni:
    Virginitas vobis, castaque plectra placent.
Quid sit amor, nescitis adhuc, &, qui domat orbem,
    Nil in vos potuit juris habere Puer.
Vos animum studiis intenditis. omnis agendo
    Vincitur, & sensim corde fugatur, amor.
Nam duo cum pariter comprendere nescit, amoris
    Immemor est, vobis qui studiisque vacat.
En ego, Pierides, vobis vaco. vos mihi mentem
    Intentam usque suo ne finite esse malo.
Vos mihi me procul Aonios subducite in hortos:
    Quo me decipiam vos date, quodque canam:
Quod nec Mavortis studium, studiumve Dianæ,
    Nec fora, nec leges, culta nec arva dabunt.
Non hinc auxilium desidero. vos ego solas
    Invoco. vos votis annuite, oro, meis!
A teneris ego vos dilexi semper: eadem
    Vos ego, dum supero, mente fideque colam.
Et plures, una pro virgine, vos ego amabo,
    Gloria fæminei, virgineique chori.

Ut

Ut jam dura meos Amaryllis negligat ignes,
At, vobis potero si placuisse, bene est.
Hoc ego amore tuos, Amarylli, ulciscar amores;
Materiam flammis concipiamque novis.
Hic illo longè potior: castusque piusque
Hic amor: hic mentis, corporis ille fuit.
Hic illo tantò præclarior, enthea quantò
Corpore mens major nobiliorque suo est.
Vos modò, Pegasides, parili vos igne calete;
Et sit mutuus hic, & diuturnus amor:
Utque meas sprevit flammas Amaryllis, amori
Este magis faciles, quam fuit illa, meo.

IN NYMPHAM

Quæ Bruxellis in Nemore visitur.

ELEG XI.

NYmpha, decus nemoris, quo Bruxellana superbit
Aula, decus Grudii famaque magna soli:
Nympha, caput musco, levibusque abscondita tophis,
Ad gelidum fontem lenè sonantis aquæ:
Seu Dryadum, seu tu Nympharum diceris una;
Seu tu Pierii diceris una chori:
Seu tu, fatidicas inter memoranda puellas,
Explanas foliis abdita fata tuis:
Quis te, diva potens hujus nemorisque locique,
Marmore de niveo nobile fecit opus?
Num te Praxiteles, num te Lysippus in ista
Sopiit undosa composuitque domo?
Qualiscunque fuit, certe fuit optima, vitam
Quae tribuit lapidi dextra, Puella, tibi.

At, nisi decipior, non es lapis: ipsa videntur
Ora loqui; mutus sed premit ora sopor:
Hunc tibi seu curæ vigiles, seu roscidus imber
Ponè susurrantis conciliavit aquæ.
En strepitus tenet unda suos, ne murmure rauco
Abrumpat somnos, dum cadit illa, tuos.
At tu luminibus segnem, precor, excute somnum,
Jam puto quod videas, quodque loquaris, erit.
Quid renuis; formamque tuam formosa videndam
Nympha peregrinis hospitibusque negas?
Ecce peregrinis hospes tibi sistor ab oris;
Quæque pedem sistat caussa, nec una, subest.
Et mihi vernantes sunt oblectamina silvæ;
Et mihi fontanæ cura perennis aquæ:
Et mihi grata quies, placidusque in gramine somnus,
Invitat somnos qua vetus umbra leves:
Me quoque discendi, te qui tenet, incitat ardor;
Musarum dulcis me quoque torret amor:
Quique dedit casus tibi pandere posse futuros,
Fatidicus loquitur Delius ore meo.
Adsis ô, vatemque tuum complectere vates;
Dumque cano, numeris annue, Diva, meis.
Me cantare tuas juvat, ô pulcherrima, laudes;
Nympha nec Aoniis dignior ulla modis.
Ardescunt agitata tuo præcordia Phœbo:
Iste loci genius me rapit, iste tuus.
Tu Bruxellanas inter celeberrima Nymphas,
Sit licet hæc multis ora celebris aquis.
Tu nemore in medio, nemoris vetus hospita blandi,
Marmoreo recubas, marmorea ipsa, toro.
In latus erigeris lævum: fert dextra libellum,
Supposita est collo nempe sinistra tuo.
Frondibus obducto sopita recumbis in antro,
Tecum sopitas, candida, propter aquas.

Unda suo nunc fonte latet, nunc currere jussa
Roscida de latebris prosilit unda suis.
Te multæ circum capreæ, cervique vagantur:
Proveniunt udo gramina multa solo.
At chorus alituum, motis per inania pennis,
Argutum facili concinit ore melos.
Cantat avis: frondes mirata cacuminat arbos,
Et docili blandos imbibit aure modos.
Excipit hos ipsos, volucresque imitata canoras
Aura refert tenui per nemus omne sono.
Dulce nemus, nemorisque sacri custodia virgo;
Quæque sub hoc latitas marmore, dulcis aqua;
Ora fave dilecta, fave pulcherrima tellus,
Et fortunato sis mihi pressa pede.
O quantam Ausoniæ speciem telluris habetis,
Ausoniæ quamvis hinc procul absit humus!
Jam Tiburtinos videor mihi cernere colles;
Cernere jam colles, Tuscula terra, tuos:
Et gelidos fontes, superimpendentiaque antra,
Nympharum virides Naïadumque domos.
Sic nemoris densa recubat Tiburnus in umbra:
In Vaticano sic Cleopatra jugo.
Dormit, & æternos exhalat pectore somnos
Illa Paratonii Diva superba soli.
Digna Dea facies, & qualem Cæsar amabat:
Pristinus in molli pectore spirat amor.
Viva foret, clausis nisi dormitaret ocellis:
Si non tota foret saxea, viva foret.
Viva tamen sic est: sed vitam exosa, diemque;
Qualis, cum leto jam premeretur, erat.
En venis avidum regalibus applicat anguem,
Imponitque suo se moribunda toro:
Tarpejumque Jovem spectans, urbemque Quirini
Conjugii pretium plorat inulta sui.

Plorat, & ex isto vivæ quæ pumice guttæ
    Prosiliunt, lacrymæ sunt, Cleopatra, tuæ.
Tu quoque, quæ Phariæ, Paphiæque, simillima divæ,
    Vincta levi somno, fessa labore, jaces:
Dormi.agedum, formosa; agedum, pulcherrima, dormi;
    Nec turbent somnum somnia vana tuum.
Me quoque muscosum, si fas, admitte sub antrum,
    Quaque jaces, liceat, Nympha, jacere mihi.
Non tibi prætulerim, juvenem, quæ stringit amatum
    In Latmi aëriis, æthere Lapsa, jugis.
Noster erit somno somnus jucundior illo;
    Mollior hoc longè nostra futura quies.
Pro Latmi rigidis tua sunt mihi gramina saxis:
    Pro nivibus, lymphae, pulchra puella, tuæ.
Currite iö lymphæ, lenemque inducite somnum
    Luminibus Dominæ, luminibusque meis.
Currite iö vitreæ, saxisque erumpite, lymphæ,
    Et gelido nostram rore levate sitim.
Vos eritis pura mihi Virgine purior unda,
    Vos mihi Castalia purior humor aqua.
Fallor, an agnosco labentis murmura lymphæ?
    Fallor, an his ipsis ora rigantur aquis?
Pegaseum certe præstat liquor iste liquorem,
    Perque meas venas Castalis unda fluit.
Lumina clauduntur certe mea, cumque soluta
    Per somnum Domina me quoque somnus habet.
Somne veni, sensimque oculis illabere nostris;
    Aut oculos Nymphæ desere, somne, meæ.
Dormitare juvat me, dormitante puella:
    Evigilante illa, me vigilare juvat.
Jam, reor, evigilat. quæ sensi murmura, Nymphæ
    Sunt dormitantis; non, salientis aquæ.
Vera loquor: magis atque magis sese erigit illa:
    Formosum roseo jam videt ore diem.

DE

DE
JOHANNE SECUNDO.

Cum Mss. ejus Poëmata dono mihi dedisset

CORNELIUS GORIUS.

ELEG. XII.

SAlve melliflui dulcissima Musa Secundi,
  Et vos Pieria verba notata manu.
Vosne suo finxit calamo, digitisque politis
  Janus, Apollinei gloria prima chori?
Hæcne illa est, hæc est totum celebrata per orbem
  Julia, carminibus clara, Secunde, tuis?
Hæc illa est, tibi quæ cupido, cupida ipsa, Neæra
  Mille dabat quondam basia, mille modis?
Agnosco nigrosque oculos, nigrosque capillos,
  Tinctaque Cecropio labra tenella favo.
Spirat adhuc veteres & ventilat utraque flammas,
  Quoque prius Vates, ardet ab igne liber.
Care liber, nostros tandem visure penates,
  O desideriis usque cupite meis!
Care liber, primaque mihi dilecte juventa,
  Trite mea toties, jamque terende, manu;
Huc ades, ô facunde liber, dominumque priorem
  Permuta domino, culte Secunde, novo.

 Ille

Ille quidem laribus te ſedulus abdidit imis,
Ne tibi cum blattis res tineiſque foret.
Ille mihi munus veteri te donat amico.
Illius fueras qui modo, noſter eris.
Nec te pœniteat noſtros intrare penates.
Sæpe etiam exiguas Di ſubiere caſas.
Parva quidem domus eſt, quæ nunc tua, Jane, futura
Sed tamen à ſacris non aliena tuis. (eſt,
Ille ego ſum, quem Caſtalium nutrivit ad amnem,
Edocuitque ſuum Muſa Latina melos:
Ille ego ſum, Batavus Batavo de ſanguine vates,
Quæque tibi patria eſt, patria terra mihi eſt:
Ille ego, quem ſocium, quem tu dicturus amicum,
Vivere mî tecum ſi licuiſſet, eras.
Nunc, quoniam ſæclo disjungimur, ipſa favilla
Sentiat officium, ſi ſapit illa, meum.
Tu modo, Care, veni, (neque enim veniſſe pigebit)
Nec dubita noſtræ tecta ſubire domus.
Hic ego te, Muſamque tuam, Geniumque Secundi,
Placabo numeris per ſtata ſacra meis:
Ingeniumque tuum, quo nil præclarius uſquam eſt,
Aſſidua pro te relligione colam.
Plaudet ab Idalio Cythereïa vertice mater,
Depoſito niveus cuſpide plaudet Amor.
Ergo ego te teneo, pharetrati cultor Amoris,
Inque mea poſthac excipiere domo?
Ergo ego conſpicio doctorum clara virorum
Nomina, & inſignes carminis arte manus?
Hos Marius verſus, hoc ſcripſit Grudius: iſta
Vatis amatoris littera ducta manu eſt.
Ut juvat, inſanos Juvenis ſpectare calores,
Inque Cupidineum ſpicula miſſa jecur!
Heu quali miſerum torret face Julia vatem,
Enceladum impoſito torret ut Ætna jugo.

Illius è tremulis ignem primum hausit ocellis
  Et rudis & nullo tactus amore puer.
Illius impressit teneris sua labra labellis:
  Illius è collo dulce pependit onus.
Nec minus, Idalio mentem percussus ab œstro,
  Arsit in amplexus, pulchra Neæra, tuos.
Blanda Neæra, Neæra mei fax altera vatis,
  O longa Hesperii fama, Neæra, soli.
Dic mihi, pulchra Neæra, tuis quam crebra labellis
  Fixerit è gelidis basia nata rosis.
Cecropium, Siculumque, tuo mel haurit ab ore;
  Immortale haurit nectar ab ore tuo:
In tua nexilibus prorumpit colla lacertis;
  In tua prorumpit labra, tuasque genas:
Nec sibi præ colloque tuo, labrisque, genisque,
  Optarit Superas, dia Neæra, domos.
Talia sperarit Veneri dare basia Mavors:
  Talia det Ledæ Juppiter ipse suæ.
O quoties, dominæ figit dum basia Vates,
  Hæsit, & in medio constitit amne, Tagus!
O quoties, viridis projectus margine ripæ,
  Hospitis æthereos imbibit aure modos!
At tu, quæ versus nomen sortita per illos,
  Tuque tui vatis, Julia, primus amor;
Vivite victuris nullo non tempore chartis,
  Altaque formosum tollite ad astra caput.
Vos super antiquas extollet fama puellas:
  Quin palmam vobis ipsa Corinna dabit:
Deliaque, & Nemesis, sæclisque legenda futuris
  Carmine Callimachi Cynthia nota sui.
Cynthia Callimachi numeris celebrabitur Umbri:
  Vos Jani teneris, vestraque forma, modis.
Ille dedit formæ vobis decus; ille perenne,
  Parque sibi, vobis nomen habere dabit.

Nulla dies vatem poterit delere Secundum:
  Hanc vobis formam perdere, nulla dies.
Ardebunt paſſim juvenes, iſtamque figuram
  Nunc quoque qui pereat, multus amator erit.
Ipſe ego, cui nullis cor expugnabile telis,
  Concipio flammas, incaleoque, novas.
Improba luminibus torres me, Julia, pætis;
  Torres me nigris, pulchra Neæra, comis.
O ego quam cupio veſtro dare brachia collo!
  Quam cupio veſtris oſcula ferre genis!
Parcite formoſæ, formoſæ parcite Nymphæ,
  Baſiolum labris & date dulce meis.
Exiguum date baſiolum, ſolamen amanti.
  Sic vincant teneras veſtra labella roſas.
Sic ego, quod veſtro vix contigit ante Poëtae,
  Adſcribar Supero, Divus & ipſe, choro.



PETRI

PETRI FRANCII ELEGIARUM

LIBER QUARTUS.

MANIBUS

Optimi Principis

FERDINANDI

Paderbornensis ac Monasteriensis

EPISCOPI.

ELEG. I.



OCcubuit Ferdinandus. decus omne capillis
Excutit, & passis mœret Apollo comis.
Pierides sibi surreptum lacrymantur alumnum,
Mœstaque de bifido carmina colle canunt.
Amittit veterem Parnasia laurus honorem.
Vertitur in lacrymas alitis humor equi.
Funde tuo largos, Helicon, de vertice rores:
Est dignus lacrymis nemo, vel ille, tuis.
Non sic ante Linum genitor deflevit Apollo:
Non sic progeniem Calliopea suam.
Iste dolor Thracas, dolor iste tenebat Achivos:
Hic populos omnes, qua patet orbis, habet.

Ec-

Ecce procul luget Tiberinus, & aequor in altum
  Volvit turbatæ fletibus agmen aquæ.
Multa cadit Ligeri, vicino multa Garumnæ,
  Multa cadit Rhodano lacryma, multa Mosæ.
Flebile Danubius mugit, Rhenusque, Visurgisque;
  Amisius rauca flebile mugit aqua.
Amisius, quo non fluviorum tristior alter,
  Horrendo Angariam murmure complet humum.
Assonat Angariæ plangoribus, assonat, Echo.
  Mœsta per Hercynium volvitur aura nemus.
At Padera, ille prius puris argenteus undis,
  Cœnoso nitidum mergit in amne caput.
Suspirat parvusque Padus, suspirat Aliso;
  Fernandum vidua Luppia luget aqua.
Luget Neuhusii domus ardua, tectaque circum
  Edunt insani murmura crebra Noti.
Exhalat longos gemitus è vallibus imis
  Urbs Paderæ, lacrymis obruiturque suis.
Ille tuus Padeborna, tuus Mimigarda sacerdos
  Occidit, Angarii Rector amorque soli.
Occidit ille decus Phœbi, Phœbique sororum,
  Ille Aganippæi gloria prima jugi.
Ille suis rigidas deduxit montibus ornos,
  Ille truces dulci molliit ore feras.
Illius ad numeros venti siluere furentes,
  Et fluvii cursus sustinuere suos.
Hunc vexisset Arionius super æquora delphin:
  Hunc cum Vate suo saxa secuta forent.
Quid tamen ah prodest, vel Arionis ora, vel Orphêi,
  Aut Amphioniæ vincere fila lyræ?
Quid juvat, antiquos post terga relinquere vates,
  Et Phœbum numeris æquiparare suis?
Num minus abrumpit vatum quoque stamina Clotho?
  Num minus & morti debita præda sumus?

Ecce

Ecce Poëtarum princeps, princepſque Regentum,
Lux & honos noſtri temporis, ecce jacet.
Nullam illi Muſæ, nullam illi carminis auctor,
Nullam auctor medicæ contulit artis opem.
Non humor Paderæ gelidus, Padulive ſalubris,
Auxilium Domino præſtitit unda ſuo.
Nil undæ, nil herba, nihil medicamina poſſunt.
Nullus adeſt, aliqua qui levet arte malum.
Omnia vis morbi ſuperat. lenire dolorem,
Ferdinande, tuum dextera nulla poteſt.
Tu tamen hoc quodcunque mali eſt, ferrumque, necemque
Spernis, & invicto pectore fata ſubis.
Ergo erat in fatis, poſt paſſos mille dolores
Hæc quoque, quæ fuerant non patienda, pati?
Ergone ſic & nos, pater optime, votaque noſtra
Deſeris? Heu Clario fata ſiniſtra choro!
Quis nunc excipiet manibus mea carmina blandis?
Quis mea non dura carmina fronte leget?
Quis me, quis verbis nunc invitabit amicis
Ad Paderæ Fontes, Neuhuſiamque domum?
Hei mihi! nec Paderam, nec te Fernande, videbo
Amplius. incœptum mors tua rupit iter.
Crudeles Superi, qui ſtamina rumpitis, illi
Quæ bene debuerant longa, nec atra, dari.
Tu quoque crudeliſque nimis, Fernande, nimiſque
In mortem, Princeps, ingenioſe tuam.
Hanc tibi, ſi neſcis, curarum turba tuarum;
Imperio vigiles hanc peperere dies:
Hanc tuus iſte labor, ſtudiorumque improbus ardor,
Nec niſi ſub lucem juſſa lucerna mori:
Hanc tibi Pierides, ævum tibi culta per omne
Numina, cultori non ſatis æqua ſuo.
At ſi forte brevis tribuit tibi tempora vitæ
Muſa, dabit famæ tempora longa tuæ.

Si

Si qua fides, terras ibit tua fama per omnes:
Delebunt nomen sæcula nulla tuum.
Quique futurus erit perituro terminus orbi,
Olim erit & vitæ terminus iste tuæ.
Interea Musamque tuam, benefactaque crebra
Dicemus mœstis, dum licet usque, modis:
Quaque jaces, violis terram spargemus odoris;
Spargemus sacrum lacte meroque locum.
Addet & hoc aliquis: Musæ, Charitesque, Pudorque,
Hac, qua Fernandus, contumulantur humo.
Quando autem, Fernande, choro decus addite sancto,
Quando tibi similem postera sæcla dabunt?
Hei mihi! divinis qui te virtutibus æquet,
Nulla tulere virum tempora, nulla ferent.
At sperare licet. certe speramus. id unum
Solamen nostro fata dedere malo.

AD BIBLIOTHECAM SOMERIANAM.

Cum

BERNARDUS SOMERUS,

vir doctus & pius, fato concessisset.

ELEG. II.

Librorum numerosa cohors, pretiosa supellex,
Delicium Domini nuper amorque tui,
Ut te conspicio invitus, volvoque teroque
Hoc ipso, toties quo stetit Ille, loco!
Ut mox huc illuc spargenda, locoque movenda es,
Proque uno dominos mille habitura novos!

Ut

Tot ſpecioſa voluminibus modo, tamque politis,
Nusquam eris in tota, nusquam ut & Ille, domo.
Quid ſumus infelix homines genus? hei mihi, quale,
Quam fragile ac fallax, quam breve vita bonum eſt!
Scribimus, & vitam ſcribendo impendimus omnem:
Mors rapit injecta noſtraque nosque manu.
At virtute breves Somerus porrigit annos,
Vivit & ingenii per monumenta ſui.
O utinam nobis ea tu Bernarde dediſſes,
Eſſet & ingenii pars ſuper ulla tui!
O utinam in ſcriptis eadem probitasque fidesque,
In vultu & vivi quæ fuit ore, foret!
Ulteriusque frui fatum ſiviſſet acerbum
Nos te, te libris, docte Somere, tuis!
Quid loquor imprudens! ſilet, ah ſilet, ille diſertus,
Exarat æternas nec manus iſta notas:
Nec dulces Flacci numeros, nec flebile carmen
Concinit imparibus Muſa benigna modis.
Nil tamen egiſti, Mors invida: tuque, Somere,
Morte vel invita, non moriturus obis.
Fama tui ſupereſt, longumque legentur in ævum
Divitis ingenii fragmina pulchra tui.
Amſtela te ſeris narrare nepotibus olim
Geſtiet, & manibus tollet ad aſtra ſuis.
Usque tui memores dicent tua nomina cives,
Ibis & heroum crebra per ora virum.
Tu quoque, Care, meo ſemper memoraberis ore,
Inque meo ſculptum pectore nomen eris.
Denique, quam vitam mea dant mihi carmina, ſi qua
Vita futura mihi eſt, vita futura tibi eſt.

JACOBO GOYERO,

Hortorum & Florum amatori maximo,

Immatura nimis morte è vita surrepto.

ELEG. III.

DIlectus Phœbo, Musis dilectus Achivis
  Goyerus, bifido gloria magna jugo,
Quo non excoluit pictos studiosior hortos
  Alter, honos campis & decus ille suis,
Ecce jacet, plantæque instar, florisque caduci,
  Interit, immiti quem secat ungue manus.
O duras nimium leges, & nescia flecti
  Parcarum humana stamina nigra prece!
Siccine destituis caros, Goyere, sodales?
  Siccine nostra simul mœnia, nosque fugis?
Mene fugis? Sic tu nunquam rediturus abisti,
  Lumine nec posthac conspiciere meo?
Quo fugis, ô vitæque brevis, vitæque fugacis,
  Et nimium similis floribus ipse tuis,
Flos juvenum, flos Aoniæ pretiose catervæ,
  In medio vitæ flore perempte tuæ?
Quid sumus? Hiberno demessi frigore flores
  Sub tempus redeunt Vernum, iterumque virent:
Nos, aliquid majus qui floribus, æthere cassi
  Longa sub ignava sæcla jacemus humo.
Quid loquor? ut casso putrefacti semine flores
  Ibimus in vitam busta per ipsa novam.
Interea quando Fati sic fœdere cautum,
  Nec nobis alia vivere lege datum est,

Ere-

Ereptum docti socium lugete, sodales,
Mœstaque non siccis fundite verba genis.
Et vos, vicino domui quos sevit in horto,
Dum vixit, manibus, dum licuitque, suis;
Extincti, Flores, tumulum decorate Parentis,
Et date quæ Domini munera poscit amor.
Ite precor, Flores, Dominus jubet, ite frequentes,
Æternoque sacrum cingite Vere locum.

In Nuptias

JOHANNIS TRIPPII
&
MARGARETÆ CÆCILIÆ NYSIÆ.

ELEG. IV.

INdue Daphnæo, Trippi, caput indue ramo;
Succubuit precibus Nysia victa tuis:
Nysia, spes cupidæ desideriumque juventæ,
Nysia, fœminei gloria magna chori.
Quæ generis fuerat vinclo tibi juncta propinquo,
Jungere se vinclo proximiore cupit.
Quæ modò Cognatum, jam te compellat Amantem.
Dulcius hoc illo nomen in aure sonat.
Senserat hos ipsos, furtimque notaverat, ignes,
Et penna volucer plausit utraque Puer.
Pone metum, Juvenis, non sum rerum inscius, inquit.
Quam nunc Affinem diligis, Uxor erit.
Eveniunt. Gaudent pariter Genetrixque Paterque,
Hæc Sponsi Genetrix, Virginis Ille Pater:

Et

Et qui nunc noſtram moderatur Avunculus urbem;
Et qui ſancta tuo jura dat, Haga, Foro.
Fallor? an & rupto conatur ſurgere buſto,
Iſtaque compoſitus gaudia ſentit Avus?
Gratantur læti Juvenes, lætæque Puellæ,
Quodque vovet, tacito pars vovet ore ſibi.
Fortunati ambo, quos una eademque voluntas,
Et propior nexus, quam prior ille, ligat!
Vivite felices, thalamoque, ut ſanguine, juncti
Edite Patricio germina digna toro.

In Nuptias
CASPARIS BRANTII
&
AGATHÆ PAATSIÆ.
ELEG. V.

PRogenies patris Aonii, patri æmule, Branti;
Inclyte Barlæi, nec neget ipſe, Nepos:
Succeſſor Muſæ Patriæ, ſucceſſor Avitæ,
Nec ſolo referens nomine, Caſpar, Avum:
Jam nova, Sponſe, tibi, jam tertia ducitur uxor.
Ultima fortunæ ſit comes illa tuæ.
Lugebas ſociamque tori, vacuumque cubile,
Inque tuo longus pectore mœror erat.
Inſomnem in tenebris noctem curisque trahebas,
Viſus & eſt ſolito tardius ire dies.
Plurima volvebas patria ſuſpiria ripa;
Creſcebat lacrymis fluminis unda tuis.

Senſit, & indoluit, tanti medicina doloris,
  Paetſia, opemque feram, dixit, opemque tulit.
Gaude, ſponſe, tua eſt victoria: cedit amanti,
  Et, patitur, quod tu, jam tua, vulnus idem.
Vulnere læſa pari, parili tabeſcit amore
  Victa tuis precibus Paetſia, victa modis.
Molliet hæc luctus abſtergebitque priores,
  Solamen vidui dulce futura tori.
Indolis eximiæ Virgo, linguæque diſertæ,
  Quod canis, illa leget; quod legat illa, canes.
Illa tibi gremiumque ſuum pectusque recludet,
  Teque ſuo penitus corde fovebit amans.
Illa tibi læto tantum lætique bonique,
  Quantum promittit nomine, plusque, dabit.
Firmet id augurium, qui vincla jugalia primus
  Nexuit, & ſolum noluit eſſe virum.

IN

VILLAM MARSEVENIAM,

GULDESTEIN DICTAM.

ELEG. VI.

GRamineo præterlabentis margine Vechtæ
  Villa jacet. nullo ſuavior aura loco.
Grata vireſcentes præbent umbracula rami,
  Seu pede, ſeu rheda, ſeu rate carpis iter.
Fluminis innumeræ ludunt in margine Nymphæ;
  Plurima per medias cymba vagatur aquas.
Lenè ſonant Zephyri, purumque per aëra docto
  Concinit Iſmarium gutture mater Ityn.

O molles ventorum animæ, cantusque volucrum!
O nemus, o frondes, vivaque semper aqua!
O dulce hospitium Nymphis! o dulce Camœnis!
O Marsevenio consule digna domus!
Hic requiem positis sectatur, & otia, curis;
Hic serit, hic cultam lustrat, & ornat, humum;
Aut aliquid solo secum meditatur in horto,
Ruraque deserta rusticus urbe colit.
Villa beata, trahis fulvo quæ nomen ab auro,
Idque, quod es, merito diceris esse tuo;
Aurea, & Hesperidum pomis pretiosior aureis,
Arbore, non pomis aurea, Villa, tuis;
Aurea villa, tuo domino quæ sæcula reddis
Aurea, jucundos & facis ire dies;
Cresce per innumeros annos, & pulchrior usque
Sidera frondosis lambe superba comis;
Cumque tuo Domino, Domini cum compare cara,
Et quæcunque isto pignora nata toro,
Vive diu, longumque tua defende sub umbra,
Ista tibi per quam sunt bona nata, domum;
Utque alias vincis forma, sic vince senecta,
Et fias Domini, non nisi tarda, novi.

JOHANNI HUDDE,
Consuli Amstelodamensi,
Defæcato per Urbem Amstela.

ELEG. VII.

HActenus Amsteliam, lymphis stagnantibus, urbem
Halitus æstivæ dedecorabat aquæ.
O quoties mœstæ fleverunt gurgite Nymphæ,
Oraque cœnoso mersit in amne Pater!
O quo-

O quoties noſtram veniens peregrinus in urbem,
Quam pulchræ, dixit, quam gravis urbis odor!
Senſit, & indoluit, populoque feramus, & urbi,
Huddæus, medicam, qua licet, inquit, opem.
Cœleſte extemplo ingenium, ſeque excutit omnem
Ille Syracoſio proximus arte ſeni.
Pluribus aggeribus per aquam, foſſiſque, moliſque,
Immiſſam undam alia datque adimitque via.
Gratia magna tibi, Conſul, tibi gratia ſoli,
Munus & inventum res ea namque tuum eſt.
O decus, ô terræ columen tutelaque noſtræ!
O vir, non ipſa, quam regis, urbe minor!
Attoniti plaudunt omnes, civeſque, Patreſque:
Lætus & è mediis Amſtela plaudit aquis.
Conſulis officium eſt, quod præſtas, inclyte Conſul!
Dignius haud aliud, nec, puto, majus erat.
Vitam etenim tribuiſſe ſuis, tribuiſſe ſalutem,
Id demum patriæ conſuluiſſe ſuæ eſt.
Reddidit incolumes tua nos prudentia cives:
Sanos purgatis ars tua reddit aquis.
At vos formoſæ per humum decurrite lymphæ,
Currite conſpicuæ, currite ſemper, aquæ:
Quaque per Amſteliam fluitis ſine ſordibus urbem,
Omni laudandum voce ſonate Virum:
Utque decet memores, veſtri benefacta Parentis
Dicite luſtratæ, dicite ſemper, aquæ.



HENRICO HOOFDIO FISCALI,

Cum

Satrapa Mudensis & Goeylandiæ Ballivus Creatus esset.

ELEG. VIII.

AEmulus Historicis antiquis, æmulus idem
 Vatibus, eloquio scriptor utroque potens,
Dum Mudam imperio, vicinaque temperat arva,
 Hoofdius, in pretio carmen, ut auctor, erat.
Arx Pindus, Pindi numen fuit Hoofdius, ingens
 Gloria Pierii præsidiumque chori.
Culmen ad Aonium, Bataviqua oracula Phœbi,
 Ibat Apollineis excita turba modis.
Commune hospitium Musis, commune Poëtis,
 Hoc erat, & nulli non adaperta domus.
Optavi quoties, epulis accumbere Divum,
 Et vesci Ambrosia, Phœbe Batave, tua!
Optavi quoties, isto me tempore natum;
 Aut Mudæ similem nunc dare jura virum!
Successit voti pars altera: redditus urbi
 Hoofdius; Aonio redditus, ecce, choro.
Sanguinis ejusdem consors, studiique, locique,
 Mente colit Clarias, qua prius ille, Deas:
Et re proximior, quam nomine, plurima vatum
 Scripta terit gnava sedulus usque manu.

Auso-

Ausoniæ fidicen citharæ, Nasoque, Maroque,
  Assidui comites, colloquiumque, Viro.
Hos legit, hos cantat; densaque sub arboris umbra
  Romula Mudanæ verba docentur aves.
Interea muris, Hoofdi, laribusque propinquis
  Migrabunt docti sub tua tecta viri:
Utque prius, longo venient examine vates,
  Atque aliquid Musis, & tibi, dulce canent.
Quod si forte meum non adspernabere nomen,
  Pars ego Pieriæ parva cohortis ero:
Lustraboque sacros admiraborque recessus,
  Quicquid & antiqui continet iste locus.
Tu vero, sate Consulibus, sate vatibus, Hoofdi,
  Aurea quo rursum sæcla regente fluent,
Justitia hanc terram multa recturus, ut olim
  Hoofdius, imperii fræna capesse tui.
Illius exemplo da civibus otia lætis,
  Et sis Mudano, quod fuit ille, solo:
Illius imperio populum moderare volentem;
  Quod voveat populis nil, puto, majus habet:
Utque diu fuerat terris super ille regendis,
  Hac quoque tu clarum parte imitare virum;
Quemque tibi Princeps nuper largitus honorem est,
  Sit proprius Domino perpetuusque suo;
Longævamque tibi vitam, viridemque senectam,
  Quod Rex non potuit, donet habere Deus.



GODARDO,

BARONI DE REEDE, ATHLONÆ COMITI, DOMINO in GINKEL &c. &c. Hiberniæ Pacatori.

ELEG. IX.

BEllica non omnis Batavorum emortua virtus,
Nec tantum pelago gens metuenda ſumus.
Excitat antiquum, revocatque in pectora, Martem,
Reddit & invictos Rex Gulielmus Avos.
Ducit in adverſos agmen Ginkelius hoſtes,
Ille fide Regi proximus, ille manu.
Nobilis ille quidem eſt, & origine clarus; at armis
Clarior, & factis pulchrior ipſe ſuis.
Multa Viri titulos virtus ſuperavit avitos,
Linquit & illuſtrem poſt ſua terga domum.
Non neget hoc Genitor: nec tu, gens Redia, majus,
Magna licet numeres nomina, nomen habes.
Oſſa Viri teſtor, propriis qui maximus actis,
Hoc uno minor eſt, hoc minor eſſe cupit.
Nondum perdomitam qui debellaret Iërnen,
Juſto qui Domino redderet, ille fuit.
Ille fuit, belli ſummam cui credidit uni,
Grandius in toto quo viget orbe nihil.
Ibat atrox animi, rebusque ſuperbus opimis
Gallus in Hyberno moverat arma ſolo.
Una reſiſtebat Regalibus Inſula votis,
Freta peregrino milite, freta ſuo.

Non

Non tulit hos ultra Ginkelius, arvaque & urbes
  Restituit Regno, Rex Gulielme, Tuo.
Fit via vi: superantur aquæ, superantur & hostes.
  Pars fugit: externum pars premit ore solum.
Arma cadunt; ponitque minas Limerica; suique
  Regis ad obsequium jussa redire, redit.
Plaudite Victori, Victori plaudite, Gentes:
  Invisam belli sustulit ille moram.
Terra Tua est, Auguste; Tua est, qua cingitur undis,
  Insula, nec quidquam, quod superetur, habet.
Deserit assertas armis victricibus oras,
  Perque manus vehitur Victor, & ora, virûm:
Jamque triumphali Londini mœnia curru,
  Structaque de niveo marmore templa subit.
Excipit augusta Regum fortissimus aula
  Tutelam Regni, præsidiumque, sui;
Invictumque virum Regalibus implicat ulnis,
  Atque ait: O claræ spes manifesta domus;
Te duce parta mihi victoria, parta Britannis,
  Omnis & imperii pars mihi salva mei.
Macte animo, generose; meis jam vince Batavis,
  Et lauros istis frondibus adde novas.
Patria te reducem, te Trajectina reposcunt
  Mœnia; te tellus Belgica, Marsque vocat.
I decus, î, nostrum; nec te Brumalia tardent
  Flamina: te pelago, res mihi crede tuas.
Dixerat: Assensit Populus, titulisque coronat
  Grandibus Indigetem, muneribusque, Ducem.
Et Regi, & populo grates agit ille Britanno,
  Quodque fui, dixit, Rex, Tibi, semper ero.
Continuo Regemque simul, Regnumque relinquit,
  Et Batavûm victis litora tangit aquis.
Trajecti Turris, vicinaque machina cœlo,
  Altius aërium tolle sub astra caput:

Et vos, tecta, viro certatim assurgite magno,
Civis in occursum civis & omnis eat.
Audior: erumpunt alacres, urbisque vagantur
Per loca, lætitiam non capiente domo.
Ipsa triumphali Trajectum assurgit Alumno;
Tradit & invicto seque suosque Duci.
Porrige victricem dextram, fortissime vindex,
Et Tibi commissi suscipe fræna soli.
Te sibi Trajectum, Te Trajectina Regentem
Jugera, Te Populus, Te cupit omnis Eques.
Utraque Te cupit Aula: vacat Patrisque Tuusque,
Jam dudum fuerat qui Tuus, ecce locus.
Iste locus Tuus est, quem dat Tibi sanguinis ordo,
Turba frequens Procerum quem dedit ipsa Tibi:
Iste locus Tuus est, qui, ni datus ante fuisset,
Virtutis merito jam Tibi dandus erat.
Accipe promeritum, venit jam tempus, honorem:
Hic Tibi se servat, se Tibi debet, honor.
Inserere Haganis fortissime Patribus Heros,
Et decus hoc titulis, ut Pater, adde Tuis.
Grande decus Procerum, qui tantum, plusque, decoris
Huic dabis illustri, quam capis inde, loco!
Inclyte Gallorum domitor, devictor Iërnes,
Devictor belli, nec minus ipse Tui!
Delicium populi, plebique affabilis imæ,
Et magni, quæ laus maxima, Regis amor!
Regis consilium, Regis manus; optime bello,
Optime consilio; nec, nisi Rege, minor!
O lux, o patriæ tutamen nobile terræ!
O ingens ævi sidus, honosque, Tui!
Temporis ô prisci, per Te redeuntis, imago!
O nulli veterum Marte secunde virûm!
Hic meus est, inquit, Civilis, Belgica tellus;
Hic est Arminius, Teutona terra, meus:
Atque

Atque aliquis Regem laudans, Regisque Ministrum,
Hic Regum est, dicet, maximus; ille, Ducum.

IN FUNERE CHRISTIANI ALBERTI, MARCHIONIS BRANDEBURGICI, PRINCIPIS HALBERSTADIENSIS.

ELEG. X.

OCcidit heu primo vernantis flore juventæ,
Debuerat Pylium qui superare senem.
Egregius forma juvenis, sed pectore longè
Pulchrior, & quævis natus ad alta, jacet.
Ille gubernandis populis, populisque juvandis
Editus; ille, boni Principis instar, obît.
Quid nunc stemma juvat, quid longi stemmatis ordo,
Et tot clarorum nomina magna Ducum?
Quid pietas, quid relligio, sanctéque peracta
Vita, nec à sæcli turbine rapta sui?
Principibus dignas quid se formasse per artes,
Factaque nobilium, mox imitanda, virum?
Nil Proavi, Princeps, prosunt tibi, nil tua virtus
Plurima, nil multa ductus ab arte decor.
Te quoque subvertit, quæ subruit omnia, & ipsis
Regibus, ut nobis, imminet, atra dies.
Non tamen obscuras inglorius ibis ad umbras,
Nec similis vitæ fama futura tuæ est.
Te dolet extinctum Germania; te dolet omnis
Principe te manibus terra regenda tuis.

Te dolet invictum Bremmi genus, optimus ille
  Rector, in exemplum cujus iturus eras.
Quique tibi pietate magis, quàm ſanguine, Frater,
  Tecum obit, & luctum non capit ipſe ſuum.
Te Dankelmanni luget virtusque domusque,
  Totaque Tutoris, qua patet, aula tui:
Et, quo carpebas nuper monitore fideli
  Nobile virtutis, nobile mentis, iter.
Nos quoque, qui vivum ſuſpeximus, hos tibi verſus,
  Has lacrymas, mœſto fundimus ore tibi.
Sed te nec lacrymæ, nec inania munera tangunt
  Noſtra, nec inviſus te dolor ullus habet.
Italia quiddam melius, quò vota ferebant,
  Atque aliquid terra pulchrius, æthra dabit.
Clarius in cœlo regimen Rex ætheris alti,
  Serta parat capiti nec peritura tuo.
Creſcit in imperium Frater Fratrisque ſuumque,
  Et pro Te terras, patriaque arva, reget.
Fratris ad exemplum flectens moderamina Frater,
  Ut facit, in mores ibit, eatque, tuos.
Quod voveam majus nihil eſt. Te ſpectet in illo
  Terra, nec ereptum Te putet eſſe ſibi.
Gaudeat hoc longum Germania, gaudeat orbis,
  Et ſit amor populi, Frater ut ante, ſui.
Magne Deus, noſtræ arbitrium vitæque necisque
  Quem penes, hæc animi ſint rata vota mei.
Da precor huic, illi quod mors invidit, & ævo
  Alterius quantum defuit, alter agat.
Augeat uſque ſuos, & Fratris ſuppleat, annos,
  Quicquid & ætatis non tulit iſte, ferat.
Prorogat hanc ipſam cum fœnore; virque, ſenexque,
  Tempora per Fratris, per ſua, Frater eat.
Ordine Naturæ quae debita, morte negata,
  Illius hic vitam vivat, & ipſe ſuam.

In

ACADEMIAM HALLENSEM

FREDERICIANAM.

ELEG. XI.

QUalis Apollineam Carolus, cognomine Magnus,
In Parisiaca condidit urbe domum:
Qualis Palladium Gulielmus, nomine Primus,
Fundavit ripa, Rhene Batave, tua:
Talis Hyanteam Fredericus consecrat ædem
Tertius, herboso qua jacet Halla solo.
Mœsta Palatinas vix Musa reliquerat arces,
Ensibus & flammis, Galle, fugata tuis:
Cum Princeps, magni genitus de sanguine Brenni,
Sistite, ait, trepidam, turba novena, fugam.
Nos dabimus sedes alias, aliosque recessus,
Mansurosque diu jam parat Halla lares.
Erigit hæc niveo structum de marmore templum,
Ad Salæ virides prætereuntis aquas.
Hic domus, hic fidi vobis certique penates,
Tutaque præsidio tecta futura meo.
Nec vos pœniteat laribus succedere nostris:
Vos mihi cura vetus, vos mihi longus amor.
Testis erit Rheni, testis mihi ripa Viadri,
Pluraque per fines condita templa meos.
Quare agite, & certas hic rursum figite sedes:
Clarior hoc Salæ margine nullus erit.
Ite alacres, ite, Aonides; famamque perennem
Per se jam celebri conciliate loco.

Gra-

Gratius hoſpitium vobis Germania nullum;
Gratius hoſpitium terra nec ulla dabit.
Dixerat hæc Princeps: illæ venere, laremque
Conſtituunt ripæ margine, Sala, tuæ.
Sala pater, magnis nunc accenſende fluentis;
Saxoniæ nullo flumine, Sala, minor:
Tu quoque, tu claros inter memoraberis amnes,
Inclyta Germani fama future ſoli.
Pregela ſubmiſſos tibi ſternit, & Odera, fluctus;
Ipſe, quod invideat jam tibi, Rhenus habet.
Incipe vorticibus jam nunc majoribus ire,
Altaque limoſis cornua tolle vadis.
Sed tamen hæc ſenti, tantumque agnoſce favorem;
Quaque fluis, Domini ſis memor uſque tui;
Et dic, Aonios dum præterlabere muros:
Splendorem hunc noſtris dat Fredericus aquis.
Tu quoque, quam tanto dignatur munere, dignas
Auctori grates muneris, Halla, refer.
Aëria ſis Arce licet, Temploque ſuperba,
Albertus poſuit quod tibi Præſul opus:
Hoc ipſo, ejusdem quod ſanguinis excitat Heros,
Caſtalidum templo nil, puto, majus habes.
Mercibus Aoniis, totumque juvantibus orbem
Artibus, ac ſtudiis clara ferere tuis.
Accurrunt paſſim populi. te docta juventus,
Te ſibi Pegaſides, Phœbus & ipſe, legunt.
Hic nemora, hic gratæ Phœbi cultoribus umbræ,
Quæque per umbroſum labitur unda nemus.
Hic blandi ſoles, & clementiſſimus æther;
Hic flore, hic læto gramine prata virent.
Et merito Muſis ſacer hic, Phœboque dicatus,
Quod ſi non eſſet, debuit eſſe, locus.
Judicat hoc certe Princeps tuus, ille Noveni
Cultor & antiſtes, præſidiumque, chori.

Judi-

Judicat hoc Cæſar, qui pignora certa favoris,
Donaque dat populo, Cæſare digna, tuo.
Quisque favet, quisque inſolitum gratatur honorem,
Et tecum in niveis rite triumphat equis.
Ipſa novis favet auſpiciis, gaudetque renaſci
Gallorum diras urbs modò paſſa manus.
Fallor, an è mediis caput Heidelberga ruinis
Erigit, & læto plaudit ab amne Nicer?
Plaudite nunc amnes Germani, plaudite montes,
Et celebret magnum Teutonis ora diem.
Magna dies oritur, qua non auguſtior ulla
Affulſit populis, Teutoni terra, tuis.
Scilicet hæc illa eſt, quæ fauſtum ſidus Olympo
Detulit, & terris Te, Frederice, dedit.
Salve magne dies, totique ſalutifer orbi,
Verſibus & votis bis celebrande meis.
Salve, magne Parens Patriæ, quo ſurgere juſſa
Auſpice, formoſum nunc levat Halla caput:
Qui, quo te pateat Muſis natum eſſe fovendis,
Natali ſtatuis Muſica templa tuo.
Salve, Muſarum columen, ſalve, optime Princeps,
Tutelare tui Numen, amorque, ſoli.
Tu pacis ſtudiis, Tu bello inſignis & armis,
Nobile militia nomen utraque refers.
Tempore Tu pacis bellum meditaris & arma;
Tu bellum ſtudio pacis, & arma, geris.
Quin & longa nimis cauſſaris tempora belli,
Jamque tuis cuperes ferre tropæa tholis.
Quod cupis, ecce facis; doctiſque ſororibus ædem
Ponis, & Aoniis præmia multa viris.
Vive diu, Princeps, & Tecum Academia; nec vos,
Tam bene conjunctos, dividat ulla dies.
Hinc Tibi verus honor, nec ſparſus cæde triumphus,
Hinc veniet capiti laurea digna Tuo.

Pace alii, bello extincto bellique tumultu,
  Dent Musis aras, templaque, pacis opus:
Armorum strepitu in medio delubra Camœnis
  Erigere; ingenii res, Frederice, Tui est.

IN NATALEM
Augustissimi ac Potentissimi
BRITTANNIARUM REGIS,
GULIELMI,
&c. &c. &c.

ELEG XII.

DIcamus bona verba: renascitur omine læto
  Gloria Cæsaribus Rex Gulielmus Avis.
Candida lux, o luce dies formosior omni!
  Quot bona, quæ gremio commoda nata tuo?
Tu produxisti dias in luminis oras,
  Quo nihil hæc mundi machina majus habet.
Tu sidus populis das tutelare duobus:
  Te noster merito mundus, & iste, colit.
Salve, læta dies, & Tu Sol alme diei
  Illius, Augustas lumine cincte comas.
Hunc Tibi cœlestis dudum spondebat honorem,
  Visus in exortu, Circulus ille, Tuo.
Par Ariadneæ nec concessura Coronae
  Stabat Arausiaco clara corona polo.
Augusto visum splendebat in æthere signum,
  Augurium regni, Rex Gulielme, Tui.
Nempe Tuo capiti nectebant fata coronam:
  Augustus terris nempe futurus eras.

Jamque aliquid magnum primo apparebat in ævo,
  Regius & Pueri fulsit ab ore decor:
Ætatemque supra, tenerisque animosior annis,
  Spirabas Proavos, non minor ipse, Tuos.
Credita res Juveni Batavum Tibi: credita tellus,
  Majorum valida libera facta manu.
Induis arma humeris pro Libertate Batava,
  Sternis & hostiles fulmineo ense globos.
Indolis Heroæ specimen, primusque triumphus,
  Auspicium belli nobile, Narda fuit.
Altera vitiferi collecta crepidine Rheni
  Palma, peregrino Bonna recepta solo.
Accedunt urbes variæ. velocius hostis
  Deserit obsessam, quam modò cepit, humum.
Vindice Te liber Vahalis, Te vindice Mosa,
  Isalaque excusso dividit arva jugo.
Securus virtute Tua terraque marique,
  Ille salum rursus findit, & ille solum.
Ista Tibi debent se commoda: carpimus ista
  Pacis Arausiaca gaudia parta manu.
At quam non propria hæc, quam non sincera voluptas!
  Ecce iterum Batavos Gallus in arma vocat.
Signa canunt; Tu terra hostem, pelagoque retundis:
  Dat pelagus lauros, dat Tibi terra, novas.
Trajicis Oceanum victor quoque, milite multo;
  Perque Caledonias it Tua classis aquas.
Vix adversa premis pede litora, protinus omnis
  Obvia procedit turba, viamque facit:
Imponit Tibi promissam Deus ipse coronam,
  Porrigit & manibus debita sceptra Tuis.
Imperii sceptrum triplicis, quod sæcla negabunt
  Postera, Regali dat Tibi ferre manu.
Dividis hoc cara cum Compare; jamque Britannis,
  Jam Batavis validam fers, bone Ductor, opem.

Signa

Signa animi manifesta Tui, sacrumque cruorem
Vidit, & attonita Boina recessit aqua.
Fracta Tua virtute Tibi se tradit Ierne,
Subdit & imperio colla subacta Tuo.
Nec minus & Batavis vigilat Tua cura tuendis,
Et Pelagi vastas spernis, ut amnis, aquas.
Ipse subis grave Martis onus, durumque laborem;
Et, si quando vocant prælia, primus ades:
Primus inis bellum, postremus deseris, idem
Militis officio functus, itemque Ducis:
Exactorque operum pariter, sociusque laborum,
Quod Tu cunque Tuis præcipis, ipse facis.
Et Tibi cura Tui minor est, quam cura Tuorum;
Quæque geris, patriæ, non Tibi, bella geris.
Pugnaces Tu Germanos in prælia cogis,
Et Tua Cæsareæ signa sequuntur aves.
Te duce, communem Concordia sustinet hostem,
Borboniique Tuo sub pede palma jacet.
Ille quidem pugnam detrectat; Tu tamen illum
Persequeris terra, persequerisque mari.
Quam toto nuper trepidavit litore, ut hostem
Sensit, & armatas in sua damna rates!
Æquore jam pelagi Tibi cedit, & æquore campi,
Ille gravis terris, ille tremendus aquis:
Jamque fatigatus pacem (quis crederet?) ultro,
Quam dare consuerat gentibus, ipse petit.
Cingere Daphnæo, fortissime, cingere ramo,
Quasque Tibi virtus dat Tua, scande rotas.
Protere jam fractos hostes, Pœnumque rebellem
Vince salutifera, victus ut ante, mora.
Exiguum magno spatium concede labori;
Jam domitus, bello jam, puto, victus erit.
Ense reducta Tuo Pietas, & nescia fraudis
Relligio, lætum tollet ad astra caput.

Pax

Pax bona tellurem repetet, gentesque beabit
  Copia; jamque suum navita curret iter:
Atque aliquis densa recubans Melibœus in umbra
  Carmine se, placidas gramine pascet oves.
Hæc, auguste, Tibi debebimus otia, Princeps:
  Hæc sunt natali munera nata tuo.
Te nisi donasset terris Deus æthere nostris,
  Hostibus hæc dudum præda fuisset humus.
Tu nobis populum conjungis amore Britannum:
  Tu Galli frangis fulmina, frangis opes.
O te felicem belli nodumque moramque!
  O fausto terris sidere nate tuis!
O pulchrum, ô vere niveum, niveoque lapillo
  Signandum populis (nam tuus ille) diem!
Spes & amor Patriæ, populi tutela Batavi,
  Qui famulus, qui jam, Te sine, nullus erat:
Edite Principibus victoribus, edite magnis
  Regibus, Albioni Rex, Gulielme, soli:
Si per Te vitam trahimus, Te vindice salvi;
  Aque tua pendet nostra salute salus:
Hic quanto nobis vita jucundior ipsa,
  Hic quanto debet carior esse dies?
Hunc celebrate simul Batavi, celebrate Britanni,
  Et lætum medii murmuret unda maris.
Surgat ab oppositis in Cœlum collibus Echo,
  Plurimus & gemino litore plausus eat.
Circumdet radiis Titan melioribus ora,
  Signaque lætitiæ det Polus ipse suæ,
At tu, Natalis, magni cunabula Regis,
  Dulce solum Domini, sæpe revise, tui:
Et per bissenos revolutis mensibus orbes,
  Pulchrior Eoo rursus ab orbe redi.

IN OBITUM

Potentissimæ & Augustissimæ

BRITANNIARUM REGINÆ.

ELEG. XIII.

AD fletum & lacrymas, Elegeia, flebile carmen
Heu vero nimium nomine dicta, veni.
Indue ferales habitus, & temporis hujus
Squallorem passis, oraque, redde comis.
Nunc tristes animo gemitus, nunc flumina & imbres
Lumine deciduæ volvere tempus aquæ.
Occidit, & mediæ demessa in flore juventæ est,
Regina Albioni, Regibus orta, soli.
Afflicti testes animi, prorumpite voces:
Plurima de madidis labere gutta genis.
Hei mihi! nec lacrymæ luctum, nec verba, sequuntur.
Mens labat, & multo victa dolore fugit.
Flere dolor prohibet, vocemque obsignat in ore;
Apta nec officio lingua, manusve, suo est.
Ite tamen lacrymæ, pietas jubet, ite querelæ;
Ite tamen numeri, quò vocat illa, mei.
Cum doleant passim Britones, cum lugeat omnis
Belgica, te solam, Musa, silere nefas.
Ede pios gemitus, & tanto digna dolore,
Sic opus est, mœstis concipe verba modis.
Posceris. Illustri plorant in funere gentes,
Et tellus Dominam luget, & unda, suam,
Luctibus incensas ululat campana per urbes,
Nec solis hominum vocibus æthra gemit.

Tristè

Tristè sonant toto discordes æquore venti:
  Tristè repercussis litus utrumque jugis.
Ipse pater Nereus interlabentibus undis
  Mugit, & ex imo surgit in astra vado.
Obducit nitidos Titan ferrugine vultus,
  Conditur & tenebris, sideris orba, dies.
Et merito; quid enim vultu formosius illo
  Mundi oculus gemino vidit ab usque polo?
Quæ tellus illi similem tulit? ætheris alta
  In terras illam misit ab arce Deus.
Excipit infantem, regalique educat aula,
  Non tamen & soli, terra Britanna, sibi.
In partes mundi varias, lux ista serenos
  Dispersit radios undique, vimque sui.
Utque supra reliquos Phœbi soror emicat ignes,
  Vecta poli nitidis per spatia alta rotis:
Sic alias longe Nymphas supereminet omnes,
  Gloria virginei, pulchra Stuarta, chori.
Pulchrior haud alia hac, aut mente, aut corpore; tanto
  Digna viro; solio digna, Britanne, tuo.
Numinis hoc illi tribuit clementia, quæque
  Ferre manu meruit sceptra, ferenda dedit.
Numinis in morem, cœlum terramque regentis,
  Æquali populos rexit amore duos.
Nec melior Regno moderatrix ulla Britanno
  Obtigit, aut populis, Belgica terra, tuis.
Quis majore Deum coluit pietate? quis ævi
  Longior à vitiis, quam fuit illa, fuit?
Quæ privata suum complexa est nupta maritum,
  Fæmina quo princeps principem amore virum?
Quæ non effulsit passim prudentia? quas non
  Divite reclusas pectore prompsit opes?
Quæ non majestas; quæ non constantia; quæ non
  Pax, & honos, illi frontis, & oris, erat?

 Quam

Quam leni rexit terras moderamine? quanta
  Justitia? Rheæ sæcla rediisse putes.
Præbuit auxilium miseris, solamen egenis,
  Æra peregrinis, hospitibusque larem.
Lex erat, exemplum vitæ: virtutis imago
  Vita fuit; morum regula; norma boni.
Plura quid adjiciam? Tua laus, tua gloria, Princeps
  Optima, fine suo, ceu dolor ipse, caret.
Perdidit hac quantum tua morte Britannia! quantum
  Amisit letho Belgica terra tuo?
Quis nunc imperio populos frænabit & urbes,
  Longa gerente tuo trans mare bella viro?
Quis validam ornabit classem? quis Belgica rursum
  Auxiliatrices mittet in arva manus?
Æquoris in mediis sic Tu Regina, procellis
  Destituis laceræ naufraga membra ratis?
Sic Tibi dilectos alieno tempore Belgas
  Deseris, & nostram, dura, relinquis humum?
At non ista Tui dederas Tu pignora, cum Te
  Misit in imperium Belgica terra tuum.
Hostibus iratis Batavos, populumque Britannum
  Prodis, & invicti spemque decusque viri.
Respice communes cives, communia sacra:
  Respice rem Batavam, nec minus ipsa tuam.
Me miserum! æterno condit sua lumina somno,
  Nec nos jam curat, nostrave, corpus iners.
Ergo nihil tutum est, & Tu quoque, maxima Princeps,
  Illi, cui cedunt omnia, præda jaces?
Ergo nihil sanctum est, & cum vulgaribus umbris
  Mors etiam Reges, ipsaque Sceptra rapit?
Scilicet hæc cunctis mortalibus æqua rependit,
  Et Reges etiam, regnaque, fata manent.
Sic placuit vitæ auctori, rerumque parenti.
  Non alia nasci conditione datum est.

Hæc

Hæc quoque Tu, Princeps, venisti in fœdera, Teque
Eripuit terris, qui dedit, ipse Deus.
Tu nunc ætherea mundi spatiaris in aula,
Regnaque cum cœli Rege superna tenes.
At nos, heu miseri, viduati munere tanto
Flemus, & ereptam Te sibi terra dolet.
Liquitur, & lacrymis urbs diffluit omnis obortis,
Mœrorem capiunt nec tria regna suum.
Percutit insano Londinum pectora planctu,
Scindit & ungue comas, scindit & ungue genas.
Murmurat horrendum Tamesis, rigat imbribus ora,
Proque suis lacrymas in mare volvit aquis.
Dat gemitus, & longa tibi suspiria fundit
Ille tui consors sanguinis, ille tori.
Quin etiam largos, lacrymarum flumina, rores
Nunc primum victo vidimus ire Viro.
Quæ fuerat rerum facies, quæ noctis imago,
Qua tibi supremum reddidit ille vale?
Hærebat laterique comes, socioque cubili,
Sedit & ad thalamum nocte dieque tuum.
Sedit ad ægrotæ thalamos, ægrotus & ipse,
Quamque Tibi poterat ferre, ferebat opem.
Sæpe Tibi fomenta dedit, succosque salubres
Præbuit hac ipsa, qua gerit arma, manu.
Jamque propinquabat passu Mors alite, cum sic
Alloqueris Regem, Regia nupta, virum.
Care vale Gulielme, vale carissime conjux,
Conjunxit sanguis quem mihi, quemque torus.
Te comitem Batavas sum sponte secuta per urbes;
Clara Britannorum, Te duce, sceptra tuli.
Tu mihi jucundæ lenimen dulce juventæ,
Tu mihi primus eras, tu mihi summus amor.
Vixi, quemque dedit cursum Natura, peregi;
Et, quod amem, præter Te, nihil orbis habet.

Me regnum cœleſte vocat; mihi limina pandit
  Ætheris, & vitam dat ſine fine, Deus.
Tempus erit, cum Tu ſedes tranſcriptus in iſtas
  Inter honoratos aſtra tenebis Avos:
Cumque poli Domino regnabis, & æthere ab alto
  Spectabis terras, deſpicieſque, tuas.
Interea populi ſerva communis amorem,
  Degat & imperio lætus uterque tuo.
Jamque vale. vires adimit mihi languor, & ora,
  Vinctaque perpetua lumina nocte, premit.
Quod ſi quid merui de Te bene, ſi quid amavi,
  Vive memor noſtri, lux mea, vive memor.
Dixit, & auguſtis animam exhalavit in ulnis,
  Inque ſacros humeros triſte recumbit onus.
Ille nihil; raptaque ſimul cum conjuge voce
  Obſtupuit tanto, diriguitque, malo:
Perque dies aliquot, nec conſolantia verba
  Audiit, aut ullos attigit ore cibos.
Odit & adſpectus hominum, lucemque diemque,
  Cumque tori ſocia viſus & ipſe mori eſt.
Ut vero ſeſe invenit, nubemque removit
  Corde dolor, cœpit vix ita vixque loqui.
Magne Deus, cui vulgus inops, plebejaque turba,
  Collati Reges, umbraque vana, ſumus:
Qui mare, qui terras omnes, terrenàque regna
  Dirigis imperio, noſtraque noſque, tuo:
Care quid admiſi Genitor, quod in illud amatum
  Hæc tua tu vibras tela, meumque, caput?
Num tua neglexi forſan ſacra, & Tibi fuſas
  Concepi caſto non ſatis ore preces?
Impia num movi certamina, bellaque geſſi
  Ulla, niſi auſpiciis, Teque probante, tuis.
Num me cæde aliqua maculavi, aut ullius unquam
  Dextra, niſi hoſtili, tincta cruore mea eſt?
Sed

Sed quid ego hæc autem? ſic ſtat, ſic corde voluntas
Fert tua. Conſilium mors ea, Sancte, tuum.
Cedimus, & poſito paremus murmure, mundi
Aurea cui parent ſidera, & ipſe polus.
Hoc mihi Tu thalami pignus cœleſte dediſti:
Eripis hoc thalami Tu mihi pignus idem.
Vincor, & obſequii mihi gloria nuda relicta eſt,
Dum Tu rem repetis, nam tua jure, tuam.
Dixerat, & mœſtam Proceres admiſit in aulam,
Tutamen Regni, conſiliumque, ſui.
Succedit tecto Domus utraque, damnaque queſti
Publica, ſolamen, quod potuere, ferunt.
Parce metu: nos auxilium, nos robora belli,
Cumque ſuis dabimus pinea texta viris.
Nec nos crede tuæ mutatos morte maritæ,
Major erit poſthac, quam modo, noſter amor.
Talia promittunt Proceres, aulaque recedunt,
Addicuntque ſuam Regis in arma fidem.
Sume animos, Gulielme, tuæ quod funere nuptæ
Gaudeat, infenſus nil puto Gallus habet.
Vince tuum, Princeps, qui vincis cætera, luctum;
Et curam Regni Rex age magne tui.
Jam prope confectum, parva eſt mora, confice bellum,
Teque tuus pacem vindice mundus agat.
Te nunc præſidium, Te nunc ſolamen in uno,
Publica tu ſolus damna levare potes.
Adfer opem, ſervaque tuas, fortiſſime, terras;
Siſque, quod es, populo portus & ara tuo.
Trajice brumali laxatum frigore pontum,
Et reducem videat Belgica, Vere novo.
Fallor? an infeſtis concurrunt agmina ſignis,
Armatamque acies conſeruere manum?
Auguror, & fracta pariter cum viribus ira
Victorem agnoſcet Gallia victa ſuum.

Ecce

Ecce tibi motis plaudit Victoria pennis;
  Militat & caussa pro meliore Deus.
Alme Pater, pacisque bonæ, bellique cruenti
  Arbiter, hæc firma numine verba tuo,
Vincat, & ornatus spoliis Gulielmus opimis
  Incolumes referat seque suosque domum.
Arma tholis figat patriis, multumque cupita
  Concedat populis otia, & ipse sibi.
Aurea restituat pacato sæcula mundo,
  Et semper nitidos donet, agatque, dies.
Sceptra diu teneat Regalia; quodque Maritæ
  Dempsisti vitæ temporis adde Viro.
Expleat ille suos, & Conjugis impleat annos,
  Prorogет & vitam fata per ista suam.
Adsis ô, precibusque fave Patriæque meisque,
  Et saltem hoc terris da superesse caput.
Hunc, Pater, hunc verso jubeas succurrere sæclo,
  Restat ab Heroa qui tibi stirpe Nepos.
Intersit longum Batavis, longumque Britannis,
  Longus amor populi, longaque cura, sui.
Cumque solum meritis impleverit, alta, sed olim,
  Sidera, deserto, quem regit, orbe petat.
Annue tam justis, Rex ætheris, annue votis,
  Inque domos superas, non nisi serus, eat.



ODÆ

O D Æ.

PETRI FRANCII
ODARUM
LIBER PRIMUS.

BUDA CAPTA.

ODA I.


Digna Flacco, dignaque Pindaro!
O digna Phœbo! qua neque pulchrior
Pulchra illa, quæ gemmis & auro
In mediis Lyra fulget astris:

Vicina seu te Pannoniæ juga,
Raucove labens murmure Vistulà,
Seu Romuli colles, & alma
Ausoniæ tenet ora terræ:

Sive in beatis Elysii jugis,
Aut, propter undas Eridani, pias
Solaris umbras, & vetustos
Æquiparas fidibus poëtas:

Quacunque pendes arbore, quos habes
Relinque campos, linque Nemus pium,
Tibrimque, Sarmatasque montes,
Grandiloqui Lyra Sarbievî.

Te poscit omnis Dacia, Dalmata
Te poscit omnis, te Lithuania:
Te Bessus acer, te Gelonus,
Cæsareis modo fractus armis.

In-

Intende chordas : & fide, qua prius,
Gentis pudendam Bistoniæ fugam,
Thracasque devictos, & arma
Austriacis cane fixa templis.

Audisne? chordas nempe petit tuas
Cantata chordis quæ toties tuis:
Te victa poscit Thraca : poscunt
Pannonicæ tua fila palmæ.

Assume magnos, o bona spiritus,
Et Martiali carmine classicum
Ordire, sublimique cantu
Cæsareum memora triumphum.

Vallata magni Cæsaris agmine,
Illustre regni Pannonici caput,
Nunc Threca, nunc Germana; belli
Alea ludibriumque Buda,

Post mille belli fulmina, Thraciæ
Crudele gentis servitium pati
Ultra recusavit, luposque
Magnanimo laceravit ore.

Cedit furori Cæsaris, & minis,
Germana nec jam sustinet agmina
Invicta quondam : cedit ecce
Illa Tuis, Leopolde, turmis.

Iö Triumphe! Diffugiunt Getæ:
Invicta Budæ mœnia corruunt,
Et pæne jam captæ pudorem
Clade sua reparant Viennæ.

Urbem obsidebat Cæsaream Getes,
Totaque belli mole parentibus
Hinc inde campis explicabat
Odrysius sua signa miles.

Haud Cæſar illud dedecus, haud tulit
Germana pubes: advolat Imperî
Vis omnis, Auguſtoſque lenta
Liberat obſidione muros.

Dant terga retro Biſtones, horridi
Dant terga Beſſi. Dira perit cohors,
Pars amne, pars ferro: cruore
Terra rubet, rubet unda, Thraco.

Accenſus iſta Cæſar adorea
Bellum Hungarorum finibus, & tibi
Inferre molitur, Gelono
Heu nimium populata bello!

Tellure lectis Auſtriaca viris,
Mavorte claris Auxiliaribus
Budam coronat Cæſar: omnes
Obſidio premit arcta portas.

Ad ſigna magni conveniunt ducis,
Quicunque flumen Danubium bibunt,
Quicunque Rhenum; qui Viſurgim,
Qui gelidum procul haurit Albim:

Quicunque ſilvis Hercyniis latent;
Quicunque ponti litora Baltici
Tuentur, & late remotas
Oceani ſpeculantur undas.

Idem urget omnes ardor, & intimas
Urit medullas: ira eadem necem
Et arma ſpirantes, ad arma,
In mediam vocat uſque mortem;

Ultraque fati limen, & ultimam
Seſe ipſa ſtagni ripam Acherontii
Extendit, Edonoſque ſtricto
Inſequitur violenta ferro.

Obverſa telis tela, viris viri:
Obverſa pilis pila minantibus:
Tormenta tormentis: globorum
Vulnificos rotat æthra nimbos.

Eſt Terror illic, & Pavor, & Metus,
Cædeſque, Strageſque, & Furor, & Dolor.
Per ſumma murorum, per omnem
It Rabies animoſa campum.

Non plura cœlo fulmina decidunt:
Non tot tonitrus æthere turbido
Exaudiuntur, perque campos
Aeriæ dominantur aulæ:

Non talis Hæmum verberat, aut Athon,
Hiberna grando; nec gravior polo
Demiſſa tempeſtas ab alto
Æquoreas inimicat undas.

Fallor? Furentes an ſua vincula
Rupere Venti? Num reboat ſuo
De ponte Salmoneus? Ferine
Bella movent iterum Gigantes?

Non fallor: imo terrificum ſolo
Agmen Gigantum naſcitur. O Pater,
O juſte Vindex, ſurge tandem,
Surge, gravi metuende telo.

Audimur: alto devolat æthere
Alata virgo, ridet & aureo
Serena vultu, Cæſariſque
Haud dubiis ſuper arma victrix

Se librat alis. Dextera lauream,
Siniſtra palmam geſtat, & inclytum
De gente Baſtarna triumphum
Auſtriacis modò ſpondet armis.

Mul-

Multus Corallis hinc metus additus:
Spes multa, noſtris. Pugnat alacrior
Jam quiſque: jam muro potitur.
Ex oculo micat ignis omni.

Sic tauriformis Danubius, ſuo
Jam major alveo, finitimos procul
Inundat agros, & remotis
Diluviem minitatur arvis,

Suiſque campos, & pecora, & domos
Involvit undis: ſic leo fortior
Depaſcit imbelles juvencos:
Sic pavidas aquilæ columbas.

Bis ſcandit urbis mœnia, bis retro
Caſſis repulſus viribus, haud ſuis
Deſperat armis, tertiamque
De domita petit urbe palmam

Furore multo percitus, & gravis
Amore prædæ miles. In arduas
Jam ſcandit arces: occupata
Jam profugos fugat Arce Thracas.

Pars uſque ſtricto pugnat acinace:
Pars alba ſummis lintea turribus
Suſpendit, expoſcitque vitam
Supplicibus, ſine cæde, palmis.

Fruſtra': cruentis ictibus obvii
Cadunt Geloni: demetit omnia;
Sternitque; nec parcit tenellis
Conjugibus pueriſque miles.

Incendit urbem Barbarus. Ignibus
Quodcunque reſtat depopulantibus
Subſidit omnis; jamque nomen,
Jamque ſuum ſibi Buda buſtum eſt.

Jacet ruinis obruta propriis,
Ocellus oræ Pannonicæ, domus
Heu ante Musarum, cruenti
Nunc odium spoliumque belli.

Pars magna letho Sauromatûm dati:
Pars magna capti: cætera, prælii
Pugnæque spectatrix, aperto
Consuluit sibi turba campo.

Iö Triumphe! plus vice simplici
Iö Triumphe! plus vice simplici
Mavorte Germano subacti
Turpè cadunt fugiuntque Bessi.

Quem, Musa, primum? quem fidibus tuis
Dices secundum? Téne canam prius,
Invicte Cæsar, & superbas
Austriadum memorabo palmas?

Tu Marte Thracas sternis, & inclytum
De gente victa, maxime Cæsarum,
Ducis triumphum, jamque partis
Accumulas, Leopolde, lauris

Lauros recentes. Te pavidi tremunt
Horrentque Bessi: Te fugiunt Dahæ;
Nec ferre Romanas volucres
Bistoniæ potuere Lunæ.

An te Camœna commemorem mea,
Virtutē magno proxime Cæsari,
Insigne momentum triumphi,
Lottharidum generose Princeps?

Tu ductor ingens agminis: arduas
Tu scandis arces: tu fugientibus
Insistis, & fractos citatis
Frangis equis, equitumque turmis.

An te triumphis inclyte bellicis,
Manu valentum grande decus Ducum,
O ductor invictæ catervæ,
O Bavaræ decus omne turmæ?

An te, decoro pulvere sordidum,
O Scherffebergi? Te duce copiæ
Junguntur: injecta furentem
Tu cohibes fluvium catena.

Num Brandeburgi fulmineam manum?
Bello potentem num Neoburgium?
Num te, Sereni, Marte clarum
Cæsareo Venetoque nomen?

Soucî cohortes, an Coniseggii
Canto? Comercî, vel Veteranii?
Turmamne Capraræ ferocem, an
Magnanimi cano Buthiani?

An te, valentum gloria militum,
Invicte Princeps, cui decus inclytum,
Fatale cui nomen Gelonis
Marte potens dat habere Croja?

An te, cohortis fama Ligusticæ,
Decus tuorum, Spinola, mœnibus
Dejecte de summis, novaque
Morte tua viduate lauro?

Invicta bello pectora, quo canam
Vos ore? Centum guttura si mihi,
Centumqne liuguas detis, éque
Ære tubas lituosque centum,

Nondum valerem vos ego debitis
Inferre cœlo laudibus. Officit
Laudique virtutique vestræ
Magnificæ nitor ipse palmæ.

Putes feroces, quot videas viros,
Videre Martes. Ille manu Ducem
Obtruncat in muris Gelonum:
Hic media caput Arce victor.

Parte hic ſiniſtrâ mœnia, dexterâ
Conſcendit alter: ſigna alius ſuis
Derepta pinnis portat: ille
Finitimum ſpeculatur hoſtem.

Quis credat? Urbis mœnia dirui,
Flammis peruri, cuncta rapi, palam
Spectat Gelonus, ſpectat omnis
Sithonii legio Tyranni.

Dux ipſe retro ſigna movet ſua,
Et indecorâ carpit iter fugâ,
Per plana camporum, per undas,
Aërios ſuper uſque montes.

Gaudete, Gentes: Occidit, occidit
Communis hoſtis. Mordet humum ferox
Gelonus, ingentique clade
Odryſiæ cecidere turmæ.

Audit triumphum Cæſaris inclytum
Latina tellus, audit Iberia;
Campoſque Victorem per omnes
Hercyniæ ſonat aura ſilvæ.

Applaudit almæ Lechus adoreæ,
Volvitque longos Viſtula vortices,
Dravuſque, Tibiſcuſque, & omni
Iſter aqua. Tibi, Cæſar, omnis

Applaudit Iſtri ripa binominis:
Te narrat omnes per populos, ſuo
Qua fonte prolapſus, ſub undas
Caucaſei tegit ora ponti.

Hor-

Horrescit ingens Pontus, & omnibus
Pallescit undis. Fluctibus asperis
Assurgit Ægæum: pavore
In gelidos fugit Hebrus ortus.

Abscondit atrum nube cava caput
Metu paventum Luna Othomannidum,
Cornuque diffracto videri
Bosporco negat ægra mundo.

Latè nivosum quassat Athos jugum,
Hæmique cautes, & Rhodopes, tremunt,
Turresque Byzanti: superbo
Vertice Threïcii Tyranni

Nutat tiaras. Non caput Austriæ,
Romana jam non Barbarus agmina
Bello lacesset. jam Gelonis,
Jamque suo timet ipse regno.

Hac Cæsar urget jam domitos Dahas:
Illo, Polonus: parte alia ferox
Jam sæpe divictos per undas
Aggreditur Venetus Corallos.

Ite, ite Gentes: ite citis equûm
Turmis: catervis ite pedestribus:
Ite, ite remis, ite velis:
Ite mari simul, ite terra.

Vestrum; rebelles cædere Concanos:
Vestrum; Tyrannum pellere Thracium:
Vestrum; triumphatis paternum
Imperium reparare Grajis.

Mille Hadriano conspicio mari
Movere remos, & sonitu salum
Pulsare longo; mille vela
Iönio volitare ponto.

Assu-

Aſſumit iras Hadriacum novas :
Accendit undas Iönium ſuas.
En fervet Ægæum carinis,
En Siculum Libycumque, multis.

Ite, ite: Tellus vos Epidauria
Invitat ; arces vos Agamemnonis,
Argoſque , & invictæ Mycenæ :
Litore vos gemino Corinthus ;

Vos omnis ultro poſcit Achaïa ;
Vos læta tellus Theſſaliæ vocat ;
Vos poſcit Epiros , valentum
Quadrupedum generoſa mater ;

Vos ſtrenuorum Sparta parens virûm ;
Ad bella nati vos Salaminii ;
Forteſque Thebani , ſuisque
Gens Macetum ſtimulata palmis :

Vos, vos Athenæ , clara Aganippidum
Phœbique ſedes , vos Helicon vocat,
Bicepſque Parnaſſus , ſuaque
Jam profugæ regione Muſæ.

Ite, ite, virtus quo vocat, & novas
Dudum paratis addite laureas,
Phœbique Mavortiſque clara
Fronde comas redimite veſtras.

Frondoſa vobis proxima porrigunt
Arbuſta Tempe. Pergite, pergite,
Triſteſque marcenteſque luctu
Hæmonias animate lauros.

Auditis ? an me decipit , & ſua
Incogitantem ludit imagine
Jucundus error ? perque cultas
Grajugenum rapit ardor urbes ?

Non,

Non, non: Achivûm litora jam pede
Pressistis ipsi: jam mare puppibus
Stravistis Ægæum: recurvam
Jam legitis, Veneti, Malcam.

Ite, ite porro: Jam Pelopis domus
Se tota vobis dedet, & insulam
Submittet omnem, Græciæque
Pandet iter breve subjugandæ.

Ite, ite: functi morte vocant viri.
Vos umbra Atridæ; vos Telamonii,
Pyrrhique, Alexandrique manes,
Æacidæ vocat umbra magni:

Et qui per urbes errat Achaïcas,
Inultus, ardens, bis cupidus mori,
Dux Castriottus, nomen ingens,
Attonito grave nomen Hebro.

Ite, ite: vestram poscit opem Rhodos,
Androsque Naxosque, & Cyprus, & Paros,
Totoque disjectæ profundo
Cyclades, indociles moveri.

Vos ore magno flagitat urbibus
Exuta centum, gestit & asseri,
Vobisque reddi, clara divûm
Illa domus, tumulusque, Creta.

Ite, ite, Longè vos vocat inclyti
Parens Achillei: vos mare Thracium;
Vos Troja; vos litus propinquum;
Vos Asiæ Phrygiæque bustum.

Ite, ite fortes, & mare barbarum,
Hellenque vinclis stringite ferreis:
Ite, ite victores, & altos
Dardanidum renovate muros.

Erróne demens? an video truces,
Afro orbe pulsos, atque Asio, Getas?
Sacroque devinctos duello
Christiadas properare rursum

Ad arma Reges? Ite faventibus
Cœloque ventoque, & Libyes solum,
Threcique regnatam Tyranno
Marte Asiam revocate pulchro.

Vos poscit Hermus, vos dubius viæ
Mæander: omni vos vocat agmine
Et Tigris, Euphratesque, & ingens
Ille sacræ moderator undæ.

Vos poscit Hermon, vos Libani juga,
Cedrique longis, atque Oleæ, comis:
Vos Thure, vos Myrrha feraces
Arabiæ Syriæque silvæ.

Vos Sancta tellus: illa parentibus
Calcata primis; illa Dei pede
Plantisque calcata; cruore
Illa Dei madefacta tellus.

Ite, ite: gentem pellite barbaram
Sione toto, pellite collibus
Betles, Palæstinis superbos
Pellite litoribus Corallos.

Ite, ite: fœdis solvite vinculis
Dei sepulchrum: figite vertice
Super sacrato signa Thracum;
Longa pii monumenta belli.

Ite, Ite: vobis nutrit Iordanis
Palmeta campis terra patentibus:
Laureta, Daphne. Tota vestris
Serta ligat regio capillis.

Ite, ite: vinclum temporibus duplex
Aptate vestris. Vincite, vincite
Thracasque Bessosque, & Gelono
Eripite imperium Tyranno.

O, qui gubernas nubibus arduis,
Nutuque terram concutis & polum,
Bellumque bellantumque curas
Imperio moderaris æquo:

Tu militares dirige copias;
Tu bellicosos duc, Genitor, Duces;
Duxque esto nobis ipse; nostris
Ipse præi, Pater alme, signis:

Tu, tu feroces sterne manu Getas,
Tibique caris exige finibus:
Tu libera Europam cruentis,
Tu Libyen Asiamque, monstris.

POLONI REGIS VICTORIA.

ODA II.

AUdivit Orbis verba reor, mea,
Audivit Æther. Thracia mutuæ
Ad arma concurrêre Gentes,
Auspicio Superûm secundo.

Sub mole belli Pannonicum gemit,
Gemit propinquum Moldaviæ solum:
Gemunt fatigatæ procellæ
Hadriaco Ionioque toto

Stenit

Sternit ſuperbos dux Venetus Getas:
Parat recentes Cæſar adoreas:
Adepta Victori Polono
Biſtonio nova palma bello.

Spargit triumphum per populos novum
Vectus quadrigis Rumor eburneis,
Cunctaſque terrarum per oras
Threïciam ſonat æthra laurum.

Vixdum ſagaci lumine viderat
Paſſim vagantes limite proximo
Thracum catervas bellicoſus
Sarmaticæ Moderator oræ,

Cum ſtrenuorum corpore de virûm
Manu valentes Regius impetus
Egit Polonorum phalangas,
Et veteres per aperta turmas,

In gentis agmen Tartaricæ, ſua
Cohorte vulſum proximioribus
Qua ſtabat arvis, ſeparata
Finitimi regione campi.

Cædit feroces Sarmata Sarmatas;
Primoque Thracas diruit impetu
Polonus. Europæa vincit,
Sueta Aſiam ſuperare, virtus.

Cadunt virorum millia bis duo,
Premitque mento turpe ſolum Getes;
Premit Gelonus; interempto
Flava Tyræ rubet unda Belſo.

Aſt agmen ipſum victor, & hoſticas
Omni ſuorum robore copias
Regnator invadit Polonus,
Et ſubito necopina ferro

In barbarorum tergora militum
Sævit cruentus, cunctaque fulminis
De more prosternens propinqua
Funeribus tegit arva densis.

Aut, ut fugaces æthere ab arduo
Agit volucres litus ad ultimum
Ales Tonantis, Marte fractos
Moldavicis fugat ultor arvis.

Ardore Regis concita fervidi
Ardore pugnat tota cohors pari,
Ducesque militesque præbent
Quisque animi documenta magni.

Virtute cunctis prænitet aureum
Illud juventæ sidus amabilis,
Ut Luna stellis, eminetque
Ante alios Iäcobus omnes.

Adversa sese mergit in agmina,
Suaque multos ipse capit manu,
Prædamque captivosque magno
Grande refert spolium Parenti.

Gnatus Parentis signa premit sui,
Et nunc rebelles ense ferit Getas,
Cæditque prosternitque, longo
Nunc Geticas fugat ense turmas.

Deserta tendit per nemora oblitus
Jam non equino sanguine Concanus,
Fugitque victorem Polonum
Præpetibus vaga turba plantis.

Tingunt cruentum cæde sua solum,
Multoque diri sanguine Tartari
Pascuntque nutriuntque latè
Moldavicos Valachosque campos.

Spectes per agros sparsa Valachios
Invisa gentis funera barbaræ,
Et, montis in morem supini,
Innumeros morientum acervos.

Salve, Poloni gloria nominis,
Bello valentum gloria Principum;
Salve, Deorum cura; Martis
Progenies animosa, salve.

Quæ terra partam nescit adoream?
Quæ non triumphum, Jane, canit Tuum?
Quæ non triumphat ipsa? quæ non
Pro meritis Tibi læta tantis

Applaudit ultro? Jam Tibi, jam Tuo
Pacata gaudet Marte Podolia:
Victore Te gaudent beati
Moldavici Valachique campi.

Tibiscus, omni jam suus alveo,
Sub signa, Princeps, lenè fluit Tua,
Savusque Dravusque, & quieta
Danubius, modò victor, unda.

Descendit alto Vistula Carpato:
Prorumpit imo fonte Borysthenes,
Tyrasque, Patiscusque, & antris
Pina suis, vitreusque Duna.

Omnis triumphos unda refert Tuos,
Narratque terris Te popularibus,
Narrat remotis, dividitque
Verticibus Tua regna longis.

Plausu Tuorum, qua patet, amnium
Respondet æquor. Te mare Balticum,
Te pontus Euxinus, nivosa
Te Tanais sonat unda ripâ.

Te pronus altis Hungarus è jugis,
Te cæde læti Livones, inclyti
Te Lithuani, Te Borussi,
Te gelidi plaga vasta mundi:

Te militaris rura Croatiæ,
Te bellicosæ rura Moraviæ,
Te Marte gaudentes Bohemi,
Te validi duce Te Poloni:

Te Rhætus, & Te Vindelicus minax,
Te Dacus asper, Dalmata Te ferox,
Te Panno, Te latè potentem
Illyricus veneratur orbis.

Audit triumphos Illyricum Tuos;
Audit propinquis Hadria fluctibus:
Utrumque per litus Polonas
Euganea stupet ora palmas.

Surgit profundo Tibris ab alveo,
Tibique partæ plaudit adoreæ,
Narratque divulgatque longè
Mæonio Tua bella ponto.

Flavente crinem cinctus arundine
Attollit imo cornua de vado,
Fluctusque volvit grandiores
Undisoni moderator Istri.

Gaudet paratis Te duce laureis
Spectata palmis Austria pluribus,
Victorque Victorem salutat
Ipse sua procul urbe Cæsar.

Tollit superbas æthera in arduum
Vienna turres, illa Tuis modo
Asserta turmis, vindicata
Illa Tuâ modo, Jane, dextrâ.

Tu, Marte clarus, Marticolam fugas
Utraque ripa Danubii Geten,
Totaque dispellis minaces
Austriadum regione Bessos.

In bella natus Thracia Tu puer
Ferocientis margine Vistulæ
Diros repressisti Gelonos
Jam tenero gravis hostis ævo.

Ætate crevit cum tenera vigor:
Crevere palmæ; famaque, & imperî
Dispersa Majestas Poloni
In Getici latus omne mundi.

Heroa virtus ut Tua publicis
Admota primum rebus, & aureo
Regale cum sceptro verendam
Implicuit diadema frontem,

Movere totis ardua culmina
Pangæa silvis: limite proximo,
Timore cognato solutis
Delicuit Rhodope pruinis:

Erexit undas ipse metu suas
Muscosus undæ Strymoniæ pater;
Pontoque demersit propinquo
Attonitâ caput Hebrus unda:

Aufugit omni Luna procul polo,
Frustraque poscens fratris opem sui
Subsedit Ægæas sub undas
Dividuo pudibunda cornu.

Tu stringis arctâ Strymona compede,
Frangisque Lunæ cornua Thraciæ:
Tu nectis invisis Corallis,
Tu trepido nova vincla Ponto.

Tu Marte pulcher, robore Tu potens;
Tu Christiani nominis, & Tui
Polone regni liberator;
Tu Getici domitor Tyranni.

Tu clara præbes militibus Tuis
Exempla, Princeps. Milite Te Tua,
Per tela, per flammas, per ipsam
Turba ruit furibunda mortem.

Tu bella, regni finibus è Tui,
Quò nemo Regum, nemo ducum, prior
Ivit Polonorum, catervâ
Quadrupedum peditumque magnâ,

Longinqua pugnas. Tu scatebras suis
Educis antris, deficientibus
Per sicca lymphis, & latentes
Ipse cavas aperisque fontes.

Tu dura Gnatum bella doces Tuum,
Doces laborem militiæ gravem,
Formasque præclaras in artes
Dîs genitam, duce Patre, Prolem.

Sic bellicosum finxit Iäsona
Bellator Æson: sic genitor suum
Peleus Achillem: sic Iülum
Matre Dea generatus Heros.

Sic laude clarum, bella per omnia,
Decus priorum, Rex Macedo, ducum,
Duxitque, Pellæumque primis
Erudiit juvenem sub armis.

Dudum æquat illum nomine, mox manu,
Ætate Fratri, non animis, minor,
Princeps Alexander, Patremque
Jam sequitur, sequiturque Fratrem.

Uterque, Patri mox similes suo,
Virtute Gnatus Te referet Tuus,
Tecumque mirantum per ora,
Per populos volitabit omnes.

Clamore magno te populi sonant,
Unoque palmas ore canunt Tuas.
Te nostra, Te præsens honorat;
Te veniens memorabit ætas.

Pars Te Vetustis esse putant parem;
Pars anteponunt: hi ducibus ducem
Ævi hujus exæquant, & ipsi
Æquiparant simulantque Marti.

Illustriores nec titulos domum
Vexit petitor velleris aurei;
Majore nec fama superbit
Iliacæ populator arcis.

Non plura bello prælia Dardanus
Pugnavit heros: pluribus aut graves
Palmis reportavit triumphos
Memnonii tremor ille mundi.

Immaniores non domuit feras
Invicta patris progenies Jovis,
Nec monstra submisere quondam
Herculeæ graviora palmæ.

Et Tu feroci monstra necas manu,
Formidolosus Thracibus Hercules.
Tu victor, humano cruore
Tu madidi Diomedis ultor,

Ista repletos regis equos dape
Ad prima cogis pabula: Tu genu,
Furentis antiquum furorem,
Threïcii resecas Lycurgi.

Te Scipionem Roma vetus ſuum:
Gens Mithridatem Pontica: Martii
Pyrrhum Pelaſgi: bellicoſa
Hannibalem Libye ferocem:

Bello valentem Te Carolum vocat
Germana tellus: Gallia te ſuum
Appellat Henricum: Gradivo
Progenitum Suecones Adolphum.

Te Tamrelanum, cæde Gravem, Getes;
Te Scandrebegum; fulmina Thracii
Horrenda belli: Te Gelonæ
Perniciem excidiumque terræ.

Tu militari robore Tartaros,
Tu Marte dirum Moldavico Geten
Exſcindis, Edonamque cogis
Sarmatiæ juga ferre gentem.

Valente Lunæ cornua Tu manu
Frangis Gelonæ: cornua maximus
Infregit Alcides ut olim
Indomitis Acheloa palmis.

Deſcendit alto Luna tremens polo,
Tuæque, Princeps, ad ſonitum tubæ,
Ceu carmine excantata, mergit
Boſporeo trepida ora ponto.

Nil æra proſunt auxiliaria,
Vanæque voces; æthere jam ſuo
Deducta, jam verè laborans,
Sola timet Tua, Victor, arma.

Te celſa motis Iſmara rupibus,
Te cana latè Sithoniæ juga,
Te rura Byzantina, Thracum
Te profugo pavet aula Beſſo.

 O triſte

O triste diris exitium Getis!
O grande terris præsidium Tuis!
O caussa, momentumque magnum
Expliciti per acuta belli!

O strenuorum ductor Iazygum!
O Jagelonum ductor, & inclytum
Sidus Lechææ gentis, ingens
Parrhasii Cynosura cœli!

Tu parte cœli siderea polo
Nitebis olim lucidus aureo,
Auro coronatus superno,
Æthereo redimitus ostro.

Inter beatos ætheris ardui
Tu stabis ignes, Arctophylax novus,
Telluris Arctoæ, & nivosi
Cura vigil, columenque, mundi.

Tu, falce Perseus terribili, polo
Micabis alto: Tu trepidos procul
Terrebis Orion Gelonos,
Fulmineo metuendus ense.

Te sidus ignes ætheris aurei
Colent minores. Supplice Te genu
Adorat Alcides, & ultro
Ipse suum Tibi pandit astrum.

Te Thraca summo Luna videns polo,
Pallescet omnis; cornua contrahet;
Tuosque contemplata vultus
Aërio teget ora velo.

VICTORIÆ CÆSARIANÆ ACCESSIO.

ODA III.

QUis ô, quis œſtro me ſtimulat novo
Phœbus? Quis altas Dædalus in vias,
Perſeuſve, Pegaſuſve, ſuetas
Ire polo mihi præbet alas?

Adeſte pennis ocyus omnibus,
Et Dædaleo cautius Icaro;
Tergoque dereptum pedique
Cedite remigium volanti.

Negatis? alas Fama dabit ſuas.
Tellure ſegnis quid moror? Armiger
Joviſque Cæſariſque remos
Ecce ſuos mihi donat ales.

Jam jam nitenti, dum loquor, alite
Immutor omnis: jam mihi decidunt
Per crura pelles: jam ſupernæ
Terga tegunt humeroſque plumæ.

Libet relicto tollere me ſolo,
Urbeſque campoſque, & populos procul,
Monteſque, ſubjectaſque nubes,
Non humili ſuperare niſu.

Libet, triumphos Cæſaris, & Virûm
Spectare palmas Auxiliarium,
Belloque decerptas Gelono
Auſtriadum numerare lauros.

Subite, Venti; meque per aëra,
Latique campos ætheris arduos,
Raptate ſublimem, poloque
Veſtra meum regat aura curſum.

Parent: In altum jam levor aëra,
Non ante viſas jam video domos,
Rhenumque Mænumque, & rubentem
Threïcia Scythicaque cæde

Contemplor Iſtrum, ſanguine plurimo
Quà ſpumat amnis, multaque barbaræ
Truncata gentis membra; multa
Tela virûm, clypeoſque, volvit.

Hic Bavareos; hic Lotharingios
Pulchris in armis conſpicio Duces
Fulgere latè, dirutamque
Marte ſuo renovare Budam.

Hic laude claros intueor viros,
Budæ nigrantes pulvere nupero,
Taboque turpatos decoro,
Pannoniis volitare campis.

Hic, hic Walæos, hic Veteranios:
Hic, hic Caraffas: hic Othomannidum
Specto catervas; & fugatos
Quadrupedum peditumque nimbos.

Specto repulſos obſidio Getas;
Specto phalangas Cæſaris; & domos,
Portaſque murorum recluſas
Indomiti modò Segetini.

Urbis

Urbis propinquæ conditionibus
Specto labantem, Quinque suum loco
Delubra cui nomen dederunt,
Pannonii pede trita Jani.

Expugnat altam robore militum
Badæus urbem. Fulguris in modum
Hac Simothornam victor, illac
Binabaram sibi subdit Arcem.

Quis iste? fortem num Veteranium
Agnosco rursum? num validi ducis
Cerno catervas, cerno turmas,
Innumeris gravidas tropæis?

Agnosco gentis funera Thraciæ;
Agnosco diri funera Sarmatæ;
Palmasque, victricesque lauros;
Barbarici spolia ampla belli.

Hac Scherffebergum conspicio ducem
Bello probatâ Sicliacas manu
Tendentem in arces: hac Badæo
Darda cadit superata ferro.

Fumat, Badæâ subruta dexterâ,
Superba moles, eximia, inclyta,
Esslekkerani pontis, ævi
Illud opus, labor ille, longi.

Tradit minantes nubibus arduis,
Labentis anni finis, & ultima
Huc usque belli palma, tradit
Pinigeras Capovivra turres.

Regalis Albæ jam video brevì
Muros labantes: vestraque mœnia,
Canisca, Belgradum, Sigetum,
Mox parili ruitura fato.

Habet:

Habet : peractum est. Mœnibus, Arcibus
Excedit omnis Pannoniæ Geta,
Hinc derelictis, inde captis;
Hinc profugis per aperta turmis.

Tegunt catervæ, quà patet, impiæ
Immensa glebæ jugera non suæ,
Multusque cæsorum cruore
Finitimis tumet amnis arvis.

Jam Dravus undis liberioribus,
Jam leniori murmure labitur
Tibiscus, & bello receptâ
Jura subit Tua, Cæsar, undâ.

Jam latiori grandior agmine
Superbit Ister, longius & suas
Extendit oras, quà Viennam,
Quà mediam secat amne Budam.

Levat perustum Buda caput, levat
Vienna, Thracum nuper ab impetu
Defensa Starrenbergianis
Consiliis animisque magnis.

Quantum hic Gelono diffidet (ô pudor!)
Gelonus isto, milite qui truci,
Lætaque fortuna superbo,
Cæsaream modò cinxit urbem!

Reliquit urbem Cæsaris, integram
Reliquit hostis Pannoniam Getes,
Intraque præscriptum minore
Nunc equitat vagus ille campo.

Ubique clades, innumerabilis
Ubique prædæ copia, Equi, Viri,
Hastæque, Acinacesque, & Æris,
Et rutili grave pondus Auri.

Ubique

Ubique Glandes, & Globi, ahenea
Ubique, multis fœta tonitruis,
Tormenta, Baliſtæque, & imo
Progenitus Phlegethonte Pulvis.

Cæſis, fugatis Signa Othomannidis
Derepta, Templis omnibus, ac Tholis
Affixa, tellurem per omnem
Hungaricam, Auſtriacamque, pendent.

Spectat ſuperbas lætus adoreas,
Interque palmas, & ſpolia inclyta,
Suos recognoſcens triumphos,
Vindibona ſedet urbe Cæſar.

Ante ora magni Cæſaris, ardua
Jam non minantes, jamque humili, Duces,
Pronoque ſubmiſſoque vultu,
Ordine eunt, Populique, longo.

Audit triumphos Auſtriadum, ſuas
Audit ruinas, & gravius malum,
Stragemque, fatalemque caſum
Iſmarii timet aula Regis.

Uterque lymphis Boſporus omnibus,
Hæmuſque ſummis, & Rhodope, jugis,
Murique Byzantini, & arces
Odryſii trepidant Tyranni.

En ipſe fœdis cladibus exitum,
En ipſe pacem (credite poſteri)
Lenonibuſque, nuntiiſque,
Et precibus, pretiiſque magnis,

Jam non ſuperbus, jam genibus minor,
(O Chriſtiani gloria nominis!)
Expoſcit ultro, Chriſtiano
Ille diu metuendus orbi.

Jam Cæſari atrox ille Othomannicæ
Regnator oræ, Biſtonis Auſtriæ,
Urbs alta Byzantî Viennæ,
Danubio famulatur Hebrus.

Liquit Gelonas, quas habuit modò,
Gradivus urbes, ruraque Thracia;
Domumque manſuramque ſedem
Auſtriacos ſibi legit agros.

Ducunt triumphos, uſque recentibus
Auguſta vincti tempora laureis,
Hac Cæſar, hac victor Polonus,
Hac domitis Venetus Gelonis.

Commune bellum ſuſtinet, adjuvat,
Urbs ſepticollis, quaque poteſt ope,
Votiſque, bellorumque nervo
Multiplici fovet ære Roma.

Altis Quirini collibus aureos
Deſudat imbres. Excipit, & ſuo
Mox amne devolvit ſub æquor
Auſonium Tiberinus aurum.

Quid hoc? Etruſco num Tiberi ſuas
Dat Hermus undas? Proximus an loco
Migravit, auratâque lymphâ
Per Latios Tagus errat agros?

Jam copulatos fœdere mutuò,
Jam cerno in armis ſtare Duces novis:
Jam pace, jam bello ſubactum
Cæſareo video Gelonum.

Deſcendit Arcto Ruſſus ab ultima,
Turmaſque turmis, inclyte Cæſarum,
Et pila pilis, ſigna ſignis,
Arma Tuis ſua jungit armis.

Jam

Jam jam ibit omnis Thracia ſub Tuas,
Auguſte, leges : jam Tua ſub juga,
Tuis reſervatus triumphis,
Perdomito fluet Hebrus Iſtro.

En murmurantis ſe populi minis
Subducit, arces deſerit en ſuas,
En linquit Europam Tyrannus,
En Aſiæ petit arva, Beſſus.

Sed quò ſupernâ quò rapior viâ
Canorus ales ? quo feror æthere?
Ah parce curſu, parce ventis,
Parce tuis, animoſe, remis.

Inſtat volatus mox alius tibi,
Ultraque montes, & maria, inclyta
Te poſcit Hellas, te ſuperbus
Argolicæ populator oræ.

Quin nunc paternum ruſſus ad Amſtelam
Secedis ? Iſto margine conſide
Securus ; herboſaque ripâ
Depoſitis requieſce pennis.



VENETORUM VICTORIÆ.

ODA IV.

SUſpende fluctus, ultimum & hoc mihi
Favente vati carmen Apolline
Concede, qui latè potentes
Amſtelidum lavis amne muros.

Et Tu, profundum quæ regis Adriam,
Decus Latini nominis, Italæ
Regina terræ, nata ponto,
Nata mari Venus Hadriano.

Tu clara bello, Tu calamo potens,
Et pacis artes, & ſtudia hæc colis
Amæna. Tu mundo dediſti
Naugerios, celebreſque Bembos.

Nec Tu Batavi carmina pectinis,
Vatiſque veſtro non geniti ſolo,
Puto recuſabis, meumque
Deſpicies, Generoſa, plectrum.

Non primus arces tollor in arduas
Latè patentis per ſpatium poli:
Cantove divulgove primus
Res Venetas, Venetaſque lauros.

Hoc ante Graswinkelius, Heinſius
Hoc ante, noſtri lumina Belgii,
Fecere, feliciqué niſu
Euganeæ placuere genti.

Hoc

Hoc fecit isto Gallus olor modo,
Hoc fecit ipso scilicet in loco,
Bellumque, navalemque pugnam,
Et Venetos cecinit triumphos.

Nec Te Camœnæ pœniteat meæ,
Tibi dicatum quæ, procul Adria,
Procul Timavi fonte, læto
In Batavis sonat ore carmen.

Haud jungit unum nos Tibi vinculum,
Tuæque non tam dissimilis rei
Res est Batavorum, nec urbi
Urbs Venetûm spatiosa nostræ.

Uterque ponti progenies sumus:
Uterque, spreto libera gens jugo:
Utrique sunt Signum Leones:
Ille Librum tenet, ille Ferrum.

Uterque fluctus findimus asperos,
Uterque vasto jura damus mari,
Terrasque per fluctusque, nostras
Terra timet, timet unda, leges.

Hinc evolantes sæpe Tuos sinus
Videre puppes: sæpe rates Tuas
Juvere nostræ: sæpe ponto
Ambiguam peperere palmam.

Quin nunc adeptam nuper adoream,
Toto fugatis æquore Barbaris,
Gratamur, ut nostram, Tuoque
Plaudimus, ut Batavûm, triumpho.

O imbecilli, nec validæ satis,
Si tanta voci vis foret; igneo
Huic pectori inclusus, medullas
Ardor edit mihi quantus imas,

Semota non me tot ſpatiis via,
Non ira venti, non furor Adriæ,
Non clangor armorum, cruenti
Non ſtrepitus fremituſque belli:

Non ulla tandem vocis iter meæ
Res impediret, quin procul Itala
Et æquora audirent, & omnes
Auſonii mea verba colles.

Audite, colles Auſonii, Itali
Audite fluctus: Tuque ſalo potens
Regina, cui litus Latinum,
Cui Superum famulatur æquor.

Audimur: & jam vox mea diſſitas
Perrumpit oras: atque aliquis meum
Hoc carmen ad ripam Timavi,
Aut Venetas reſonabit undas.

Audimur. Iras improbus Adria
Jam ponit omnes: jam cytharæ ſonum
Exaudit, aſſenſuque longo
Euganei ſilet unda ponti.

Sed unde laudes, unde precor, Tuas,
Tuaſve palmas ordior, æquoris
Regina magni, quove quæſo
Ore Tuos celebro triumphos?

Quæ finis, aut quod principium meis,
Quis ordo, Muſis? obruor agmine
Laudum Tuarum: nec Camœna
Digna Tuis canat ulla palmis.

Hinc urget undis Iönium ſuis,
Hinc inſtat Ægæum, hinc mare Creticum,
Hinc Iſthmus, hinc belli cruentis
Cæde vitis animoſa Sparte.

Hinc

Hinc Phocis, hinc me poſcit Achaia,
Hinc terra poſcit Palladis, hinc valens
Epirus, hinc Bœota tellus,
Hinc Zephyris animata Tempe.

O qui beatum Theſſaliæ nemus,
Pindique ſummum, Phœbe, tenes jugum;
Montemque Parnaſſum, & virentem
Perpetuis Helicona lauris:

Et vos parentis progenies Jovis,
Blandæ Sorores, quæ Clarias aquas,
Fontis Caballini liquorem
Quæ bibitis, vitreamque Cirrham:

Atlantis & tu ſtelliferi inclyte
Nepos, virorum Mercurialium
Tutela, Cyllenes nivoſo
Fuſe jugo, citharæ repertor:

Vos, oro, pugnas dum Venetûm cano,
Vicina vobis dum cano prælia,
Favete cantanti, favete,
Et Clarios aperite fontes:

Vos, vos canenti bella virûm mihi
(Vidiſtis altis vos etenim jugis)
Narrate, victricemque claſſem,
Et Venetas memorate palmas:

Aut in ſupremo Täygeti jugo
Locate ſublimem, ut Pelopis domum
Hinc univerſam contueri,
Et profugos valeam Gelonos.

Tenebat iſtas, ſæcula jam duo,
Gelonus oras: jamque diu nimis
Urbes Achivorum gemebant,
Odryſiis domitæ lupatis.

Videre Gentes imperium ferox
Latè tyranni Regis, & impium
Examen; Edonoque pressos
Servitio doluere Grajos.

Hanc sæpe gentem Cæsar, & impiger
Polonus, acres & Veneti, sua
Ivere subversum per arma,
Et variis petiere bellis.

Frustra. Amputata parte valentior,
Novaque semper clade ferocior,
Hinc urit Europam nefandis,
Hinc Asiam Libyamque, vinclis.

Nunc in propinquos Pannonas impetum
Facit protervus, nunc gravis Austriæ,
Nunc nomini infensus Polono,
Nunc Venetæ gravis hostis oræ.

Quin & catervis Cæsareos suis
Terrere muros ausus, & hanc sibi
Promittere urbem, Christiano
Excidium minitatus orbi.

Gentis furorem non tulit impiæ,
Suoque tandem vidit ab æthere
Rem Christianam, séque dignâ
Intumuit Deus ultor irâ.

Meæne, dixit, ludibrium Getis
Erunt catervæ? vinctaque compede
Per tela, per flammas, peribit
Immerito mea turba letho?

Orbísne terræ Barbarus optimis
Insidet agris? & Libyæ solum,
Grajamque Judæamque terram,
Et pedibus loca pressa nostris

Abo-

Abominandus nominis hic mei
Habebit hostis? Non ita. Surgite
Regesque Gentesque, & Gelonum,
Auspice me, renovate bellum.

Sic fatur, altum qui regit æthera.
Paret monenti mundus, & impii
In bella descendunt Tyranni
Finitimæ, mora nulla, gentes.

Æterna pangunt fœdera, mutuas
Junguntque vires Cæsar, & inclytus
Regum Polonus, fortiumque
Dux Venetûm Venetique Patres.

Nodo ligatis triplice Gentibus,
Contra scelestam Fœdifragi manum,
Gentisque perjuræ catervas,
Quisque animo parat arma magno.

Sed subjugandis ante alios Getis
Nulli secundus, proximus ut loco,
Tellure sese armat marique
In Geticum Venetus Tyrannum.

In bellum ituris dux legitur viris,
Bello valentum grande decus virûm,
Clarus triumphis, clarus ille
Egregiis Morosinus ausis.

Solvit paterni litore de soli,
Pronoque classis labitur æquore.
Implentur auris vela: motis
Hadriacum gemit omne remis.

Est in reductis Iönii maris
Zacynthus undis: litore nobilis
Portuque tellus. Deligebat
Hanc Venetis Morosinus alnis.

Venere eodem, gurgite quos ſuo
Tyrrhena miſit Tiberis in æquora,
Quos Arnus & portus Liburni,
Quos Melite generoſa, remos.

Urget catervas quiſque Ducum ſuas.
Dant vela ventis. atque aliquid Getis
Magnumque narrandumque juncta
Chriſtiadum minitantur arma.

Tremit remoto Chius in angulo,
Joviſque cunæ Creta; tremit procul
Eubœa, regnatæque quodam
Oenomao Pelopique terræ.

Cœlo minantes ecce Pylos ſuas
Jam tradit arces, & Vetus & Recens,
Nelei vetuſti Neſtoriſque,
Nunc Italûm, Venetûmque, ſedes.

Pyli ruentis murmur, & horridum
Belli fragorem litore proximo
Audit Methone; jamque cauſa,
Jamque pari ruit ipſa fato.

Pandit patentes ecce ſinus, ſinu
Celebris, ipſo nobilis & ſitu,
Methona, jam bello recepta,
Jam Veneti, velut ante, juris.

Correpta belli turbine Nauplia,
Urbs bellicoſi ſtrenua Nauplii,
Ceditque, ſubmittitque turres,
Et Veneto juga celſa ſceptro.

Nil arma poſſunt auxiliaria,
Nil ulla belli machina, nil viri,
Nil murus, & montis propinqui
Aërium, nihil unda, vallum.

Cæ-

Cæduntur hostes undique : cæditur
Ductor Geloni proximus agminis:
Terraque victa , victa ponto;
Sub dominos redit urbs priores.

Iö Triumphe ! nec semel Italis,
Iö Triumphe gentibus ! & tibi
Telluris eversor Gelonæ,
Dux Venetæ, Morosine, classis!

Quis credat? Uno quatuor oppida
Tu vertis anno. Tu Veterem Pylon,
Novamque , & invictam Methonen;
Tu validam Palamedis urbem.

Quid subjugatos orâ aliâ Getas,
Tibique partos, aut Ducibus tuis,
Narro triumphos? Testis omne,
Illyricum mihi; testis omne,

Tabo cruentum , Dalmatiæ solum:
Est tota testis Græcia ; Creticum
Est æquor , Ægæumque , testis ;
Iönium mihi testis æquor.

Jam tota, qua se porrigit, Insula
Dat bellicosi se Pelopis tibi,
Threcique subducunt volentes
Servitio sua colla Graji.

Cessit catervis , nec puduit , tuis
Nuper Corone , cessit & impotens
Tibi Theramne , cessit omnis
Leucadio sita terra ponto:

Et quæ per undas sparsa Saronicas ,
Sortita magno nomen ab Æaco,
Sese ipsa victori reclusit,
Myrmidonum genetrix valentum.

Jam cedit Argos, jam veteres tibi
Cedunt Mycenæ: proxima jam tibi
Cedit Corinthus, cedit Isthmus,
Et gemino loca pulsa ponto.

Submittit arces Sparta tibi suas:
Longéque culti finibus è soli,
Jugum Gelonorum perosæ,
Sponte tuas subiisse leges

Gaudent Athenæ: jam tibi debitum
Solvunt tributum; jam tibi debitos
Reddunt honores: jam subactæ,
Jam Venetæ ditionis, urbes.

Mox & Maleam subjicies tibi,
Leuctrumque, Patrasque, & validam manu
Trœzena, subjectamque quondam
Euganeis Epidauron armis.

Quin, ampliatis finibus imperî,
Epirus omnis, Thessalia, Attica,
Et Phocis, invictæque Thebæ,
Et Macetum generosa tellus,

Se tradet ultro. Quin geminum tibi
Se tradet æquor: totaque se tuis
Zacynthus, & Corcyra, & omne
Dulichiique Ithacæque regnum,

Naxosque, Delosque, & Chius, & Samos,
Lesbosque Lemnosque, & Parus & Claros,
Et Scyrus, Eubœæque tellus,
Et pueri Jovis aula Crete,

Submittet armis. Perge, precor, modo:
Adspirat æther, & facilem tibi
Dat aura cursum: perge tantum,
Ecce tibi favet aura, perge.

Non

Non vana canto. Proxima te vocat
Eubœa : centum te vocat oppidis
Negatque reſpuitque Creta
Iſmariis dare terga loris.

Narrat triumphos, narrat adoreas,
Suoque partas pulvere laureas,
Tellus Achivorum, tuaſque
Unanimi canit ore laudes.

Agnoſcit in te Græcia Martios,
Quos ipſa quondam progenuit, duces,
Palmaque laureaque claris
Aſſimulat tua facta Grajis.

Bello potentes te Philopœmenen
Credunt Achæi: te Salaminiæ
Credunt Neocliden procellæ;
Miltiaden Marathon valentem.

Lariſſa Achillem te putat: inclyto
Laërte cretum priſca Samos ducem:
Priſcum Argos Atriden: Lacæna
Egregium Menelaon ora.

Te Lerna, te Stymphalus, & horridæ
Silvis Cleonæ, te Nemee ſuum
Miratur Alciden, tuoſque
Herculeis Erimanthus actis

Æquat labores: te Pholoës jugum
Declive, nigri te juga Tænari
Tremunt, Avernaleſque fauces,
Te Stygii tremit aula regis.

Tu more diros Cerbereo Getas
Formidoloſæ robore dexteræ
Frangis, catenatoſque ducis
Argolica regione Thracas.

Jam jam triumphis ſerta Sacri tuis
Ligant Agones: jam Nemee tibi,
Jam plaudit Iſthmos, plaudit Echo,
Et gemini procul unda ponti.

Jam jam capillis nectit Olympicam
Tuis coronam; præmia jam parat,
Equoſque, victoreſque currus,
Et meritas tibi Piſa palmas.

Tibi corollas, pulvere cum Sacro,
Provolvit amnis; te ſtupet è ſuo
Alpheus antro; te ſalutat
Occiduis Eraſinus undis.

Te fons Charadri, te ſonat alveo
Aſopus omni, te pater Inachus,
Te flavus Eurotas, loquaci
Te vitreus ſonat amne Ladon.

Salve, tropæis inclyte bellicis,
Salve, Latini grande decus ſoli;
Terror Gelonorum, Pelaſgæ
Dulcis amor columenque terræ.

Et Tu, virorum nobilium ferax,
Manu valentum clara parens virûm,
Regina telluris Latinæ,
Hadriaci Dea magna ponti.

Tu jura terrâ, Tu pelago procul
Das jura toto: finitimæ Tuo
Undæque genteſque, & remotæ
Imperio famulantur urbes.

Tua eſt, Latino quam poſuit ſolo
Antenor urbem. Te procul Addua;
Te fons Timavi, te propinqua
Medoacus veneratur unda.

Tibi

Tibi minores Pannonii, Tibi
Porrecta latè Dalmatia, aſperi
Tibi Liburni, bellicoſa
Illyriæ Tibi ſervit ora.

Te Divam aquoſæ, Te Dominam, plagæ
Pronis adorat fluctibus Adria;
Blandumque pacatumque ſtratis
Iönium Tibi fidit undis.

Latè potentem Te Siculum mare,
Bello valentem Te mare Creticum
Agnoſcit, Ægæumque, & omni
Carpathium Icariumque ponto.

Tibi Pelaſgi, Grajaque plurimæ
Tributa pendunt per maria inſulæ:
Tu litore utroque, univerſâ
Tu Pelopis dominaris aula.

Nec ſe ulla famæ fama vetus novæ,
Ullive partis nuper honoribus
Æquent ſe honores, nec priorum
Palma Tuis alia ulla palmis.

Non, cum cruentis ſanguine Thracio
Ruberet undis, tranſtraque barbara,
Fractamque ſubmerſamque claſſem,
Æoliæ mare vidit Helles:

Non, cum Getarum carbaſa cerneret
Naupactus, omnis fugit & in Sinum
Corinthus, obſtructæque fauces
Funeribus gemuere denſis.

Laſſavit omnem Fama tubam, Tua
Dum cantat arma, erectaque nuperis
Tropæa bellis, debileſque
Continuo per inane curſu

Attri-

Attrivit alas : Nubila Te ſuper,
Vaſtique campos ætheris , aureis
Tollit quadrigis : Te per omnes
Remigio metuente ſolvi

Diſpergit oras Tu medio in mari
Fundata , Divum non ſine numine,
Ringente terra , tot per annos
Hadriaco dominaris omni.

Jam ſæcula, annis prætereuntibus,
Fluxere bis ſex integra, cum Tuas,
Ut ante Trojanas , Latini
Fluctibus in mediis profundi,

Stupente toto Nereïdum choro,
Longùm potentes Nereidum pater
Formavit arces, æquoriſque
Fræna Tibi dedit Hadriani.

Tuetur idem, qui poſuit, Tuas
Fundator arces : Te ſibi vinculo
Adſciſcit uxorem jugali
Æquoreæ moderator undæ.

Tu conjugalem, Sancta, viro fidem
Merſo quotannis fluctibus annulo
Teſtaris, & Regem marinum
Ritè dato Tibi jungis auro.

Tu temperati legibus imperî,
Tot bella contra , tot mala, cunctaque
Perdentis ævi damna , perſtas
Innumeris ſuper una ſæclis.

Te ſæpe gentes litoris Hiſtrici,
Te ſæpe gentes litoris Itali
Bello petiverunt : remotæ
Sæpe Tuam cupiere dudum

Gentes

Gentes ruinam. Tu tamen, ilicis
De more, nullis fracta bipennibus,
Persistis, & belli furentes,
Ut pelagi, superas procellas.

Tecum, Latinis edita fluctibus,
Libanda nullo tempore, substitit
Intacta Libertas, nec ullo
Succubuit temerata ferro.

Prognata Tecum, vertice quæ sui
Prognata patris, consilio & manu
Potens Virago, fida cœptis,
Fida Tuis comes illa bellis.

Hæc pacis artes Te docet, hæc graves
Belli labores: hæc proprium Tibi,
Firmumque, lapsurumque nullo
Imperium stabilivit ævo.

Per quinque tantùm sæcula res stetit
Romana; septem sæcla, Laconica:
Tu pænè bis septem superstes,
Ausonium moderaris orbem.

O Hadriano Diva potens mari,
Æterna, prudens, libera, Martia,
Ocelle telluris Latinæ,
Ausonii decus omne mundi.

Tu clara belli pulvere. Te pavent
Utroque Gentes litore: Te colunt
Regesque Cæsaresque: Grajus
Te dominam veneratur orbis.

Antiqua sese jam Pelopis domus,
Jam tota sese tradidit Insula,
Longéque jam latéque victa
Marte Tuo Tibi servit ora.

Fallor-

Fallorne? an omnis Gæcia mox Tuas,
Cervice dempto, quo premitur, jugo,
Itura sub leges? brevique
Dalmatiam sibi junget omnem?

Tu Graja dudum legibus oppida,
Grajique multas æquoris insulas,
Tuis regebas, & Pelasgis
Jura dabas populis Latina.

Quin ora sese Bistonia Italis
Subjecit armis. Te dominam sui
Videre Byzantî, fugati
Urbe sua, solioque, Thraces.

Tu dira terris nomina liberis,
Mundique natos exitio Getas
Evertis, armorumque luce
Attonitos trepidosque latè

Terres Gelonos. Culmine Te tremunt
Pangæa summo: Te tremit æquore
Pontusque Bosporusque toto:
Te refugâ tremit Hebrus undâ.

O clara palmis claraque laureis!
O major ævi dentibus invidi!
O gentis assertrix Pelasgæ!
O Getici domitrix Tyranni!

O lux potentum, gloriaque, urbium!
O vera Martis, veraque Palladis,
O vera Neptuni propago!
O Italæ Cynosura terræ!

Te terra longum gaudeat Itala
Te Graja tellus. In mediis sali
Te servet, & belli, procellis,
Ætheree Moderator oræ.

Tu vero avitas, quîs ftetit hactenus,
Defende Leges, & totidem, precor,
Quot floruifti, pluribufque,
Rem Venetam tueare, fæclis.

Tuque, eminentum gloria Principum,
Ingens vetufti gloria ftemmatis,
Juftiniane, Marte claræ
Præfidiumque, falufque, terræ.

Tu, ftrenuorum Dux Venetûm, Tuo
Juva fagaces confilio Patres,
Annofque per plures favente
Rem Venetam moderare cœlo.

Et Tu, beatæ quæ Venetûm Rei
Par es nec uno, Res Batavûm, modo,
Tellure, navalique bello,
Innumeris redimita lauris;

Par effe poffes hoc utinam modo,
Et juncta nodo, vinctaque, mutuo,
Et tempore, & annis, & ipfis
Rem Venetam fimulare fæclis.

Et Tu, Batavi grande decus foli,
Stares tot annos, urbs utinam Amftela,
In æquore Auftrali, quot illa
In mediis falis Hadriani

Duravit undis. Hoc velit Amftelæ
Fundator urbis. Conditor imperî
Hoc faxit, hoc donet, Batavi.
Id folidum mihi meta votum.

MANI-

MANIBUS FREDERICI GULIELMI MAGNI D. G. MARCHIONIS BRANDEBURGICI, S. R. I. OCTOVIRI &c. &c. &c.

ODA V.

QUi luctus; aut qui planctus ab ultima
Auditur Arcto? quis gelido sonus
Ab axe; quod ferale murmur
E media venit urbe Brenni?

In se coactis nubibus hispidus
Nigrescit æther: diffugiunt polo,
Nunquamque non visi videri
Solliciti renuunt Triones.

Suspirat imo conditus alveo
Visurgis: omni gurgite turbidus
Luget Viadrus; luget Albis;
Et querula lacrymantur unda.

Cœlo minantes urbs Berolinia
Submittit arces. Ingemit, ingemit;
Longumque dispergit dolorem
Hercyniæ per opaca silvæ.

Lugubris antris è nemoralibus
Reſpondet Echo : dant gemitum procul
Monteſque convalleſque : mœſtùm
Per Batavos ſonat aura campos.

Ergo perenni, flebilis omnibus,
Sopore vinctus nunc jacet, inclyta
Stirps illa Brenni, fama gentis,
Fama ſui, Fredericus, ævi.

Heu quantum ab Illo diſſidet Hic Viro;
Quem ſæpe belli pulvere ſordidum,
Cruore quem belli madentem
Finitimæ tremuere gentes!

Te ſenſit olim Sarmata, Te Scythes,
Te Marte claræ rura Boruſſiæ,
Te natus ad bellum Suëvus,
Te Geticus, Frederice, mundus.

Victrici inumbrat fronde Tibi comam
Polona laurus : Ferberolinia
Te cingit implicatque palma:
Te viridi Straleſunda vinclo.

Te Ruga terris omnibus, omnibus
Te narrat oris Stettinium, Tua
Aſſerta dextra: Te, recepti
Marte Tuo, memorant Boruſſi.

Te, laude ſemper laude recens nova,
Nunquam caducis veſtit adorea:
Boruſſa ramis; tot tropæis,
Tot ſpoliis gravis, ac triumphis.

Pacata Te Germania vindicem
Agnoſcit ultro. Te veteres ſuper
Extollit Heroas, novoſque:
Te ſupera locat arce Virtus.

Non ulla ſiſtunt Te juga : flumina
Non ulla. Magno Tu ruis impetu,
Per tela, per flammas, per ipſum,
Cuncta hieme glaciante, pontum.

Tu militares (credite poſteri)
Per congelatum frigore Balthicum
Ducis cohortes, territaſque
Attonitos necopinus hoſtes.

Tu, Chriſtiani nominis inclyta
Tutela, turmis auxiliaribus,
Tuaque fortuna, Tuiſque
Auſpiciis opibuſque magni

Juvas catervas Cæſaris, aſperi
Pars magna belli. Robore militum
Illius invictæ Tuorum
Mœnia procubuere Budæ.

Tu ſubjugatis Marte Tuo trucem
Nunquam exprobraſti victor adoream;
Leniſque pacatuſque captas
Reſtituis generoſus urbes.

Tu ſæva mutas tela ligonibus;
Tu pace bellum, pacis amans bonæ;
Priorque lauro, pulchriorque,
Eſt oleæ Tibi termes omni.

Tu læta terris otia Teutonis
Largiris : artes, urbibus : improbis
Meſſem colonis : æs, egenis:
Jura, foro : populo, Parentem.

Vultu benigno, lumine Tu bono,
Ad clauſa nulli limina ſupplices
Admittis exaudiſque cives,
Par populo ſimiliſque Princeps.

Tu mente pura, pectore candido,
Sola colendum mente colis Deum.
Huic nomen immortale, cunctos
Huic titulos pius, huic triumphos

Adscribis omnes. Hoc Duce & Auspice,
Tu justa pugnas sanctaque prælia;
Tendisque in hostiles catervas,
Nec gladios metuens, nec hastas.

Ad bella ituros Thracia Tu duces,
Quanquam excitatos sponte sua; Tuo
Hortaris exemplo, Tuisque
Extimulas animasque verbis.

Te corde gestans, ac monitus Tuos,
Discedit agmen, mœnia transilit,
Tuique non oblita frangit
Indomitam Tua turba Budam.

Secunda præsens bella alius gerat,
Tu vincis absens, dumque manes domi,
Foris triumphas, & Gelonas
Ore fugas animoque turmas.

Tu bella, Princeps, inter, & aspera
Virûm arma, Menti templa struis Bonæ;
Martique conjungis Minervam;
Et profugas Helicone Musas.

Te Francofurtum, gurgite proximo;
Te Mons Borussus, Saxaque Regia;
Te Teutoburgum, Cliviæque
Munificum celebrant Camœnæ.

Tu Vasa, Gemmas, Signa, Numismata,
Tu mille passim & mille volumina
Inquiris usque colligisque
Magnifico potiora sumptu.

O laude, Princeps, inclyte bellica!
O Christianis inclyte laudibus!
O litterarum! longiore
Digne colo, niveoque filo!

Rerum Parenti visum aliter Deo.
Nempe est eundum, cum-vocat. Illius
Cedis voluntati, Deoque,
Quod dederat Deus ante, reddis.

Tu mortem eodem lumine conspicis,
Quo Ductor hostem; non timidus mori;
Turbamque circumstantem, & omnes
Morte doces moribundus, ipsam

Sprevisse mortem: quam penitus nigro
Damnavit Orco, qui prius, innocens,
Salute pro nostra, nefandam
Ipse obiit subiitque mortem.

O omne vitæ per spatium Tuæ,
O morte clarum! Fortis & impiger,
Utque imperatorem decebat,
Stans moreris, Frederice Princeps.

Relinquis arcem Tu Beroliniam,
Relinquis urbem: sed simul & Tui
Magnumque, mansurumque, linquis
Civibus ac populis amorem.

Te tota flet Germania: maximus
Te plangit undis Danubius suis:
Te Mosa, Te Rhenus bicornis;
Te Batavi lacrymantur amnes.

Te militaris, civica Te cohors,
Te plorat omnis Pieridum chorus:
Te plorat ipsa dissolutis
Relligio, Pietasque, vittis.

Moe-

Mœret peremptum præ reliquis Patrem,
Quem major urit, quem propior dolor,
Hujuſce ſolamen doloris,
Digna ſuo Genitore Proles.

Hic mente, Princeps, Hic animo Tuus,
Cœloque lapſi viribus ingenî,
Te digna molitut, paratque
Regifico Tibi buſta ſumptu.

Dolore ſciſſis veſtibus in Tuo
Procedit omnis funere civitas;
Duceſque militeſque verſis
Exequias comitantur armis.

Longo ſequentum duceris agmine
Ad deſtinatum Principibus locum,
Sedeſque Majorum ſuperbas,
Marmorea tumulandus urna.

Te tollit urna, qua licet; omnium
Per ora ſpargit Te Soboles Tua;
Tuaſque virtutes per orbem,
Per populos jubet ire cunctos.

Obliviosō Te tumulo eripit,
Quæ ſola fortes carmine Pieris
Æternat Heroas, ſuiſque
Nobilium monumenta chartis

Signat Virorum. Surgite, ſurgite,
Novem Sorores: tendite barbiton;
Patremque, Vindicemque veſtrum,
Quo meruit, celebrate cantu.

Vos eruditum dicite Principem:
Vos ſempitetnis tollite laudibus,
Virtutis hæredem Paternæ,
Compoſito Genitore, Gnatum.

FREDERICO TERTIO, MARCHIONI BRANDEBURGICO S. R. I. OCTOVIRO,

Cæſaris Inſula expugnata.

ODA VI.

INvicta Brenni Progenies, Patri
Par, Gnate, Magno; pectore enim Tuo
Spirare virtutes Paternas
Fatidica cecini Camœna

Non vanus augur. Tu placidas foves,
Ut Ille, Muſas: Tu colis aſperum,
Ut Ille, Martem; ſubruiſque
Cuncta Tuis metuendus armis.

Teſtis mearum Cæſaris Inſula
Sententiarum: præter euntibus,
Rerum ille ſpectator Tuarum,
Teſtis aquis, fideique digno

Rhenus fluento. Marte ſimillimum,
Tuique veram Te ſobolem Patris,
Haud laudis ignarus Paternæ,
Veridico probat amne Rhenus.

Urbem occuparat Cæſaris arduam
Ferocientis militiæ manu,
Ridente Fortuna ſuperbus,
Jura negans ſibi nata, Gallus.

Cin-

Cingebat illam milite, machinis,
Omnique belli robore, Mars Tuus.
Fruſtra. Reſervatur domanda
Illa Tuis, Frederice, palmis.

Relinquis oras, nec mora, patrias,
Longoque tractu diſſita tranſvolas,
Ut fulgur, ut princeps volantum
Præcipiti Jovis ales Æthra.

Læta ut cupitum caſtra vident Ducem,
Majore niſu quiſque ſuæ palam
Dat ſigna virtutis, ruitque
Per medios animoſus ignes.

Ducit volentes ipſe volens ſuas
In arma turmas, moenia circuit;
Spectatque colluſtratque Princeps
Præpetibus loca cuncta plantis.

Succedit urbi protinus hoſticæ,
Altamque nimbis undique ferreis
Oppugnat arcem: primus ipſe
Urget opus, reliquoſque juſta

Accendit ira. Mille ſupervolant
Hinc inde glandes: mille minantia
It tela contra; jamque inermem,
Jam trepidam fugat enſe Mortem.

Opponit armis arma, viros viris,
Germana turmis agmina Gallicis,
Suos fatigatis: cruentus
Funeream dolor implet urbem.

Quacunque vertas lumina, plurimi
Rotantur ignes, plurima fax domos
Incendit: horrendo tumultu
Cuncta ſonant, gemituque longo.

 Lux

Lux quarta nondum fulserat, impetu
Cum fractus hostis continuo, Tuis,
   Dux magne, succumbit sub armis,
      Et domitam Tibi pandit urbem.

Excedit agmen: mœnia copiis
Relicta supples Tu melioribus;
   Victisque de Gallis triumphum
      Victor agis, Frederice, primum.

Salve, Deorum germen, & æmula
Nulli domando Progenies Patri:
   O clara Germani propago
      Sanguinis, Auriacæque gentis!

Proludit ista scilicet hoc Tibi
Campo legendis laurea laureis:
   Hoc nempe majores triumphos
      Fata dabunt, aliasque multo

Illustriores, Victor, adoreas.
Tu perge tantum, perge age, quo Tua
   Fortuna, quo virtus Parentum,
      Quo Tua Te jubet ire virtus.

Te militari pulvere sordidum,
Clarasque belli primitias Tui,
   Horisque tam paucis subactam
      Attonitus stupet orbis urbem.

Immensum honori, qua sit iter, novo,
Pulchrumque monstrat Gloria tramitem:
   Mox Rhenus omnis liberatas
      Ense Tuo Tibi sternet undas.

Se debet armis, nec negat hoc, Tuis;
Debet, soluto quod suus alveo,
   Fractisque Gallorum catenis,
      Cliviacos secat amne campos.

Agno-

Agnoscit illud Clivia, proximo
Agnoscit illud rure Batavia,
O grande nostrarum, Tuarum
Grande decus columenque rerum!

His macte, Princeps, macte laboribus;
Mundumque, Ductor Martie, cum Tuo
Partire Cognato. Britannos
Ille, Caledoniumque vindex,

Contra ingruentes Borbonii minas,
Tuetur orbem: Tu propius Tuis
Defende Germanos catervis;
Tu socios tueare Belgas.



O D A
GRATULATORIA,

Cum in Angliam trajecisset
Augustissimus ac Potentissimus
REX BRITANNIÆ
GULIELMUS.

ODA VII.

SUme nunc, Clio, citharam, novumque
Lesbio carmen modulare filo:
Inter applausus populi utriusque
Turpe silere est.

Plaudit Heroï populus Britannus,
Plaudit Heroï populus Batavus,
Plaudit invicto mare Gulielmo
Omnibus undis.

Vexit Hunc fida mare nuper aura,
Vexit armatas Batavûm carinas,
Et procellarum per acuta fracto
Detulit æstu.

Ilicet jussi posuere venti,
Concidit toto salis ira ponto,
Et Duci coelum Batavo, suusque
Annuit Eurus.

Expli-

Explicat, nullo prohibente, cunctas
(Quanta vis fati!) peditum catervas,
Explicat turmas equitum Britanno
Litore Princeps.

Oppidis, campis, domibus relictis,
Virgines lætæ, cupidæque matres,
Et viri passim, juvenesque, & omnis
Advolat ætas.

Gentis extemplo Batavæ maniplis
Quisque se jungit: citiusque voto
Occidentalis regio coruscis
Fulget in armis.

Crescit Hollandi Ducis agmen, ingens
Crescit adscitis velut amnis undis,
Monte vel lapsis nivibus, tepente
Vere solutis.

Impigro Ductor quatit arva gressu:
Regius linquit sua signa miles:
Nocte Rex aulâ fugit, abdicato
Cum lare Regno.

Intrat augustam Gulielmus urbem,
Civium vectus manibus; Britannæ
Gentis assertor; sine cæde, & ullo
Sanguine, victor.

Illico è cœtu vocat universo
Ordinis primos utriusque Patres,
Remque componit stabilem, nec unquam
Mobile Regnum.

Grandibus victi meritis, suisque
Legibus, Sacris, sibi restituti,
Digna persolvunt Patriæ Parenti
Præmia cives.

Et

Et quod his tantis meritis, quod illi
Præmium dignum ſatis eſſe poſſit?
Eſt honor vilis nimium ipſa palma,
Ipſaque laurus.

Ambiat fulvum caput illud aurum,
Et micet vinclo pretioſiore;
Regium cingat diadema claris
Regibus ortum.

Audior: Regis diadema, ſceptrum
Regium, & regni regimen Britanni,
Triplicis regni regimen, dat uno
Albion ore.

Suſcipit Regni moderamen illa
Qua manu Regnum aſſeruit, ſuumque
Lege Naturæ, validaque dextra,
Induit oſtrum.

Additur Regis lateri, coronâ
Regiâ dudum ſolioque digna;
Sanguinis pridem, thalamique Conſors,
Nunc quoque Regni.

Principem Princeps Mariam ſacrato
Collocat Regum veterum ſedili,
Inque Majorum Proavûmque Nuptam
Sceptra reponit.

Gaudet aſſerto populus Senatu,
Reddito gaudet populo Senatus,
Tamque præclare meritum Anglicanus
Orbis adorat.

Rege cum ſancto redit ipſa rurſum
Sanctitas iſtis Pietaſque, terris;
Et Fides & Fas modo derelicta
Templa reviſunt.

Ur-

Urbium plausu strepit æthra longo,
Læta vicinos ferit aura montes,
Verbaque & voces hominum jocosa
Reddit imago.

Rector undosi Tamesis fluenti,
Dum secat latam spatiosus urbem,
Gaudio exultat, tremuloque crispat
Flumine fluctus.

Ille Victoris, quibus ille cunque
Labitur terris, loca per remota,
Nomen invictum sonat, & marinas
Edocet undas.

Nuntio læti salit unda ponti,
Garriunt fontes, trepidantque rivi,
Nec capit ripam super evagantes
Alveus amnes.

Principi plaudunt loca cuncta: Solus
Ipse, cui plaudit manus omnis, omnem
Spectat hanc scenam sapiens eodem
Pectore & ore.

Non tumet rebus nimium secundis;
Fortis adversis. Bene temperato
Unus atque idem est animo, suusque
Sorte in utraque.

Sentit hæc Victor tamen ipsa, sentit,
Nec sibi quicquam, fragilique dextræ,
Arrogat Princeps, meritoque grates
Reddit Olympo.

Regis in terris titulum, benigni
Ætheris, Regno ac sibi consulentis,
Munus agnoscit, superique Regis
Nobile donum.

Ser-

Servet hanc mentem Tibi, magne Princeps,
Qui dedit. Sic Te juvet Ille; fic Te
Vindicet: longum Tibi fic, Tuæque,
Proroget aevum.

Serus in ſtellas abeas, diuque
Conjugi caræ populoque vivas:
Te caput cœlo levet Anglicana
Soſpite tellus.

Floreat Regno procul exulare
Juſſa Libertas, reduceſque rurſum
Floreant Leges, & avita gentis
Jura Britannæ.

Gaudeat vinclis Pietas ſolutis,
Rideat toto vigeatque ſæclo
Fauſtitas, & Pax, & amica pleno
Copia cornu.

Interim, ſi quid loquor audiendum,
Si memor noſtri, Gulielme, vivis,
Reſpice interdum Batavos, amatas
Reſpice terras.



IN

IN FOEDERATORUM REGUM & PRINCIPUM APPARATUM BELLICUM.

ODA VIII.

QUem Virum, Virgo Mitylena, quemve
Principem, fama meritisque clarum,
Lesbiis sumo fidibus, tuoque
Dicere plectro?

Terret Europam Lodovicus omnem:
Ire in adversum parat orbis hostem:
Plurimus terra pelagoque passim
Advolat Heros.

Cuncta Germanæ decora alta gentis
Hospitis magni subeunt penates.
Excipit Regni Proceres amico
Haga recessu.

Ipse Legatos, comitemque turbam,
Mittit Augusta Leopoldus urbe,
Et modo ad Rhenum, modo rursum ad Istrum,
Fulminat armis.

Dat brevem fractis requiem Gelonis
Bavarus, gentis domitor cruentæ,
Eque Germanis properus Batavas
Tendit in oras.

Hac Moguntinus furit; hac Colonus;
Hac movet dirùm Mimigarda bellum;
Hac ruit Saxo, rotat & coruſcum
Impiger enſem.

Armat invictum Fredericus agmen,
Martii proles generoſa Brenni,
Et Moſæ ripam, bifidaſque Rheni
Aſſerit undas.

Undique excitas rapit ira gentes:
Tollit undoſo caput Albis antro:
Spumat ad belli ſonitum Viſurgis,
Amiſiuſque.

Militum robur, validaſque turmas,
E ſua mittit regione Danus;
Mittit & Suecus; gelidique vibrant
Arma Triones.

Ardet Hiſpanum, renovatque vires
Belgium: toto fremit amne Scaldis:
Et mares ignes animoſque miles
Sumit Iberus.

Occupat valles, patrioſque montes,
Allobrox; duro genus acre bello;
Inque ſubjectos nivibus geluque
Detonat hoſtes.

Æſtuant imo maria alta fundo,
Nec minus terrâ pelagus laborat,
Dum vehit dorſo gravidas minanti
Ære carinas.

Ducit ultrices animoſus alnos,
Nil minor magno ſoboles parente,
Trompius; ponto ſatus, & furente
Editus unda.

Rem juvant noſtram pariter, ſuamque,
Sanctius juncti Batavis Britanni.
Labitur prono volitatque ponto
Utraque claſſis.

Martis examen tenet univerſi
Maximus Regum Gulielmus : unus
Omnem hic Europæ, pelago atque terra,
Temperat orbem.

Spernit inſani rabiem profundi,
Et gelu clauſum pelagus recludit,
Victor & ponti, mediaque bruma
Trajicit æquor.

Conſulit nobis ſimul, omnibuſque,
Remque communem moderatur, urget,
Agminis magni, variique, dux, &
Summa futurus.

Quantus ô terrâ modo, quantus alto,
Decidet nimbus! Video rubentes
Cædibus campos : video rubentem
Sanguine pontum.

Magne terrarum pelagique Rector,
Da bonæ tandem ſuperare cauſſæ,
Quique pro cauſſa meliore juſſus
Arma capeſſit :


Dumque per vaſtos ſua Regna fluctus,
Et ſibi caros repetit Britannos,
Soſpitem ſerva, reducemque terris
Siſte Batavis.

ODARUM

LIBER SECUNDUS.

MANIBUS NICOLAI HEINSII.

ODA I.


Ugete, Muſæ : demite crinibus
Nodum ligatis: dicite lugubre,
Sed quale dixiſtis nec ante,
Heinſiada moriente, carmen.

Veſter ſacerdos, veſter honos Deæ,
Magno parenti par ſoboles, jacet:
Decus Poëtarum recentum;
Lux veterum columenque vatum.

Plorat peremptum Pierius chorus,
Quos ille multi viribus ingenî,
Quos ille de chartis vetuſtis
In ſuperas revocavit oras.

Per hunc decori reddita priſtino
Hennæa cultu virgo nitet novo,
Qualisque Pergæis in arvis
Tænario placuit tyranno.

Se pulchriorem ſpectat Iaſonem
Medea; ſuccis longe aliis ſenex
Flaveſcit Æſon : ſplendet auro
Phaſiacum meliore vellus.

Strin-

Stringit Poëtam qua solita est manu
Corinna, longùm pro nimis exulem,
Tomisque jam tandem relictis
Ad patrios reducem penates.

Revisit Urbem, nullo iterum die
Exterminandus. Quassat Amor facem;
Tutusque maternas Cupido
Per Latium profitetur artes.

Sumunt figuras cuncta simul novas
Mutata rursum corpora: suavius
Ad æquor Euxinum Latinus
Ore canit moriente cycnus.

Audit canentem Pontus, & omnibus
Applaudit undis: dulce viri melos,
Notamque jam dudum Camœnam
Attonita bibit aure Tibris.

Sedet beato margine Tityrus,
Magisque tersa carmen arundine
Recensque compacta cicutâ
Per Latios modulatur agros.

Rident colono pascua Tityro:
Dat lætiorem jam segetem Ceres;
Minerva baccam; Bacchus uvam:
Cuncta suis viret herba campis.

Quin ipse terram Dardanus Italam
Dum calcat heros, nunc oculis deam
Spirat parentem, nunc honores,
Nunc rutilas vomit ore flammas.

Agnoscit illum Mater, & omnium
Germana fratrum turba Cupidinum:
Agnoscit Augustus; sacroque
Aonias bibit ore lymphas.

Redit Catulli carmine Lesbia,
Redit Tibulli carmine Delia,
Primique ſucceſſor furoris;
Callimachi redit ignis Umbri.

Et qui, Latini pectinis arbiter,
Modos Pelaſgum carmen ad Italos
Deduxit, & Dirces olori
Par ſuperas petit ales auras.

Et quo ſuperbit nomine Corduba;
Et quo ſuperbit nomine Bilbilis;
Qui bella Magni, bella Divi, &
Fœdifragi canit arma Pœni.

Quò me Lucreti, quò rapis Auſoni?
Quò culte Stati? quò, ſuperûm choro
Dilecte Manili? tuæque
Grande Decus regionis Enni?

Omnes Parentis fata dolent ſui,
Communis omnes fata Machaonis,
Virtute miranda tenebris
Expliciti Phlegethôntis imis.

Priſcis nitorem vatibus Heinſius,
Artem Latini carminis Heinſio
Vates vetuſti, limpidoſque
Caſtaliæ tribuere fontes.

Fides mearum certaque veritas
Sententiarum, qui maris ultimos
Terræque fines, omniumque
Pervolitat Liber ora vatum.

Famam Poëtæ quique habeant ſuam,
Suaſque dotes: dicere ſpiritu
Amæna magno, florideque;
Eloquii decor Heinſiani eſt.

Ubique pulcher, lacteus, aureus,
Undante vena labitur Heinſius:
Ut monte celſo lapſus amnis;
Ut vitreus per aperta rivus.

Nunc regis altam Borbonii domum;
Nunc Marte claræ bella Bataviæ,
Angloſque devictos; opima
Nunc Italæ canit arva terræ.

O Hadriani Diva potens maris!
O blanda gentis Mæoniæ juga!
O urbs Quirini! o benigna
Parthenopes Capuæque rura!

Spectare veſtras mî videor domos,
Monteſque valleſque; & jam maris otia
Pacemque Tyrrheni tueri,
Jam mediis habitare ſilvis.

Valete turres, tectaque; Patrii
Valete campi: me nemus avium;
Me rura, me colles Latini,
Me Latiæ rapuere lymphæ.

Superbientes hîc Atheſis pater
Provolvit undas: hîc Phaethontides
Electra deſtillant ſorores:
Hîc placida fluit Arnus unda.

Hîc tortuoſis flexibus & viis
Tyrrhena Tibris jugera dividit:
Hîc arva Campanis Latina
Pacifico ſecat amne Liris.

Luſtrare montes ut Latios juvat!
Ut clara gentis rudera Dardanæ!
Interque majorum ſepulcra
Compoſitam media urbe Romam!

In parricidæ Telegoni jugis,
Ramosve ſacræ ſubter Ariciæ,
Denſave Tiburni ſub umbra,
Ad gelidas Anienis undas,

Aut ad ſonantes Albuneæ domos,
Jucunda capto frigora; languidos
Dum ſuadet invitatque ſomnos
Herculei grave murmur amnis.

Circæa ſpecto nunc viridaria;
Nunc temperatæ rura Dicarchidos,
Sinusque Bajanos; opacum
Fatidicæ modò vatis antrum:

Heroïs & quo Dardanii loco
Annoſa nutrix & tubicen jacent;
Cœloque confiſus ſereno
Et dubiæ Palinurus undæ.

Jam Formiarum mœnia me trahunt;
Jam ſumma Gauri, ſummaque Maſſici;
Jam rura Surrentina, pulchri
Jam rapiunt juga læta Veſvî.

Salve beatum Parthenopes ſolum:
Salvete blandi litora Nerei
Longoque vernantes honore
Pauſilypi, mea cura, colles.

Errare veſtris ſub foliis libet,
Inter patentes & platani comas,
Mirtosque fragranteſque lauros,
Ambiguos agitare greſſus:

Nunc ad ſacratum Virgilio jugum,
Summoque natam marmore lauream;
Nunc ad Maroneo propinquum
Ingenioque locoque buſtum.

O urna

O urna magni Musâque Virgilî!
O docta vatis Sannasarî cinis!
O frondis æternæ vireta!
O niveæ juga Mergilinæ!

Repente cœli me per inania
Dilecta vobis sistit ad æquora,
Me montis in vestri latebras
Heinsiacæ rapit aura Musæ.

Sed quæ, Latino dum feror æthere,
Diffusa toto tristè sonant polo
Lamenta? quo pulsi fragore
Ausonii gemuere montes?

Fallorne? mœstis Ausonis an modis
Suum Poëtam luget, & Heinsium
Collesque suspirant ademptum
Italiæ, geminumque litus?

Multus Latinis montibus it dolor,
Multus Quirini: culmine de tuo,
Regina terrarum, volutis
Auget aquas Tiberinus undis.

Admugit Arnus, Liris, & Aufidus;
Admugit imo conditus alveo
Sebethus, horrendumque murmur
Vorticibus furibundus atris

Ciet Vesevus. Litore proximo
Sacrum Poëtis Pausilypus caput
Quassatque, marcentesque luctu
In lacrymas rubet ire lauros.

Vatis Sibyllæ nil nisi flebile
Responsat antrum: nil nisi flebile
Per stagna, per lucos Averni
Finitimis sonat aura campis.

Vicinus illum de tumulo ſonum
Miſenus audit ; corripit & tubam
Juxta jacentem : luctuoſo
Elyſium gemit omne cantu.

Lugete colles, & vaga flumina,
Lugete fontes, & nemora, & lacus,
Mirtique, laurique, & dolentes
Cum ſocia Cypariſſe taxo:

Et vos amictæ cortice populi
Nunc largiores volvite lacrymas,
Novoque tabentes dolore
Eridano Venetoque luctum

Narrate ponto. Tuque doloribus
Da fræna juſtis, jugera qui Pado
Propinqua regnas, grande Tuſcæ
Coſine decus Medicæ gentis:

Tuque ante ponti gloria Balthici,
Nunc lumen ingens famaque Romulæ
Chriſtina terræ, funde quæſo,
Funde tuo lacrymas Poëtæ.

Tuque, o perempto vix tuus Heinſio,
Dignas amico da lacrymas tuo,
Planctusque ſingultusque longos,
Angariæ Paderæque Præſul.

Audimur : ingens montis ab arduo
Prorumpit imber Neuhuſii jugo,
Planctuque ſingultuque longo
Angariæ ſonuere colles.

Reſpondet undis, qua patet, omnibus,
Totoque luget gurgite Sequana;
Multoque perculſæ dolore
Pariſiæ gemuere ſilvæ.

Sed

Sed una vatem præ reliquis ſuum
Suſpirat imo corde Batavia;
Largasque Lugdunum profundit
Aonio lacrymas alumno.


Hæc ora magnum protulit Heinſium,
Hæc ipſa, quondam quem genuit, tenet,
Duosque concluſos in uno
Heinſiadas tegit urna buſto.

Paſſis ſepulcro crinibus adſident,
Fletu ſepulcrum luctiſono rigant
Ex æde vicina Sorores,
Et poſita Dea docta parma.

Vultus ſerenos & jubar aureum
Sub frontis atris nubibus occulit
Lugubris, in terramque fixo
Ad tumulum ſedet ore Pæan.

Quo, Muſa, tendis? parce, precor, precor;
Ah parce, culpa deterere ingenî
Laudem Heinſianam, totque dotes
Exiguo tenuare plectro.

Tu nomen illud nobile, tu ſacras
Hic conditorum relliquias virum
Tecum ipſa mirare, & ſub iſto
Quod tegitur, cole muta, ſaxo.



IN NUPTIAS JOH. VOLLENHOVII & CATHARINÆ ROSEBOMIÆ.


ODA II.

BEatus ille, qui potentum limine,
Forique jurgiis procul,
Vitam erudito tranſigit ſilentio,
Curis ſolutus omnibus.
Non ille Lydî regis immenſas opes
Componat ingenî bonis :
Nec invidenda Principum palatia
Mutet penatibus ſuis.
Ergo aut quietem lectulo doctam petit,
Et mente, quò lubet, volat:
Aut inter ævi priſtini volumina
Suo in cubiculo ſedet ;
Quosque ora Graia, quos Latina protulit,
Evolvit improba manu :
Aut in remotis oppido ſeceſſibus
Indulget otio ſacro.
Libet ſub altis arboris nigræ comis,
Jacere per gramen libet ,
Dum voce mulcent garrulæ ſilvas aves,
Dum lenè murmurant aquæ.
Nunc ſeparatum fertur in Pindi jugum,
Parnaſſiumque verticem;

Multoque fontis rore Caſtalii madens
Novem litat ſororibus;
Nunc ſanctiore mutat hæc cacumine,
Et collibus, Bethle, tuis.
Calcat Sionis hîc beatum verticem,
Tritumque Jeſſidæ jugum.
Hîc ora lymphis irrigat perennibus,
Vivaque Siloës aqua.
Quis, inter hæc, hujuſce vitæ tædii
Non omnis obliviſcitur?
Quod ſi pudicam juverit conjux domum,
Dulcesque patri liberos
Fæcunda mater divite effundat ſinu,
Magnum patris ſolatium.
Rediſſe quis non ſæculum Rheæ putet?
Quis hoc beatior viro?
Te, Vollenovi, te beata ſors, tuam
Sors iſta jam domum manet.
Intrabit ædes, dulce quæ nomen roſæ
Roſebomio debet patri,
Roſæ decorem mollibus ſpirans genis,
Et purpurantibus labris.
Penſabit illa conjugis cariſſimæ,
Quod paſſus es, damnum grave:
Tori prioris educabit liberos,
Tuosque cenſebit ſuos:
Et auſpicato facta mater ſidere
Te prole ditabit nova.
Apponet illa, terra quicquid ubere
Vicina glebâ proferet:
Quicquid benigno proximum ſinu mare,
Lituſque Sceveriniùm:
Vel de tuo, vicinitate proximo
Dapes inemptas hortulo.

Heic

Heic illa cari comparis claudet latus:
Heic ambulabitis ſimul.
Heic illa cantus audiet tuos, tuis
Pellecta dudum cantibus.
At cum ſerenos bruma mox inſtans dies
Toto fugaverit polo,
Fovebit igne blanda te conjux ſuo,
Durumque leniet gelu.
Foco adſidebis illius ſtructo manu,
Brumamque ſenties minus:
Veneriſque Nato aduſtus, & Veneris viro,
Flamma calebis duplice.
O te venuſtum, terque felicem & quater,
Cui moribus conjux bonis,
Tuisque Muſis moribusque congruens,
Cœlo favente, contigit!
Tibi beati nempe decurrent dies
In mutuis ſermonibus:
Noctes beatæ nempe decurrent tibi
In mutuis complexibus.
Me tam beatum ſi qua fecerit virum,
Sperare nil ultra velim.



JOHANNI HUDECOPERO,

MARSEVENIO,

&

MARIÆ TEMMINGIÆ,

Sponſo Sponſæque

FELICITER.

ODA III.

DUcit ab illuſtri deductam ſtirpe puellam
Illuſtri genitus domo.
Quid mirum? Divum Deus eſt Amor. Urit & ipſos,
Et quantum eſt hominum, Deos.
Uritur Idalio nunc Marſevenius igne,
Clari progenies patris:
Carpitur hoc ipſo Temmingia, carpitur, igne,
Nympharum Amſtelidum decus.
Spargite, quos ſubmittit humus fæcunda colores,
Non parca, Juvenes, manu:
Carpite odoratos in ſerta recentia flores,
Docto pollice, Virgines.
Poſcit odoratos flores Temmingia, poſcit
Hos Marſevenius ſibi;
Virginei flos illa chori Temmingia, noſtri
Flos Marſevenius chori.
At tu, tam caſtæ nutrix pulcherrima flammæ,
Arces deſere Cyprias.

Duc

Duc tecum facilesque Jocos, Charitasque decentes,
Blandis non sine Risibus.
Duc tecum Puerumque tuum, Puerique sodalem,
Quem poscunt thalami, Deum.
Alma veni Cytherea, veni formose Cupido:
Hymen, dulcis Hymen, veni.
Tuque tori custos genialis, & inclyta præses,
Præses connubii Dea,
Huc ades, & vultu Sponsum Sponsamque benigno,
Juno respice Pronuba:
Postque novem menses iterum, totidemque renatæ
Rursum cornua Cynthiæ,
Seu Juno, seu tu mavis Lucina vocari,
Faustis ominibus redi.
Hæc ego: concussit lymphas assensibus omnes
Undarum viridum pater:
Promisitque diem lætum, longosque nepotes
E Marsevenia domo,
Qui ritu Genitoris, Avi qui more, beatum
Permessi laticem bibant,
Augustæque terant urbis Capitolia, claris
Dudum trita parentibus.
Eveniant: Et te primum, spes, Jane, tuorum,
Patris delicium tui,
Natos deinde tuos, & qui nascentur ab illis,
Spectet Curia Consules.



AD

AD

PETRUM BERNAGIUM

&

ELISABETHAM NUNNINGIAM,

Sponſum Sponſamque.

ODA IV.

O Te felicem Bernagi, cujus amore
Viciſſim amata carpitur!
Cujus in amplexus ibit Nunningia, caro
Futura mox conjux viro!
Magna Puellarum tu gloria, tuque virorum,
Salvete, conſortes tori.
Vos ſincerus amor, vos longo tempore paſtus,
Longoque paſcendus, ligat.
Nobile par, animoque magis, quam corpore, junĉti,
Soloque ſexu diſpares,
Vivite concordes, multumque extendite in ævum
Utriusque fortunam domus;
Quodque dedit cœli clementia, quodque datura eſt,
Gaudete porro gaudium.
Creſcat in immenſum; plures ceu crevit in annos,
Hæc flamma, dum fiat cinis;
Et, quantum vitæ, tantum veſtro addat amori
Amoris Auĉtor illius.
O fortunatum te conjuge; teque, marito!
O vinculo nexos pari!

O ſem-

O ſemper vigiles ignes! O mutuus ardor!
O ſorte ſors prior mea!
Dulcius in terris, nec quicquam optatius, illo
Mortale nil habet genus.

JOHANNE SIXIO
CONSULE.
ODA V.

TAndem digna ſuis & debita præmia Muſis
Conſul reportat Sixius.
Ya pater, Tuque Amſtelidum qui mœnia leni
Lambis ſecaſque murmure,
Fluctibus auguſtam majoribus ite per urbem,
Urbem regente Sixio:
Et vos, o Muſæ, Tuque o Latonia proles,
Sacri repertor carminis,
Aurata lætum teſtudine dicite carmen,
Declive per Pindi jugum.
Vos coluit primis, vos ille virilibus annis,
Vos ille jam ſenex colit,
Et quicquid ſupereſt Patriæ poſt commoda vobis
Id omne temporis dicat.
Aonides gaudete Deæ, gaudete Poëtæ;
Gaudere vos Conſul jubet.
Optima ſperemus nunc omnia: Conſule vate,
Sperare nil fruſtra licet.

IN STEPHANI MORINI DE LINGUA PRIMÆVA COMMENTARIUM.

ODA VI.

EXhibet hic priſcas, ipſaque ab origine ductas,
Deo ſacratæ Litteras Linguæ Liber:
Quas neque naufragium mundi commune prioris
Delevit, undis obrutas fatalibus:
Sæva nec Ægypti rabies, Phariique tyranni
Immitis illa pertinaxque ſervitus:
Non Babyloniacus carcer: non arma Quiritum,
Urbiſque victor, Urbis everſor, Titus:
Non variæ rerum facies; terraque marique
Tractus per omnes fœda diſſipatio.
Durat in hoc ævi, nec tempore deſiit ullo,
Hora nec ulla deſinet, ſermo ſacer.
Gratia magna tibi, Normannæ gloria gentis,
Decuſque noſtræ jam, Morine, Belgicæ.
Hos tu theſauros aperis, hæc abdita pandis,
Deique ſcriptas dextera refers notas.
Utque homines primum duxiſti nuper in Hortum,
Sic nunc Parentis Litteras primi doces.
Quid precer? Hoc ipſo quondam ſpatieris in Horto;
Iſtaque magnum concinas Lingua Deum.

NATALIS CHRISTI.

ODA VII.

QUæ miracula ſæculis,
Non audita prioribus,
Nullis cognita mentibus,
Hic rurſum renovat dies?

Alto lapſus ab æthere
In terras humiles Deus,
Matre è virgine naſcitur,
Mortalis ſimul & Deus.

Cœli conditor ardui
Cœli gloria, vilium
Septus tegmine frondium,
Abjecto in ſtabulo jacet.

Vinctum ſindone candida
Inter candida brachia
Cœli depoſitum tenet
Et virgo ſimul & parens.

Miratur Puerum ſenex,
Miratur Puerum Parens,
Magni progeniem Patris,
Æterno genitum Deo.

Salve, nate Deo, tui
Salve ſpes populi, Puer;
Lux certiſſima Gentium;
Humani generis ſalus.

Omnes unius impio
Gentes crimine perditas,
Humanumque genus reum
Rerum viderat arbiter.

Poſcit

Poſcit ſupplicium grave,
Vindex nequitiæ, Deus.
Hinc ſtat Juſtitia, hinc Amor:
Hic pacem petit, hæc necem.

Has inter mediam optimus
Judex ingreditur viam.
Sontes ſupplicio explicat:
Inſonti exitium parat.

O clementia Numinis!
O magni bonitas Dei!
Nos ut liberet, unicam
Pro nobis ſobolem necat.

Noſtro corpore, & artubus
Se mortalibus induit,
Noſtrum ut ſupplicium ferat,
Hoc ipſo genitus die.

Ut ridet roſeis labris!
Parva ut brachia porrigit!
Caræ Matris ab ubere
Ut nectar niveum bibit!

Mox natale Puer ſacris
Calcabit pedibus ſolum,
Judæamque perambulans
Factis clarus erit ſuis.

Illum viribus inclytum,
Et virtutibus entheis,
Vicini populi colent,
Vicini populi canent.

His firmos tribuet pedes;
His firmas tribuet manus,
Linguam, lumen, & aurium
Illis reſtituet ſonum.

Quin & juſſa cadavera
Buſtis exilient ſuis :
Quin & Pontus , & aſperi
Deponent rabiem Noti.

At non & populi trucis,
Vento ſævior & mari,
Deponit rabiem furor,
Cœco fervidus impetu.

Et verbis ſimul , & manu,
Tot virtutibus inclyto ,
Tot claro meritis , necem
Intentat Solyme Viro.

O ſententia vindicis
Clementiſſima judicis !
Mundi crimen ut expiet ,
Mundi victima fit Deus.

Pro mortalibus impiis
Impendit ſobolem Pater ,
Et pro ſontibus innocens ,
Illi ne pereant , perit.

Lethi faucibus ut cavis
Humanum eripiat genus,
Humani generis ſator
Naſci ſuſtinet & mori.

Nil Mors , nil Erebi minæ
Nunc contra valeant: nihil
Primi criminis artifex,
Noſtri materies mali.

Factum juſtitiæ ſatis,
Et , quod debuimus , ſacro
Dudum in ſtipite ſolvimus,
Converſo in pretium Deo.

A D

Ad

ANTON. BYNÆUM

Theologiæ Professorem Daventriensem.

ODA VIII.

GRatulor insignem, tibi quem superaddit, honorem,
Grato pectore Civitas.
Læta tibi plaudit Daventria, plaudit & ipse
Motis Isala fluctibus.
Scilicet, egregiis meritis, studiisque, Bynæe,
Urbs hoc debuerat tuis.
Quod nisi me fallunt præsagia, te sibi Rhenus
Doctorem cupiet brevi:
Gaudebitque vicissim, insignique auctus honore
Toto gestiet alveo.

DIDERICO SIXIO,

Cum

Summis in utroque jure honoribus insigniretur.

ODA IX.

ERgo Latinos, ergo nec Grajos tibi
Versasse scriptores satis?

Nec Tullianam, qua licet, facundiam
Calamoque & ore reddere?
Perrumpis ipsa Palladis sacraria,
Perrumpis Astrææ domum,
Arcemque summo victor occupas jugo,
Stratis superbus hostibus.
Beate Sixi, stemmatis decus tui,
Spes civitatis Amstelæ,
Apollinari vinciende laurea
Apollini sacrum caput!
Tibi perennem tu parabis gloriam,
Et patriæ famam tuæ.
Longum Parenti tu seni solatium,
Longum es daturus gaudium.
Quin & juventæ robur, ac plane novam
Huic Æsoni vitam dabis.

SAMUELIS PUFENDORFII
Historici celeberrimi
Memoriæ Sacrum.

ODA X.

GEntibus Arctois, & mundi cognitus oris
Pufendorfius ultimis;
Funere crudeli fatoque ereptus acerbo,
Hoc sub marmore conditur.
Luget eum Carolus, luget Fredericus, & omnis
Brenni exterrita civitas.
Noverat Europam, populisque quid utile, quid non,
Mentis lumine viderat.
Illius historiam, moresque, artesque regendi,
Viva expressit imagine.

Justi-

Justitiæ, & legum primordia, juris & æqui
Designavit originem.
Martia Gustavi certamina, bellaque seris
Scripsit Teutona Posteris.
Hei mihi! Brennigenæ dum texit Principis acta,
Acta Principis inclyta,
Substitit, & pariter calamum pariterque relinquit
Vitæ lumen amabile.
O quantum interiit rerum, Frederice, Tuarum!
O quantum sapientiæ
Civilis, quantum antiquæ virtutis & artis,
Urbs Berlinia perdidit!

NAMURCUM
EXPUGNATUM.
ODA XI.

Adeste Musæ: Rege dignum maximo
Dictate nunc carmen mihi.
Tradit Namurcum maximo sese Duci,
Victasque dat Regi manus.
Silete venti, vosque vates Gallici,
Dum facta Gulielmi cano.
Quid hoc? an alti scandit arcem Pergami
Labore Grajus improbo?
Septemne rursus obsident urbem Duces,
Amphionis structam lyra?
Non, non: subacto grandius quid Ilio
Confecit Alcides novus:
Longeque captis clarius Thebis opus
Nostri patraverunt Duces.
Credas Aorni montis indomabile
Cessisse Pellæo jugum:

Credas feroces velle bellum milites
Inferre cœlesti plagæ.
Trisulca cerno tela, sed nostri Jovis,
Vibrata Regali manu:
Insueta terris audio tonitrua,
Ruptis fragore nubibus.
Ardescit omnis igne sulphureo polus:
Excelsa terrarum tremunt.
Fugiunt sub undas territi, atque imo caput
Amnes recondunt alveo.
Cæduntur hostes; ferreus passim viros
Prosternit imber, ac domos:
Et mille mortes mille faucibus vomunt
Dirum frementes machinæ.
Nil arte firmum, nil satis tutum loco:
Nil flumen, aut vallum, nihil
Prærupta prosunt montium cacumina,
Et proximum Cœlo jugum.
Testis Namurcum, testis arx Namurcia,
Vicina testes flumina.
Quid Mosa juvit, amne quid Sabis suo?
Quid urbis invictæ situs?
Quid arx in alto monte munitissima,
Quam vix supervolent aves?
Quid Gallicani militis longus labor,
Huic nuper impensus loco?
Superavit illud omne, cui nil arduum,
Cepitque, quam nemo capi
Credebat unquam posse; quam captam Tibi,
Rex magne, vix credet nepos.
Gaude hac opima, Rex Britanne, laurea,
Qua clarior nulli data est.
Gaudete, tantæ magna pars adoreæ,
Mavorte juncti Principes.

Vestris

Vestris (nec illud, Rex negat) vestris simul
  Debetur illa dexteris.
Præivit Ille, Vos secuti, mutuis
  Cepistis urbem viribus.
Vos æviternum, Principes, manet decus,
  Majorque semper gloria:
Vos, vos alumni Martis & Victoriæ,
  Vos estis Europæ salus:
Vos Ludovici terror, & mora unica
  Ferocientis Galliæ.
At tu, superba Rege Magno Gallia,
  Quid mentis aut sensus tibi?
De Rege quid nunc judicas Britannico?
  Num miles, & bello bonus?
Quin nunc superbis, & triumphas, insolens,
  Odamque conscribis novam,
Capta Namurco, Regis & nomen tui
  Ad alta tollis sidera?
Mutavit æquus ordinem rerum Deus,
  Versaque nunc illam vice
Cepit Gulielmus, Ludovicus perdidit;
  Bonaque perdidit fide.
Defendit arcem, qua valet, Boufflerius:
  Dat terga Villeroïus,
Exercitumque, Xerxis agmini parem,
  Re ducit infecta domum.
O mira belli fata, & incertam alcam!
  Spectator est certaminis,
Testisque nostræ (quis putet?) victoriæ,
  Ut nos eramus hosticæ.
Sequitur superbos pœna. Quo nuper modo
  Urbs capta, eodem amittitur.
Fallor: nec isto, Galle, si nescis, modo,
  Quo capta, nunc & redditur.

Tu nempe furtis artibusque bellicis,
Tibique consueta via,
Illam occupasti: Marte nos illam & manu.
Tu debilem multo magis:
Nos firmiorem molibus factam novis,
Et arte munitam, ut loco.
Sed, eloquenti vera si credis mihi,
Et scire, quod res est, cupis:
Dicam, quod ipsa non negabit Gallia;
Quod ipse Rex vester probet.
Princeps Namurcum fortiter cepit tuus?
Noster recepit fortius

AD DEUM,

Detecta Conspiratione

BRITANNICA.

ODA XII.

QUas tibi servato grates pro Principe, Rector
Terræ polique, solvimus?
Patria solennem templis indicit honorem,
Opemque flagitat tuam;
Sospite Gulielmo, Gulielmo sospite Rege,
Regem precata Cœlitum.
Respice servatas, Pater, ô Pater, hactenus urbes,
Et rem tuere Belgicam.
Gentis in excidium Batavæ, gentisque Britannæ,
Conjurat hostilis furor.
Regis in exitium Gulielmi, fœdere facto,
Scelesta conspirat manus;

Dile-

Dilectoque Tibi capiti, populisque, cruentam,
Si possit, intentat necem.
Sedibus è Stygiis, nigroque erupit Averno,
Est quicquid illic criminum.
Ultrices Erebi Furias, agitatus ab ipsis,
Hortatur in Gnatum Pater.
Illius immanes accendit, & instruit, iras
Ardens furore Gallia.
Ingentem exornat classem Lodovicus, & aurum,
Virosque, & arma commodat.
Vicinos abit in Morinos Iäcobus, & alto
Famam aucupatur è jugo.
Trajiciunt percussores: coit undique ferro
Accincta fatali cohors.
Jamque erat in partu facinus: jam illuxerat orbi
Hanc lectus in cædem dies.
Vidit ab excelso Pater æthere, vidit, & illud
Immane discussit nefas.
Detegit insidias, &, quod meditantur, in ipsos
Convertit auctores malum.
Tristia gaudenti fiunt spectacula turbæ,
In frusta bis secti duo.
Londini spolia ostentant horrentia muri,
Narrantque Posteris scelus.
Sed bene habet. Justo cecidit manus impia ferro,
Pœnamque, qua digni, luunt.
Avertit cladem Deus hanc, & vindice dextra
Regale defendit caput.
Quam prope purpureo terram madefecerat imbre
Hic sanctus & sacer cruor?
Me miserum! qua cæde parentatura fuisset
Regi suo Britannia?
Quam tristis rerum facies? quæ bella per orbem?
Quantum datura sanguinis?

Fœdo

Fœdo involviſſet populos atque oppida bello
    Rex oppidis exul ſuis.
Proxima vaſtaſſet late loca Gallus, & omnem
    Turbaſſet armis Belgicam.
Cædibus innumeris, ac multo ſanguine paſſim
    Ruberet & terra & mare.
Plurima jam fluvii, jam plurima corpora pontus,
    Suas ſub undas volverent.
Quod loquor, exiguum eſt. Populos, ſi poſſet, & urbes
    Miles cremaret barbarus.
In terram pelagi vaſtas immitteret undas,
    Et omne mergeret ſolum.
Perderet inviſam gentem; populique Batavi
    Vix nomen extaret ſuper.
O Pater! hæc noſtris defende pericula terris,
    Regumque diſturba dolos.
Aſſere communem gentem, gentiſque ſalutem,
    Britannici Regem ſoli.
Tu geminos illi populos frænare dediſti.
    Eſt dexteræ munus Tuæ.
Nobile depoſitum Cœli, pignuſque ſacratum,
    Tuo tuere Numine.
Sæpe ſuis illum petierunt artibus hoſtes;
    Tu liberaſti plus ſemel.
Inſidiæ ſceleratorum, fraudeſque, doliquc,
    Evanuerunt civium.
Concidit Impietas; & eodem concidat ictu;
    Ne latius ſerpat lues.
Multiplicem telis confige valentibus Hydram,
    Anguemque Lernæum doma.
Extrahe damnoſas herbas, & velle nocentum
    Quodcunque reſtat ſeminum.
Immo ita. Tu tantum plures ſervare per annos
    Huc uſque ſervatum velis.

Auſpice

Auſpice Te, populiſque ſuis regniſque relictis,
Terram reviſat Belgicam.
Pugnet, & immerſus medios, ceu fulmen, in hoſtes,
Aut miſſa tempeſtas polo,
Omnia proſternat late; multoque cruore,
Multoque ſparſus pulvere,
Hoſtiles ſecum exuvias, & Principe tanto
Dignam reportet lauream.
Annue Belgarum precibus, Pater, annue votis,
Salvumque Victorem refer.
Cœleſtes illum armigeri, Dominoque fideles
Satellites cingant Tui.
Sic nullas unquam inſidias, fraudeſque, timebit;
Regnumque ſecurus reget:
Gallorumque dolos, moliminaque impia, & omnes
Contemnet Inferni minas.
O Ita Tu jubeas; ita nullo ſtillet ab enſe
Flendus Nepotibus cruor.
Vivat, & extendat veniens Gulielmus in ævum,
Seroſque vitam Poſteros.
Europæ capite ex iſto, totius ut orbis,
Dependet & res & ſalus.
Quæ ſi cara tibi eſt, eſt ut cariſſima, ſerva
Salvum eſſe quem mundus cupit.



S I L V Æ.

PETRI FRANCII SILVARUM


LIBER PRIMUS.

IOH. FRED. GRONOVII MANIBUS.

FOrte Menœtiadæ interitum cantante legebam
Mæonida, atque imo fixos ſub corde dolo-
Pelidæ volvebam oculis cæcoque futuri (res
Pectore, & ingentem caſum miſerabar Achillei,
Longinquo luctu, atque alieno in vulnere mœſtus;
Cum ſubito Fama atra meas pervenit ad aures,
Et propior mentem afflixit dolor; Æthere caſſum
Gronovium aërias animam exhalaſſe ſub auras:
Lugdunum immergi lacrimis:gemitum undique ferri.
Tum vero obſtupui infelix, totoſque per artus
Irrepſit late tremor, & vox protinus hæſit,
Ac tandem juſta vix interfata querela eſt:
Tune etiam, Frederice, jaces? ſicne, Aonidum ſol,
Perpetua condis nitidos ferrugine vultus,
Atque avidis Lethi manibus Gronovius hoc eſt?
Heu! ubi nunc come ingenium, jucundaque fandi
Gratia, dictorumque lepos, candorque, fideſque,

Et Vaticana conſervant rupe Sorores,
Præſenti excuſſum eſt populo, populoque futuro.
Mille tibi patuere fores, tibi mille virorum
Atria, Quos inter nodo Salmaſius arcto
Notior, & laus illa ſuis æterna Batavis
Grotius, & calamo juvenem, alloquioque fovebant.
Parva cano. Quin & ſeptem Regina Trionum
Poſthabito venit ſolio, (Daventria teſtor
Mœnia) & ipſa tuos ſubiit Chriſtina penates,
Nec ſacram verita eſt dextræ conjungere dextram.
Te rubri norunt apices, te culmina Regum;
Quem dum voce probant alii, Lodovicus & ære.
Te terris longe poſitis, orbique togato,
Laxatis Erebi vinclis & carcere fœdo,
Pulcra animi monumenta, indefeſſique labores
Oſtendunt: quos à teneris tua provida cura
Inſignes dedit, & varios excudit in uſus.
Quid memorem Antiquos dudum Obſervata per o-
Judicio domini pleniſſima, plena cerebro, (mnes,
Et defæcatam toties revocata ſub aurem?
Aut, cum theſauros veterum, gazaſque recludis,
Argentique doces occultum pondus, & auri?
Quid Senecas, quid Papinium, numeroſque ſaleſque
Plautinos, multoque madentem nectare Plinîum,
Atque Antenorei emaculata volumina Livî?
Livî, quo non ullum aliud limatius uſquam
Exſtat opus: famaque pari, ſed diſpare greſſu,
Romanum Tacitum, atque tuas, Gelli inclyte, Noctes,
Viſuras lucem optatam, poſt fata parentis?
Quo laſſum, Frederice, rapis? Tu ſcilicet ille es,
Solus qui Latiam Lugduno reſtituis rem
Per Batavos, poſtquam ſpiſſis ea lapſa tenebris.
Plura ſed in titulos mœror vetat. Ilicet omnem
Incenſam queſtu, & crebris ſingultibus urbem

Conſpicio, anguſtoque Patres, doctumque Senatum
Indutos clavo, & ferali veſte Quirini,
Immenſas ſignare vias. It cætera pubes,
Et juvenum paſſim effuſis exercitus undis.
Nec non & mœſti comites, mœſtique propinqui
Dant lacrimas, largisque humectant imbribus ora:
Atque alii circum exequias, longo ordine, centum.
Me quoque ſi ſacrum fas eſt accedere lectum
Planctuque, fletuque ſequi miſerabile funus;
Si conſervandos monitus, ac verba fideli
Hauſi animo, deque ore tuo pars una pependi,
Auditorque fui non degener, & mea quondam
Se commendarunt aliqua tibi carmina dote;
Accipe quæ tibi juſta fero: citharamque, tubamque,
Ne, quæſo, ne ſperne, meæ dona ultima Muſæ.
Tu mihi, quodcunque hoc tenuis ſub pectore venæ
Finxiſti, & Clarios ad fontes, notaque nondum
Flumina duxiſti vatem Pimplæa latentem.
Atque utinam primo latuiſſem ignotus in ortu,
Et mutas didiciſſem artes, Helicone relicto,
Nec mea Apollinei pulſaſſent barbita nervi:
Non ego nunc damno arguerer, letoque diſertus
Eſſe tuo, mœrenſque palam, invituſque ſubirem
Triſte miniſterium! Si quid tamen iſta valebunt,
Te Gangen tollam ſuper, Auroræque receſſus,
Et Tarteſſiaco ſtridentem in gurgite Phœbum,
Teque niger Memnon, te maximus audiet Atlas,
Atque ſecuturæ dicent tua nomina gentes.



PSAL-

PSALMUS XVIII.

AUgustum canto Regem terræque polique,
Confugium auxiliumque meum, certamque sa-
Cujus ego clypeo protectus barbara fudi (lutem,
Agmina, & hostiles vici, vincamque, catervas,
Numine confisus dextro, & cœlestibus armis.
Immensum Curarum agmen, sævique dolores,
Undique me cinxere, & diri vincula Lethi,
Fraudesque, Insidiæque, & nigro quicquid ab Orco
Prorupit scelerum dias in luminis oras.
Ast ego Te, nomenque tuum, dextramque potentem,
Alme, voco, genitor: Tu me de vertice sancto
Sancte pater, Templique Tui è penetralibus imis,
Respicis; arrectaque meas vocesque precesque
Aure bibis. Tremit, ecce, tremit, pavitatque timetque,
Indignante Deo, tellus, nutantia quassant
Culmina, vixque suis montes radicibus hærent.
Ipse Deus justa sese armat & instruit ira,
Tantorum vindex scelerum, fumumque nigrantem
Naribus, & rutilos eructat faucibus ignes,
Ardeat ima quibus tellus: quibus ardeat æther.
Ecce suo Rector superum descendit olympo,
Incurvatque polum, & vasti laquearia mundi,
Cœlestisque chori pennis, Zephyrûmque volantum,
Ardua terrarum vehitur super, imbribus atris,
Et furva nitidam tectus caligine frontem.
Insolito splendore truces Corique Notique,
Ignesque nebulæque, & misti grandine nimbi,
Diffugiunt. Tonat è supera Pater arduus arce,
Intenditque suam Cœli per inania vocem.
Continuo fractis eliso nubibus ignes,
Vibrat, & horrendo tonitru, teloque trisulco

Mortales terret gentes, inimicaque ſternit
Agmina. ſubſidunt fontes, atque ima dehiſcunt
Terræ fundamenta, Dei vultumque minaſque
Dum timet, & tanto trepidat diſcrimine mundus.
Fluctibus eductum mediis, bellique procellis,
Me meus eripuit vindex, lateque furentes,
Excidiumque meum jurantes, perculit hoſtes.
Illum obſervavi primis ego ſemper ab annis:
Illius leges colui, imperiumque ſecutus,
Præſcripto nuſquam greſſus de tramite flexi.
Ille meum direxit iter, dignamque labori
Mercedem, & meritis donavit præmia tantis,
Noſtraque victrici præcinxit tempora lauro:
Diligit ille etenim juſtos, ſternitque ſuperbos.
Tu mihi lux, lumenque meis, ſanctiſſime, plantis:
Te ſpiſſæ fugiunt tenebræ: Te milite turmas
Ire per hoſtiles libet, & tranſcendere muros.
Nam quisnam, niſi Tu, Deus eſt? quis mentibus ægris
Auxilium, rebuſque hominum ſolamen egenis,
Tu niſi? Tu famam inſignem nomenque decuſque
Das mihi: Tu robur pedibus manibuſque dediſti,
Arcus & eſt digitis confractus ferreus iſtis.
Tu bellique doces artes, bellique labores:
Dextera defenſum me dat Tua, protegit umbo,
Avertitque meo ferratos corpore nimbos.
Per Te certa pedum fixi veſtigia: per Te,
Hoſtibus immerſus mediis, hoſtilia ſtravi
Agmina, & ingentes cumulavi cædis acervos
Cæde nova. Pars terga dedit, pars vindice ferro
Concidit, & prono tellurem dente momordit.
Hos ego, nequicquam divos & ſurda vocantes
Numina, ferrata proſtratos cuſpide fixi,
Calcavique meis pedibus, campoſque per omnes
Hoſtilem diffudi aciem, ceu turbine magno

Aut

Aut cinerem, aut paleam ventus diſpergit inanem.
Salve, magne parens hominum, ſalve inclyte mundi
Arbiter. invictum Tu das mihi robur, & omnem,
Quæ mihi cunque venit duce Te victoria, palmam.
Tu pugnare doces, Tu vincere: Tu mihi laudem
Eximiam, & longam vicina per oppida famam
Concilias, genteſque mihi ſubmittis & urbes.
Jamque meum diſcunt nomen laudantque, tremunt-
Ignoti nuper populi, genteſque ſuperbæ, (que
Immaniſque Gigas, monſtrum inſuperabile bello,
Et quæcumque Tuis ſacris aliena juventus.
Salve, magne parens hominum, ſalve inclyte vindex.
Quod grates animo, quo laudes carmine dicam?
Aut quæ pro meritis reddam præconia tantis?
O quoties quotieſque hoſtilibus undique telis
Implicitum, certo capiti impendente periclo,
Eripuit belli è mediis ſua vivida flammis
Dextra, pater? quoties, ipſos immerſus in hoſtes,
Hoſtilem delevi aciem, ſemperque virente
Indutus lauro, & ſpoliis decoratus opimis,
Victor Idumæa duxi de gente triumphum?
Salve, magne parens rerum, ſalve inclyte rector
Terrarumque polique: Tuum victoria noſtra
Eſt opus, & ſoli tantarum gloria rerum
Debetur Tibi. Tu columen tutelaque Regi
Certa mihi: Tu me ſublimem ad ſidera tollis,
Bellorumque facis bellatorumque potentem.
Tu prolemque domumque Tui cultoris, & omnes
Qui longa tandem ſerie naſcentur ab illo,
Servabis pater, & donis cœleſtibus auctos
Hujus in imperium populi, ſceptrumque repones.
Te mea poſteritas unum colat, iſtaque ſeris
Commemoret benefacta nepotibus, & Tua late
Munera venturum ſoboles mea ſpargat in ævum.

PSALMUS XLVI.

PErfugium tutumque mihi Deus ultor asylum est.
Idem grande mihi rebus solamen in arctis,
Quæ me cunque premant curæ. Cadat æquor in altum
Avolsa atque suis radicibus eruta tellus,
Aëriique imo subsidant gurgite montes;
Me nullæ rerum facies, me nulla pericla
Terrebunt immotum. Undam super erigat undam
Pontus, & insani surgant ad sidera fluctus;
Pacati Solymen fluvii, rivique sonantes
Exiguo lambent augustos murmure muros,
Lætificisque sacram perfundent imbribus urbem,
Dilectumque Deo templum, templique recessum,
Creber ubi luce in media sese ipse videndum
Dat Deus, & signis præsentem ostendit apertis.
Numen in urbe sua Deus est: nihil illa timebit:
Auxiliatrices illi Deus æthere ab alto
Porriget ipse manus: lucem dum provocat Eos,
Et matutinæ resonant per inane volucres.
Infremuere procul Gentes, motantque superbum
Regna caput: celso vocem demittit Olympo
Ætheris immensi Rector. Tremit excita tellus,
Omnis & horrendo mundus clamore fatiscit.
Bella Deus belli nobis gerit; ille salutis
Tutamen nostræ, & dubiis fida anchora rebus.
Quare, agite, atque Dei victricia vindicis arma
Adspicite. Ille urbes vacuas, desertaque latè
Rura facit. Fugiunt bella aspera; frangitur arcus,
Ardua franguntur præfracto hastilia ferro;
Belligerique crepant subjectis ignibus axes.
Desinite, & verum atque unum me agnoscite, gentes
Esse

Esse Deum Deus immensæ telluris, & alti
Ætheris, extremis terræ memorabor in oris,
Attollentque meas mundi latera ultima laudes.
Bella Deus belli nobis gerit; ille salutis
Tutamen nostræ, & dubiis fida anchora rebus.

PARAPHRASIS ODÆ HORATIANÆ, III ODAR. IV.

Descende Cœlo, & dic age tibia
Regina longum Calliope melos.

MUsa, polo descende, & longum dicere carmen
Incipe Calliope, seu vox seu tibia curæ est,
Seu Phœbi mavis cithara, fidibusve canoris.
Auditis Socii, an me ludit amabilis error?
Ipse audire mihi videor, curisque solutus
Omnibus huc illuc lucos errare per altos,
Quos & aquæ subeunt tremulæ, ventique salubres.
Vulturis aërii jamdudum in vertice summo
Me puerum, ludo fessum, somnoque gravatum,
Appuliæ fines ultra, limenque paternum,
Carminibus vatum celebres texere palumbes.
Obstupuit, quicunque tuos, Acherontia, colles,
Bantinosque colit saltus, humilisque Ferenti
Pingue solum, & multo vestitos palmite campos,
Me diros inter serpentes, inter & ursos,
Velatum mirti foliis, & tegmine lauri,

Non ſine Dis ipſis animoſum, & numine Phœbi,
Securos adeo ſopitum ducere ſomnos.
Veſter ego, Muſæ, veſter, ſeu forte Sabinos
Auferor in montes, ſeu Tiburis umbra ſupini,
Seu Prænestinum placuit mihi frigus, & udæ,
Otia Romulidum, Tuſci maris otia, Baiæ.
Veſtris addictum choreis, & fontibus, haud me
Verſa Philippeis acies extinxit in arvis,
Non arbos devota, nec alto in gurgite merſit
Æquor, & ad ſcopulum adflixit Palinurus acutum.
Vos mihi dum comites eritis, procul orbe Latino
Ocyus Ægæos ſulcabo navita fluctus;
Litoris Aſſyrii ſiccis ſpatiabor arenis.
Inviolatus ego veſtro ſub numine, Muſæ,
Ignotos viſam populos, forteſque Britannos,
Indomitoſque Dahas, & equino ſanguine paſtos
Maſſagetas, Beſſoſque, pharetratosque Gelonos,
Et Tanaim, & Scythici non hoſpita litora ponti.
Cæſaris Auguſti defunctas Marte cohortes,
Feſſaque vicinis incluſit ut oppida muris,
Vos animum recreatis, Hyantæoque ſub antro
Mordaces dulci lenitis carmine curas
Pacatum vos conſilium mentemque benignam
Suggeritis, vos ſuggeſto gaudetis, & alma
Per vos, ſopito, regnat Clementia, bello.
Scimus ut inſanos, enormia monſtra, Gigantas
Fulmine ſuſtulerit deturbaritque caduco,
Qui mare, qui terras, qui cœlum & ſidera cœli,
Pallenteſque Erebi manes, homineſque Deosque
Æquato regit imperio, nutuque gubernat.
Terrorem magnum intulerat Diviſque Deûmque
Rectori, centum manibus confiſa juventus,
Involvens altum frondoſæ Pelion Oſſæ:
Sed quid Aloïdæ gemini, immaniſque Typhœus,
Por-

Porphyriusque, Mimasque, & vasto corpore Rhæcus,
Enceladusque altas evellens montibus ornos,
Pallada belligeram contra, lateque sonantem
Ægida, nequicquam validi, frustraque ruentes
In bellum possent juvenes? Hinc maxima Juno,
Hinc avidus stetit Ignipotens, & tempore nullo
Splendescentem humeris pharetram positurus & ar-
Castaliæ qui fonte sacro puroque capillos (cum,
Rore lavit, Lyciæ gentes qui frenat & urbes,
Natalemque tenet Delon, formosus Apollo.
Mole sua, vis consilio privata, labascit:
Consilio munita, viget; crescitque per ipsos
Aucta Deos: îdem vires odere nefandas.
Testis erit verborum argumentumque meorum
Centimanusque Gyas, & virginis ille Dianæ
Tentator, divæ telis confossus, Orion.
Ipsa suis Jovis imperio superindita monstris
Terra dolet, sobolemque suam mœstissima mater
Dejectam luget trifido sub Tartara telo.
Ardet in immensum, præbetque alimenta caminis
Ætna suis: gemit impacti sub pondere montis
Enceladus: gemit Inarimes sub rupe Typhœus:
Lascivique jecur Tityi non deserit ales,
Addita nequitiæ custos: tenebrisque sub imis,
Rivalem Jovis inferni, pro talibus ausis,
Vincula Pirithoum cohibent æterna furentem.



P A-

PARAPHRASIS ODÆ HORATIANÆ,

III ODARUM XXV.

Quo me, Bacche, rapis tui
Plenum, &c.

Quo me, Bacche, tui plenum, largoque madentem
Nectare, per rupes, humanisque invia plantis
Saxa rapis? quænam in nemora, & loca sola ferarum
Quas præceps agor in latebras? quibus abditus antris
Cæsaris invicti laudes, pugnataque dicam
Prælia; jamque tuo percussus pectora thyrso
Aërias supra nubes, super ardua mundi,
Concilio Jovis ætherei, & radiantibus astris,
Intexam nostri nomen Jovis? Alta, nec ulli
Dicta prius, nullis unquam memorata Pöetis
Carmina, nec sæclis audita prioribus, edam.
Haud aliter, multo mentem percussa Lyæo,
Lustratam nivibus Rhodopen, Hæmumque pererrat,
Subjectumque suis pedibus circumspicit Hebrum,
Evias. Ut fontes, & leni concita cursu
Flumina: ut horrentes umbris ac frigore silvas
Mirari libet! O magni Jovis inclyta proles,
Qui nemorum divas agiles, Bacchasque valentes
Vellere proceras altis radicibus ornos,
Jucundo regis imperio, frænoque coerces:
Nil leve, nil seros quod non perduret in annos,

Nil humile, aut mortale canam: dulcique periclo,
Dulcis Iacche, tuum, per quæ rapis avia, numen
Subſequor. o longos hedera viridante capillos,
Et lætam uberibus frontem redimite corymbis!

FABULA
PYRAMI & THISBES
EX
OVIDIO.

Urbs erat (hanc muris cinxiſſe Semiramis altis
Dicitur) Aſſyriæ nobile gentis opus.
Pyramus, & cunctis Thisbe prælata puellis
Illic contiguas incoluere domos.
Notitiam tenero vicinia fecerat ævo:
Creverunt anni tempore, crevit amor.
Et jam ſolenneſque faces, thalamumque jugalem,
Caſtaque connubii vincla parabat Hymen.
Nequicquam vetuere patres. Par ignis utrique,
In geminis idem mentibus ardor erat.
Verba ſupercilio reddunt referuntque loquaci,
Signaque non tacitæ pondera vocis habent.
Quoque magis tegitur, magis æſtuat, & magis ardet,
Perrumpitque obices flamma retenta ſuos.
Forte fuit paries, domui confinis utrique,
Parvaque, Tranſmiſſo lumine, rima fuit.
Viderat hoc vitium (quid enim non ille videret?)
Hoc primus vitium viderat acer Amor.
Conſtitit hinc Thisbe Babylonia, conſtitit illinc
Pyramus, invento lætus uterque novo.

Murmure blanditiæ tenui, mollesque susurri
Transibant ista, suetaque verba, via.
O paries, votis paries nimis invide nostris,
Et tu, clausa nimis rima, parumque favens;
Quantum erat, ut sineres, cupidos conjungere aman-
Mutua brachiolis brachia, labra labris? (tes
Crede nec ingratos fore nos tibi: muneris omne,
Transitus alloquio quod datus iste, tui est.
Talibus atque aliis consumpto tempore verbis,
Sub noctem querulum dixit uterque Vale.
Dixit, & oppositam non contingentia partem
Impressit muro basia quisque suo.
Posterus Eoo surgebat ab æquore Titan,
Ad solitum redeunt parte ab utraque locum.
Postque moræ minimum, properataque verba, pater-
Linquere constituunt, nocte silente, domum. (nam
Nox erat: egreditur patrio de limine Thisbe,
Venit & ad tumulum, Rex Nine, prima tuum.
Ecce venit, satiata boum modo cæde, leæna,
Vicino cupiens fonte levare sitim.
Adspicit hanc, Lunæ radiantis munere, Thisbe,
Proximaque attonito fugit in antra pede.
Ut bibit, ore leo tenues discerpit amictus,
Elapsos humeris forte, puella, tuis.
Tardius egressus vestigia Pyramus alta
Adspicit horrendæ, tristia signa, feræ.
Adspicit & vestem: conspecta veste, Quid, inquit,
Exitio nox hæc una duobus erit?
Illa quidem vita dignissima: solus obire
Quam merui mortem crimine dignus ego.
Ille ego sum, qui te, mea lux, mea vita, peremi.
Culpa mea est, Thisbe, lux mea; culpa mea est.
Debueram tibi nocturnas comes isse per umbras:
Debueram pacto primus adesse loco.

Nostra

Noſtra cruentati diſcerpite membra Leones:
 Viſcera ſilveſtres rumpite noſtra feræ.
Dum loquitur, Thisbes velamina tollit, & ori
 Admovet, & lacrymis irrigat illa ſuis.
Tingere nunc noſtro quoque ſanguine, tingere veſtis,
 Nec tantum lacrymas imbibe, terra, meas.
Dixit, & eductum demergit in ilia ferrum,
 Et gemino madidam ſanguine plangit humum.
Candida purpureum morus traxiſſe ruborem
 Creditur, & fœtus commaculaſſe ſuos.
Ecce redit nondum poſita formidine Thisbe,
 Veſtigatque ſuum mente oculiſque virum.
Utque locum, faciemque loci, pomique colorem
 Lumine obit, ſitne hic neſcit, an iſte locus.
Dum dubitat; trepidatque ſolum; tremit ipſa; locum-
 Ora gerens buxo pallidiora, fugit. (que,
Ad nomen Thisbes, oculos vix ille labantes
 Suſtulit, & gemitus edidit ore graves.
Illa autem veſteſque ſuas ut vidit, & enſem,
 Hoc tua te, dixit, perdidit enſe manus.
Ipſa ſequar: me coget amor, me dextera coget,
 Fortis in hoc unum dextera, fortis amor.
Cauſſa comeſque tuæ dicar necis, ipſaque tecum
 Ibo per infernos flebilis umbra lacus.
Nec mihi te, te ſola poteſt quæ tollere, tollet;
 Quemque ferox rapuit mors mihi, reddet amor.
Vos tamen, ô noſtra miſerandi ſorte parentes,
 Ultima ne miſeræ verba negate mihi.
Et quoniam nos junxit amor, nos funera jungunt,
 Idem nos cineres jungat, & oſſa, locus.
At tu, cara, meos quæ nunc tegis, arbor, amores,
 Moxque tua extinctam me quoque ſtirpe teges;
Signa tene luctuſque tui, caſuſque nefandi,
 Et rubeant gemino poma cruore tua.

Dixit,

Dixit, & incubuit tepido de ſanguine ferro
  Pyrameoque ſuum trajicit enſe latus.
Vota ſuos habuere Deos, habuere parentes,
  Nam niger in pomo eſt ſanguineuſque color,
Et quicquid gemino cinerum de corpore reſtat,
  Communis gremio continet urna ſuo.

IN LIBRUM

ANT. BYNÆI,

DE MORTE CHRISTI,

Idiomate Belgico ſcriptum & iterata jam vice editum.

SAlve care mei liber Bynæi,
Salve docte liber, tui Parentis
Proles altera, quem legit ſtupetque
Virorum chorus elegantiorum.
Ut te conſpicio lubens, lubenſque
Hanc lucem tibi gratulor ſecundam!
Vix quicquam tibi defuit priori,
Nec limatior abſolutiorque
Ullus te potuit liber videri:
Tui qui domini tuique patris
Sagace ingenio, novaque cura,
Niteſcis meliuſque puriuſque,
Et te pulchrior elegantiorque
Fulges lumine jam ſereniore.
Salve culte liber, polite ſalve,
Et qua te populi faventis aura,

Et qua te vocat eruditus orbis,
I rursum alitibus viam secundis.
Te quantum est hominum politiorum,
Te quantum est hominum eruditiorum,
Versabit cupida teretque dextra.
Tu, quodcunque libri docent priores,
Quicquid Salmasiusque Scaligerque,
Quicquid Grotius, Heinsius, Bochartus,
Seldenus, Drusius, Casaubonusque,
Docent pluribus exhibentque chartis,
Chartis exprimis exhibesque paucis.
Tu linguæ genium decusque Sanctæ,
Et Grajas simul, & simul Latinas
Includis Veneresque Gratiasque:
Tu ritus veteres reconditosque
Evolvis tenebris, novaque luce,
Spargis codice comprehensa sacro.
Per te conveniuntque congruuntque
Chartis historiæ notata sacræ:
Per te quattuor involuta libris
Jam volumine continentur uno.
Salve, judicio polite multo,
Fausto sidere jam renate salve,
Auctorique novos para triumphos.
Te leget, releget, legetque rursum
Toto Belgica, qua patet, profundo:
Te mirabitur universus orbis
At tu dux operis paterque pulchri,
Istarum pater elegantiarum,
Pars sodalitii Bynææ nostri,
Tu porro mihi, tu Bynææ, salve.
O felix studio, labore felix,
Felix materia tua, Bynææ!
Tu scandis bifidi jugum Sionis,

Tu purum Siloes bibis liquorem,
Et jam numine, jam furore plenus
Ipsi trita Deo per arva tendis,
Ipsos subsequeris legisque gressus;
Nunc in Getsemanes virentis hortum,
Nunc ad culmina Golgothæ cruenti.
Hic mortem Domini Deique nostri,
Et mortis genus, & Crucis figuram,
Et quicquid Cruce pertulit sub alta,
Spectas lumine cuncta diligenti,
Narras ordine cuncta perspicaci,
Sic ut clarius evidentiusque,
Sic ut plenius explicatiusque
Nil dici queat aut queat videri.
Salve, grande sacræ decus catervæ,
Cœtus gloria magna litterati,
Salve denique, mi Bynæe, salve.
Jam te, si quid habent in arte veri
Vatum carmina, proximas in urbes
Certatim Ya trahet, trahetque Rhenus;
Virtutique tuæ tuisque Musis
Daturi egregium brevi theatrum,
Brevi nobile præmium daturi,
Applaudet tremulis uterque lymphis.
Quo vero interea tuos labores,
Quo te, pro meritis tuis, honore,
Cujus frondibus arboris, Bynæe,
Compensabimus, implicabimusque?
Vulgaris nimium corona laurus.
Te decent oleæ, decentque palmæ.
En Oliviferi jugum relinquit,
Vestigatque tuos oliva crines:
En Judæa suos propinqua ramos
Incurvat tibi, debitumque sertum
Nectunt palmiferæ, Bynæe, silvæ.

JANO BROUKHUSIO.

QUem dono leporem mihi dedisti,
Bonum, Juppiter, atque delicatum,
Placet mirifice meo palato.
Est tenellus enim juvenculusque,
Atque inter lepores tenelliores
Tanto hic optimus omnium, inter omnes
Quanto tu optimus omnium Poëtas.
Non talem Cererique Cypridique
Dilecti pueri, per arva Cypri,
Per arva Arabiæ, per arva Cretæ,
Venati canibus fuere doctis:
Non talem gelidi jugum per Hæmi,
Aut in Täygeti jugis opaci,
Aut in Mænaliis secuta silvis
Decus Mænaliæ Diana silvæ.
Cedat, lumine quæ superbit Argi;
Cedat puniceis amicta pennis,
Et guttis variis notata; toto
Cedat litore Phasianus ales.
O dignam Siculis dapem patellis!
O dignam patina Vitelliana!
Quare munere pro tuo polito,
Tibi scilicet, ô polite noster,
Ingentes ago debeoque grates.
Si quem, ut fama, lepus facit venustum
Septem, Jane, dies, venustus ille,
Quem donum modo tu mihi dedisti,
Ille melleus, ille mollicellus,
Omni dulcior ille melle, versu
Tuo mollior ille mollicello,

Vates mellee, mollicelle vates,
Quot me, Jane, dies venuſtus ille,
Ille melleus, ille mollicellus,
Pulchellum faciet venuſtulumque?

GOESIO ab ABSMADE,

CONSULI.

PRoles Heinſia, Goeſiana proles;
Decus ſtemmatis utriusque magnum,
Magnum Palladiæ decus Catervæ,
Ut gaudet chorus eruditus omnis,
Parens Goeſius, Heinſiique manes,
Et quisquis Batavæ ſeveritatis,
Virtutis, fidei, modeſtiæque,
Aut amans fuit, aut feretur unquam,
Leidenſem meritis tuis ſenatum
Dudum promeritos dediſſe faſces.
Gratatur tibi Conſuli Senatus,
Gratatur populus, domosque paſſim,
Paſſim compita pervagatur, urbis
Acclamatio murmuratioque.
Plaudunt finitimæ tibi Camœnæ,
Plaudit omnibus ecce Rhenus undis.
Salve ingens Procerumque Conſulumque,
Ingens gloria nominis Batavi,
Sacerdos Themidis, tuique dudum
Phœbi Numinis, & novem Dearum
Tuæ olim domui domeſticarum;
Salve Pierii parentis hæres,
Hæres inclyte laudis Heinſianæ;
Exemplum veteris, nec hujus, ævi,

Ævi

Ævi ſimplicis, innocentis ævi;
Urbis præſidium decusque, ſalve.
Tuo præſidio tuoque ductu
Tua floreat uſque & uſque Leida,
Rectores alios velit nec ipſa,
Rector dum ſuperet ſibi ſuiſque
Proles Heinſia, Goeſiana proles.

CORNELIO HOP,

JACOBI FILIO.

SPes votumque tui Parentis, Infans,
Matris prime tuæ dolor, voluptas
Idem plurima gaudiumque matris;
Infans parvule, luminiſque dias
Recens edite, quas bibis, ſub auras;
Salve, blande puer; tuæque vitæ
Hunc, quem fata tibi dedere primum,
Ordire auſpiciis diem ſecundis.
Sit felix, precor, iſte, & iſte, & iſte,
Et quoscunque colo benigniore
Nebunt fatidicæ tibi ſorores.
Gaude, parve puer, tenelle gaude,
Complexuque tuo, tuoque riſu,
Tuam noſcere diſce, diſce, matrem.
Illam mollibus implica lacertis:
Illam dulcibus oſculare labris:
Illius gremio inſide tenellus.
At cum te Juvenem ſecuta deinde
Ætas fecerit, inclyti Parentis
Per veſtigia, per decus tuorum,
I, quo te meriti vocant honores.

Quo ſis ſtemmate, qua domo, memento.
Hinc Cornelius, ille, cujus ipſe
Tu nomen geris; ille, quo loquente
Nuper Amſtela, nunc ſuperbit Haga,
Vindex Juſtitiæ ſeverioris:
Hinc te Henricus agit, viamque monſtrat
Conſul Hoofdius; ille conſul, ille
Quo Res publica, quo ſalus Batava
Felix auſpice tot ſtetit per annos.
Hoc virtutis iter tibi tenendum eſt:
Hi ſunt, parve, tibi, puer, ſequendi.
Quem vero libeat ſequi, perinde eſt.

JACOBO WALLIO.

PHœbi delicium, meumque, Walli,
Walli Caſtalidum decus ſororum,
Cui Permeſſidos entheum liquorem,
Longis ductibus, hauſtibusque largis,
Potandum Clariæ dedere Divæ:
Suam cui fidicen Lyram Latinus,
Cui molles Elegos modosque Naſo,
Heroum Maro carmen, inque dura
Natos bella modos, tubamque ceſſit,
Apollo ſua ceſſit ipſe fila:
Princeps ordinis erudite noſtri
Ingens Pieriæ decus catervæ:
Quid te criminis, ô diſerte noſter,
Quæ te, quæ ratio movet, per annos
Plures ſic ſileas ut obſtinatus?
Qua culpa potui merere, de te,
Poſt ſex & totidem, duasque meſſes,
Nullas denique litteras videre,

Nulla ut contigerit videre verba?
An, quod te foveoque diligoque;
An, quod te veneror coloque, Walli?
An, quod carmina Walliana pluris,
Quam quasvis facio Recentiorum,
Pulchras quamlibet, aureasque, Musas?
An, quod te cecini, meisque dudum
Evexi numeris ad astra vates?
Quid ô, fare precor, quid ô, quid inquam,
Offendi, rogo; quod scelus patravi;
Ut nec litterulis tuis politis,
Nec missa mihi vel semel salute,
Digneris tibi deditum clientem,
Digneris Batavum Poëta vatem?
An sordent Batavi tibi Poëtæ?
Non certe puto, non puto; leguntur,
Et toto celebres feruntur ævo,
Dousa, Grotius, Heinsius, Secundus,
Reges Teutonici, Ducesque Pindi.
Nec sic degeneres sumus Nepotes
Patrum lusibus & modis Avorum,
Ut vix unius æstimemur assis,
Nec digni alloquio putemur ullo.
Non sic, multiplici favore plena,
Multis blanditiis scatens, amica
De me littera judicabat olim,
Non sic denique vester ordo, Walli.
Sed sic Wallius ipse, credo, de me,
Sic nec Wallius ipse judicabit.
At tu rumpe tuum, precor, veternum,
Segnes rumpe moras, silentiumque,
Invisum nimis ah, nimisque longum,
O desideriis cupite multis,
O ardentibus expetite votis,

 Votis

Votis omnibus expetite Walli.
Responsum mihi posco Wallianum.
Dic, quæso, mihi, dic, polite Walli,
Nunquid carmina Franciana nunquid
Placent Franciacæ tibi Camœnæ?
Ecqua forte tui Maronis, ecqua
Nasonis genium æmulamur? ecqua
Arguti numeros modosque Flacci?
Quid censes, Clariæ Magister artis,
His de Vatibus, hosce solus omnes
Qui sic exprimis exhibesque, nemo
Ut possit melius rotundiusque,
Nemo pulchrius elegantiusque,
Nemo proximius propinquiusque?
Quid censes, rogo, quid, diserte, censes?
Silet Wallius, &, puto, silebit.
O artem invalidamque debilemque!
Quondam robora dura, saxa quondam,
Et rupes poterant movere; & ipso
Dianam elicere è Polo valebant
Vatum carmina: Wallio Poëtæ
Nullum carmina Franciana verbum.

IN

Doctorum Virorum Imagines,

Bibliothecam meam exornantes.

O Dux Pieriæ, Petrarcha, turbæ,
Acti candide, tuque culte Bembe,
Torquate, atque Arioste, tuque Pice,
Tuque ô Agricola, & Politiane,
Tuque, ô orbis honos, Erasme, tuque

Laus

Laus ſecunda tuis, Secunde, Belgis;
Et vos Scaligeri, Joſephe, Juli,
Orti Cæſaribusque Regibusque,
Reges Aoniæ ducesque turmæ;
Tuque, ô nobile pectus, eruditæ
Arcis conditor, erudite Douſa;
Et tu, Suada iocoſa, docte Baudi;
Et tu, ſeria Suada, docte Lipſi;
Et qui ſigna tui legis magiſtri,
Erici Puteane; tuque Groti,
Groti maxime, litterate Groti,
Verax ille tuis Apollo Delphis;
Et tu Pieriæ, tuæque, Claudi,
Gentis gloria; tuque, docte Voſſi;
Et tu, patria Ganda quo ſuperbit,
O Heinſi pater, ô pater leporum,
Doctrinæ pater elegantioris;
Tuque, ô fama tui patris, paterni
Hæres pectinis, Henſiana proles,
Proles æmula, digna patre proles;
Et tu, Belgice Martialis, & tu
Caſaubone, Bocharte, Beza; tuque
Princeps inclyte, Ferdinande Princeps,
Decus Neuhuſii, decusque Pindi:
Omnes denique, quotquot hoc in ævo,
Aut ævo viguiſtis in priore,
Orbis lumina magna litterati,
Orbi nomina nata demerendo:
Ut vos intueor lubens! ut oris
Veſtri has effigies imaginesque
Contemplor taciturnus ipſe mecum!
At vos ô, ſtudiis favete noſtris,
Culti ſidera ſæculi polita,
Docti ſidera ſæculi erudita,

IN
Exquisitissimam Bibliothecam
WITTIANAM.

SAlve, Bibliotheca Wittiana,
Laxo quæ gremio tuo recondis,
Quicquid Græcia, Roma quicquid olim
Rerum protulit elegantiorum;
Seu scriptas calamo manuque prisca
Membranas cupis; aut recentiorum
Notatas calamo manuque chartas;
Nummos, Marmora, Saxa, Vasa, Gemmas,
Ævi relliquias vetustioris;
Omnis seu generis typo exaratos,
Pulchros, conspicuos, bene expolitos,
Distinctos pluteis locisque libros.
Salve, Bibliotheca Wittiana,
Tuo quæ gremio capace condis,
Quicquid suspicit eruditus orbis;
Salve, maxima; major usque, salve.
Ut te conspicere, ut juvat tueri!
Volventemque oculos modò huc modo illuc
Obmutescere protinus, tuasque
Contemplari oculo stupente gazas!
Nil te cultius, elegantiusque:
Nil te pulchrius est, venustiusque.
Sed quamvis adeo venusta, quamvis
Sic sis culta, nihil mage esse possit
Ut te pulchrius, elegantiusve;
Est quiddam potius tamen, priusque.
Si nescis, Dominum intuere: nil hoc
Est politius, elegantiusque,

Nil

Nil humanius, hoſpitaliusque.
Tuis hic potior priorque gazis:
Gazis hic potior priorque cunctis.

STEPHANO MORINO

I KAL. JAN. CIↃ IↃ CXCI

Annum LXVII auſpicanti.

VEnerunt iterum tuæ Kalendæ,
Et de more novum reducis annum,
Anni principium, Quirine Jane:
Cumque anno redeunte, cumque Jano,
Natalis rediit tuus, Morine,
Auguſtiſſimus omnium dierum.
Sexageſima ſexta jam, Morine,
Hiems præteriit, brevisque vitæ
Spem te ſumma vetat fovere longam.
Solo pectore vivimus: rapacis
Ritu cætera fluminis feruntur.
Hanc vitam tibi da, tuiſque ſcriptis
Immortalibus ultimas in oras
Famam extendere, ceu facis, memento.
Dein, poſt emeritos dies & annos,
Poſt plures alios, quod opto, Janos,
Auctor temporis, Arbiter dierum,
Cum nec tempora, nec dies, nec anni,
Nec ſoles, nec erunt, ut ante, Lunæ,
Te Cœlo Deus invehat, tibique
Nullo temporis orbe finiendam
Det poſt hanc aliam, Morine, vitam.

ACTO-

ACTORUM LIPSIENSIUM

COLLECTORIBUS.

CArpzovi generose, vosque cuncti,
Qui molimine, qui labore multo
Prolapsas pariter fovetis artes,
Doctorumque hominum polita scripta,
Et quicquid varias per orbis oras,
Pulchri protudit eruditus orbis,
Passim colligitis; manuque docta,
Et terso calamo, stylo elegante,
Labores hominum elegantiorum
Venturo memores sacratis ævo:
Turba sedula, litterata turba,
Quos Germania, quos sinu benigno
Alit Lipsia, litterata tellus,
Alumnis merito superba tantis:
Quæ vos, dicite, caussa, Lipsienses,
Quid vos impulit, ô boni, tot inter
Illustres animas, tot æviterna
Quod me nomina collocastis inter?
Quid vos, quid movet, erudita turba,
Quod me conspicuum, quod invidendum,
Toto redditis orbe; bisque vestris
Inter sidera collocastis Actis?
Ille, ergo, ille ego, qui, parum disertus,
Nec largæ nimis uberisque venæ,
Dicendo simul, & simul canendo,
Credor posse aliquid; minusque doctis
Orator potero viris videri,
Videri potero Poëta? Fallis,

Hosque decipis, erudita turba.
Non respondet imago; plusque vobis
Debent, quam Domino, mei libelli,
Nec satis lepidi, nec expoliti.
Quin istis titulis honoribusque,
Et multis nimis & nimis superbis,
Vestra cum venia bonaque pace,
Irascor quoque, nec, pudore salvo,
Possum hoc judicium probare vestrum.
Non impune feretis, & mearum
Præcones nimios, tubasque laudum,
Tuos, Lipsia, nobiles alumnos
Istos, carminibus meis pereuntem
Qui famam tribuere, quique vitam,
Si quid carmine, si quid ore possum,
Meis carminibus, meisque verbis,
Æstu percitus & furore plenus,
(Audis, Lipsia; vosque, Lipsienses?)
Transcribam supero vicissim Olympo.

VIRO PRIMARIO
EVERARDO DANKELMANNO.

SAlve nobilium decus virorum,
Magni maxime Principis minister,
Dankelmanne, Tuæ domus, Tuæque
Gentis gloria, quo Sicambra tellus,
Quo Germania nunc superbit omnis;
Salve Castalidum decus sororum.
Te res Teutona, Beroliniumque,
Gaudet præside, maximusque Princeps,
Magni progenies superba Brenni.

Tuis consiliis, Tuoque ductu,
Princeps optimus usque crevit, & jam,
Dolis, insidiis, malaque fraude,
Et discrimine liberatus omni,
Securus solio sedet paterno.
Tu belli moderator atque pacis,
Pacis artibus, artibusque belli,
Cives instruis; & laboriosa,
Ut stellas humeris Atlas, torosis
Rerum pondera sustines lacertis.
Tu leges populo, novosque cultus,
Tu mores populo Tuos dedisti.
Per Te cana Fides, Pudorque, per Te
Descendit Themis; aureumque sæclum,
Et mundi facies redit prioris.
Tu moles operum, polo minantes,
Lapsas erigis; excitas recentes,
Jamque pulchrius elegantiusque
Urbis tecta nitent, suumque lumen
Jactant aeriæ sub astra turres.
Tu fines Domini tui per omnes
More Principis, aureique solis,
In omnes pariter benignus oras,
Docto Principe sic jubente, doctis
Passim virginibus, patrique Phœbo,
Ædes extruis, omnibusque longe
Saxis, marmoribus, perenniora
Venturo monumenta ponis ævo.
Tu viros, ubicunque, litteratos,
Tu dulces Heliconios alumnos,
Largo munere congiarioque,
Ipso Principe sic volente, donas.
Salve, Castalidum decus sororum;
Salve, nobilium decus virorum;

Magni maxime Principis miniſter.
Te Germania, Te Sicambra tellus,
Te Phœbus pater, & novem ſorores,
Dankelmanne, canant; Tuumque nomen
In mundi latus omnis, ultimosque
Spargant carmine poſteros Poëtæ.

MAGNO PENSIONARIO,
ANTONIO HEINSIO,
MAGNI SIGILLI
CUSTODI.

HEinſi maxime, nomen eruditum,
Nomen laurifero celebre Pindo,
Rei gloria publicæ, virorum
Ingens præſidium politiorum;
Quod vultu placido, quod ore læto,
Meque exceperis & meas Camœnas,
Quas grates tibi, quo ſono, rependam?
Stet Reſpublica floreatque noſtra,
Tuis fulta humeris; tibique tantum
Pares nominis & celebritatis
Hæc per oppida, rebus in gerundis,
Quantum nominis eruditione
Doctrinaque ſibi ſua pararunt
Parens Heinſius, Heinſiuſque gnatus;
Et certamine nobili Batavi
Contendant Proceres, virique docti,
Claro nomine gentis Heinſianæ
Sit illuſtrior eminentiorque
Reſne Publica, Reſne Litterata.

SIL-

PETRI FRANCII SILVARUM

LIBER SECUNDUS.

AD MUSAS SUAS,

Cum

SERENISSIMUS ac POTENTISSIMUS

PRINCEPS

FREDERICUS TERTIUS,

ELECTOR BRANDEBURGICUS,

Urbem Amstelodamensem inviseret: Ipse autem à conspectu sereniss. Principis valetudine parum prospera prohiberetur.

Ite meæ pro me, mihi non licet, ite Camœnæ,
Et vultum magni cernite & orà viri :
Maximus Amstelias Hospes modo venit ad undas,
Miraturque domos urbis, & urbis opes.
Illa quidem visu dignissima, quodque morari
Principis eximii lumina possit, habet.
Ipse tamen res ante alias dignissimus omnes,
Lumine quem lustres, Urbs spatiosa, tuo.

Hic ille est Fredericus, Avis Heroïbus ortus;
Agnoſcat Brennus quem genus eſſe ſuum:
Hic ille, invicto clarus Patre, clarior olim
Et Patre, & magnis Ipſe futurus Avis.
Germanus quondam Alcides, Germanus Apollo
Hic erit, Aonii duxque paterque chori.
Alterius, doctæ, vobis documenta, Sorores,
Jam dedit: alterius mox documenta dabit.
Scilicet, Auriacus dum trans mare militat, urbes
Protegat ut noſtras, deſerit ille ſuas.
Ergo agite, & pacis ſtudiis & Marte verendum
Ite ſalutatum, carmina noſtra, Ducem:
Et lætos reditus, multasque voventia lauros,
Pro domino, Muſæ, dicite verba, meæ.

IN
BELLUM COMMUNE
AB
UNIVERSIS EUROPÆ GENTIBUS
Contra GALLOS
Suſceptum.

OMnis in adverſum ſurgit Germania Gallum,
Itque ultum furias, Gens truculenta, tuas.
Hac Cæſar, Dux hac validum Lotharingius agmen,
Hac Bavarus populos ducit in arma ſuos.
Explicat hîc Saxo natas ad bella cohortes:
Martius hîc Brenni fulget in ære Nepos.
Parte alia Hiſpani coeunt, coeuntque Batavi,
Quosque videt Getico Mænalis urſa polo.
Deni-

Denique Tu, populi Rector Ductorque Britanni,
Maxima militiæ pars, Procerumque caput.
Undique concurrunt agitatæ in prælia Gentes,
Conjurantque tuam, barbare Galle, necem.
Nobile principium Berolino Ductor ab urbe
Communis belli ducit, ut ipse sui.
Vix bene constiterat primis Fredericus in armis,
Vix bene lustrarat mœnia, victor erat.
Ecce cadit, panditque Tibi, Frederice, reclusas
Cæsaris à magni nomine dicta domos.
Grande rudimentum, Princeps, aliisque sequendum
Virtutis specimen, Dux animose, Tuæ!
Quas urbes, quas non spondet Victoria terras,
Mars ubi tam pulchrum publicus omen habet?

FREDERICO III,
D. G. MARCHIONI BRANDEBURGICO
S. R. I.
OCTOVIRO,
&c. &c. &c.
BONNA EXPUGNATA.

CApta fuit nuper Tibi Cæsaris Insula, Princeps:
Fulmine Mavortis Bonna recepta Tui est.
Proxima quæque Tuis pacasti viribus: & jam
Inferior Rhenus sub Tua jura fluit.
Finitimæ gaudent urbes, assertaque per Te
Excussit famulum Clivia tota jugum.

En jussis ut sponte Tuis obtemperat illa,
Jurat & in Domini verba fidemque sui!
Jurat in has ipsas Tua mox Germania leges,
Quæque Tua gentes sub ditione jacent.
Undique Te plausus circumstrepit, undique cives
Vindicis invicti nomen ad astra ferunt.
Si qua fides, minus ore Tibi, quam pectore, Princeps,
Plauditur. hoc in Te fonte redundat amor.
Innumeris potior palmis est ista, nec ullis
Debita militibus gloria; tota Tua est.
Bis victor duplicem, Princeps, meditare triumphum,
Cingat & Heroas laurea bina comas.
Tu populos, Tu, qua major victoria nulla est,
Subjicis imperio corda animosque Tuo.

IN DIEM QUO WILHELMUS MAGNÆ BRITANNIÆ REX EST CORONATUS: ET *In illius diei memoriam accensos per omnem Bataviam* NOCTURNOS IGNES.

NOcturni summis pendent de turribus ignes,
Perque vias fulgent lumina, perque domos.
Ignea sub nubes mittuntur tela: sub undas
Sidunt igniti, subsiliuntque, globi.

Ar-

Ardentes tormenta vomunt de mœnibus undas:
Igne micat tellus, ut micat igne polus.
Quid rear? Anne etiam portat ſua ſidera tellus?
An cœlum flammis fulgurat omne novis?
Sic puto: Deſerto fugerunt undique cœlo,
Abſconduntque ſuum ſidera fulva jubar.
Nubibus occultat frontem pudibunda ſub atris,
Seque putat medium Luna videre diem.
Abde ſerenatum, Phœbe, caput, abdite, ſtellæ:
Nil noſter veſtro lumine mundus eget.
Nimirum, Auriacum nobis dum luceat aſtrum,
Diffundens radios in latus omne ſuos,
Lætitiæ toto ſuſpenſis æthere ſignis,
Paſcere nocturnus deſinat aſtra polus.

WILHELMO
MAGNÆ BRITANNIÆ
REGI,
HIBERNIÆ PACATORI,
&c. &c. &c.

CUncta manu valida proſternere, fulminis inſtar,
Pellæi quondam laus erat arsque Ducis.
Adventu oppreſſas necopino ſubdere gentes,
Romani fuerat Cæſaris illud opus.
Credite, poſteritas: nunc Regis utrumque Britanni,
Auriaci nunc eſt Principis illud idem.
Fulminis in morem, quaqua venit, omnia ferro
Demetit, & cunctas amputat enſe moras.

Mœnia sunt testes Dublinia: testis Ierne,
  Si qua fides, uno pœne subacta die.
O & Alexandro, Princeps, & Cæsare magno
  Nil minor! alterutrum Téne, an utrumque, vocem?
Tu potior vel utroque: Tua virtute peractum est
  Majus Alexandro, Cæsare majus opus.
Imbelles alter populos deviceræt: alter,
  Quam Tu vicisti, cedere jussus humo est.
Perge, decus Regum, rursumque faventibus auris
  Transfer in oppositum Martia signa solum.
Te noscat Regem, te sentiat hostis, & illi,
  Cui nomen fueras vile, tremendus eas:
Collaque submittant jam languescentia Gallo
  Sanguine purpureis Lilia Galla Rosis.
Perge, precor, quaque ipse Tibi se pandit Olympus,
  Dudum promeritam carpe sub astra viam:
Majoresque Tuos, quantum prævertis honore,
  Victrici supera, pulchrior usque, manu:
Quodque piis unum votis restare videtur,
  Vince annis Proavos, vincis ut ense, Tuos.

GERARDO HOOFDIO,

In pugna contra Gallos maritima

Fortissime occumbenti.

OStensus tantum terris, terrisque negatus,
  Ne proprius nobis hic, reor, esset honos,
Conditur hoc tumulo, juvenili extinctus in ævo,
  Hoofdius, ille tuus, terra Batava, dolor.

Infe-

Inferior numero, ſed major pectore, paucis
Dum ſequitur plures aggrediturque rates;
Primus in hoſtiles dum fulminat ære carinas,
Et melius patriæ, quam ſibi, pugnat, obit.
Ille cadit, toto cedentibus æquore Gallis,
Vincit & armata poſt ſua fata manu.
Quot lauros, quot ſublatos hac morte triumphos,
Quas intercepit ſpes, niger iſte dies!
Patria, crede tuum te nunc amittere Druſum:
Te nunc Marcellum perdere crede tuum.

MAXIMILIANO EMANUELI BAVARIÆ DUCI, S. R. I. Octoviro & Archidapifero, BELGII REGII GUBERNATORI, &c. &c. &c.

BElgica, Rectores dum fluctuat inter Iberos,
Quem petiit voto, quem prece nacta Ducem eſt.
Turcarum exuviis, & Cæſaris inclytus armis,
Gloria Magnanimis Maxmilianus Avis,
Cæſaris Auguſti columen, Regiſque Philippi,
Qua Bavaros, Belgas jam reget ille manu.
Exultant paſſim populi: laudatque probatque
Belgica conſilium, Rector Ibere, Tuum.
Belgica præſidio, nec non Germania, tanto
Gaudet, & hoc certam Vindice ſperat opem.

Gentis amor Bavaræ, Dux optime, gentis Iberæ;
Auxilium Belgis grande future Tuis:
Pulvere Cæſarei jam dudum cognite belli,
Cognite proſtratis Maxmiliane Getis:
Sentiat attonitus, ceu Thrax, Tua fulmina Gallus;
Nec minus hoc illo laudis ab hoſte refer.
Lætus agat Bavarus ſopitis otia bellis;
Et longa per Te pace fruatur Iber:
Reſtet & hoc unum populo certamen utrique,
Floreat imperio plus hic, an ille, Tuo.

JOHANNI HUIDECOPER,

Domino in Marſeveen,

VII. CONSULI.

O Marſeveniæ columen gentisque domusque,
Grande decus Batavi nominis, urbis honos,
Edite Conſulibus Conſul, clara edite divum
Stirpe, tibi ſimiles & geniture deos,
Auſpiciis ordire novum felicibus annum,
Inclytaque Amſtelii fræna capeſſe ſoli.
Plaudit ab amne ſuo pater Amſtela, plaudit & Ya,
Quaque patet, fluctus criſpat uterque ſuos.
Ad tua Pegaſeæ properant præconia divæ,
Pulſat & auratam Delius ipſe chelyn.
Et merito: neque enim artificis teſtudine Phœbi
Conveniunt titulis fila minora tuis.

IN LIBRUM JOHANNIS DE RAEY, DE INTERPRETATIONE.

SEnsibus abstraxit Mentem mens dia Platonis,
In contemplando fixa tenaxque Deo:
Sensibus adstrinxit Mentem, multoque minori
Inclusit gyro magnus Aristoteles.
Hinc duplex Ratio, duplex cognoscere verum
Est modus; hic cunctis convenit; iste, Sophis.
Alterum ab alterutro spatiis distinguere certis,
Et docti simul est & sapientis opus.
Hoc docet hic, qui carceribus liber exit apertis,
Versandus manibus, qui sapis, usque tuis.
Hic Res, & clausas Verborum cortice gazas
Explicat, & sensum donat utrique suum.
Accipe, Posteritas, doctumque agnosce laborem,
Quemque tibi signat tramite, carpe viam;
Et dic, quisquis eris monitis instructus ab istis,
Hæc me qui docuit Mystica, Rayus erat.

IN LIBRUM ANTONII BYNÆI DE MORTE CHRISTI

Latinitate donatum, & multis partibus auctum.

DE Cruce conscribens patrio sermone Bynæus,
Grande decus meruit; quod meruitque tulit.

Illud idem Latio ſignans ſermone, decoris
  Plus quoque, quod credi vix queat, inde feret.
Plenior aërias, & pulchrior, exit in auras
  Iſte liber, Domini tertia cura ſui:
Quemque prius Batavi, ſpatioque coërcita parvo
  Belgica, terrarum nunc latus omne leget.
Felicem ſtudii, fortunatumque laboris,
  Qui tam præclarum condidit auctor opus!
Ecce ſacro raptus vento, & cœleſtibus auris,
  Vix ulli tritam ſternit ad aſtra viam:
Proque ſalute hominum delapſum ex æthere numen,
  Ut docuit naſci, jam docet ille mori.
Chriſtiadum Chriſti mortem dum nuntiat orbis,
  Hic, puto, Chriſtiadum vivet in orbe Liber.

PETRO COLARTIO
&
ELISÆ HOFMANNÆ.

VIrginibus ſeſe virgo ſacrarat Eliſa,
  Voverat & Muſis, altera Muſa, novem.
Qui facis infelix? inquit Venus: irrita tentas,
  Jam mihi, jam Nato præda futura meo.
Dixerat; inſolitos virgo Phœbæa furores
  Concipit, atque alium ſentit Eliſa Deum.
Æſtuat, & cœcum nutrit ſub pectore vulnus,
  Inviſumque prius nomen amoris amat.
Nil agis, o Cytherea: toro ſocianda jugali,
  Pars manet Aonii non minus illa chori.
Muſarum ſtudiis, ſtudiis operata Minervæ,
  Hoc aget, & cœptum tam bene carpet iter.

Quin

Quin dulces etiam natos, natasque, docebit
Hæc eadem quondam sacra magistra Parens.
Auguror: Harlemo nova lux orietur, & urbi
Grande decus Genetrix, ceu fuit ipsa, dabit.

JACOBO DE FLINES,

&

AGATHÆ vander VULT.

EXornaturus tabulis Junonia templa
Æsareas quondam Zeuxis adibat aquas;
Et jam formosam cupiens simulare Lacænam,
Sistite, formarum quicquid habetis, ait.
Ille jubet: jussæ linquunt sua tecta puellæ,
Insignes forma corporis, ore pari.
Spectat, & è numero paucas sibi deligit omni
Pictor, & artifici lumine quamque notat.
Hæc humeros, hæc colla dedit; dedit illa labella
Mollia; purpureas contulit illa genas.
Hæc frontem, hæc lætos oculorum suggerit ignes:
Illa manus teretes commodat, illa pedes.
Stabat opus: stupuere viri, stupuere puellæ,
Et quiddam Oebalia virgine majus erat.
Viveret ô utinam Zeuxis, formamque decusque
Cerneret idem Agathæ nunc, Iacobe, tuæ!
Cedite, clamaret, formosæ, cedite cunctæ;
Hæc mihi forma Helenen, hæc mihi sola dabit.

JOHANNI CORVERO
CONSULI.

A Consulendo civibus recte suis
Deduxit ætas Consulum nomen prior,
Eosque Patres Patriæ dixit suæ.
Illi suorum rem decusque civium,
Industria, labore, continentia,
Mox artibusque litterisque, maximum
Vexere quondam laudis ad fastigium.
Dedere partes litteris illi suas,
Belloque quamvis dediti, bello quoque
Dedere primum litteris illi locum.
Has quisquis ornat, promovet, nutrit, fovet,
Partemque nostri maxime pulchram colit,
Næ verus ille civibus Consul suis!
Næ verus ille civibus Parens suis!
Hanc tu priorum pulcher insistis viam,
Corvere Consul, gentis Amstelæ decus,
Nostræque lumen inclytum Bataviæ.
Tu, litteratus ipse, litteras nigro
Reducis Orco, jamque perditum diu
Priscis nitorem reddis artibus suum.
Tu civitati consulis, Consul, tuæ
His consulendo, remque publicam juvas
Has adjuvando: jamque debitum tibi,
Longe triumphis pulchriorem bellicis,
Victâ triumphum ducis Ignorantia.
Tu litterarum restitutor unicus
Menti sacellum ponis æternum Bonæ,
Boni parentis instar, & natis simul

Et

Et nascituris consulis nepotibus,
Verus tuornm civium Consul, Parens.
Quare illud aures, quæso, ne offendat tuas,
Præclare consul, urbis inclytum decus,
Si te vocaro Consulem dignissimum,
Si te vocaro Patriæ Patrem tuæ.

AD
JOHANNEM CRAMERUM,
GERMANORUM ac BATAVORUM
Famæ Litterariæ Vindicem.

VIndex Batavæ gentis & Germanicæ,
Cramere, digne patriæ vindex tuæ,
Defensor æquitatis, & mentis bonæ,
Quam denegavit hisce gentibus palam
Gallus sacerdos, Galliæ pudor suæ,
Magnumque doctæ dedecus Lutetiæ.
Quid? Moscovitis, gentibusque barbaris,
Gentem Batavam, Censor, & Germanicam,
Componere audes? ingenîque gloriam
Famamque Gallis vindicas omnem tuis?
Adeone alumnos utriusque tu soli,
Calamo potentes, versibusque nobiles,
Passimque notos, cognitos habes viros?
Adeone nomen barbarum tibi sumus?
Quid Eobanus Hessus, & Georgius
Dicent Sabinus? quid Petrus Lotichius,
Et Ferdinandus ille Furstenbergius,
Grande ille Vatum, grande Præsulum decus,
Politus ille scriptor, ille Cæsaris

Pro-

Probatus ore, non probatus ut tuo,
Lascivienti virgulæ censoriæ
Isti reponent, Censor insolens, tuæ?
Quid, quos in almas lucis oras extulit,
Batava tellus, mater ac nutrix virûm
Politiorum, fertilis Vatum parens?
Agnoscis ecquid, ecquid audis, ô bone,
Æternitati consecrata nomina,
Dousas gemellos, & gemellos Heinsios,
Scriveriumque, Baudiumque, & inclytum
Musarum alumnum, Palladisque, Grotium?
Adeste cuncti: Tuque, Musa nobilis
Vatis Secundi, Vatis & Kinschotii,
Quos vitæ in ipso gloriæque limine
Oppressit atro Mors operta flammeo,
Nullis secundos vatibus, primis pares,
Et vos, Ibero fama magna Belgio,
Sidroniique, Walliique; rumpite
Somnos inertes: viribus communibus
Commune nomen vindicate Belgicum,
Commune crimen. Improbus pœnas luat,
Frontique inustam Posteri legant notam.
Non sic politi judicarunt Itali,
Ipsique Galli: nec tulit suffragium
Illud Rapinus, nec tulit Commirius,
Menagiusque, Huetiusque, carmine
Clari Latino, Litterarum Principes,
Et quisquis isto verior judex fuit.
At tu, Batavæ gentis & Germanicæ
Vitio create Censor, & fœdo die,
De mente quando disputabas hæc bona,
Quali fuisse mente te credam, Pater?
Audire verum si potes, dicam, Pater:
Aut mente nulla prorsus, aut prorsus mala.

JOHANNI POLLIONI
ET
MARGARETÆ RENDORPIÆ
FELICITER.

Iö Triumphe, bis Triumphe, Pollio,
Consentiente clamat ore civitas:
Triumphe, clamat Ya, clamat Amstela.
Uterque ab imo plaudit amnis alveo:
Utriusque læto murmurant ripæ sono.
Iö Triumphe! Buccina Triton cava
Commune toto gaudium narrat mari,
Et nuptiale concinunt Nymphæ melos.
Iö Triumphe! lauream Cupidinis
Victor reportat, & triumphat, Pollio.
Beate Sponse! Tot petita amantibus
Illa illa virgo, virginum decus, tuum
Conscendet illa jam torum puellula?
Beate Sponse! Tot negata amantibus,
Illa illa pulchra, blandula, & venustula,
Quæ purpurantes mollibus genis rosas,
Colloque vincit albicante lilia,
Tibi cupitos, Pollio, amplexus dabit?
Ergo illa blanda, bella, pulchra, candida,
Quæ margaritas, Persico lectas Sinu,
Candore vincit, & nitore, Margaris,
Te mollicella tanget, ac premet, manu?
Beate Sponse, ter beate, Pollio!
Tu nunc triumphas; cæteri mœrent proci:

Tibi

Tibi pacta conjux; & tua eſt Lavinia.
Tuo jacebit illa nunc in lectulo:
Tuis recumbet illa nunc in brachiis.
Tu dulce Sponſæ baſium figes tuæ,
In mutuiſque Conjugis complexibus
Vices dierum, noctiumque, divides.
Contentioſa tu fori negotia,
Et jurgiorum quicquid eſt, & litium,
Tumultuoſis æquor in Britannicum
Das ferre ventis; & tua procul domo
Omnem relegas Curiæ moleſtiam:
Poſt mille donec baſiatiunculas
Deinde bella rurſus ad forenſia
Redibis, ipſa fortior factus mora.
Sed nos amantum quid moramur gaudia?
Gaude, beate Sponſe; gaude, Margari:
Gaudete dulce mente tota gaudium,
Dulces amantes, quos perenni fœdere,
Et firmiore vinculo nectit Deus.
Vos ſanguis idem junxit, atque idem genus,
Idem virorum ſtemma Conſularium:
Nunc una jungit flamma, nunc jungit fides;
Nunc conjugale, quo nihil valentius,
Utrumque nodo proximo vinclum ligat.
Gaudete amantes, &, favente Numine,
Blandos, venuſtos, moribus pulchros bonis,
Similesque vobis, procreate liberos,
Patri daturos gaudium, ac Matri, novum;
Veſtris daturos gaudium Parentibus.
Rata vota faxit ille, qui ſolus poteſt;
Sintque iſta veſtra ſempiterna gaudia:
Majora vobis quando vix dari queunt.

In PRINCIPEM ERECTORALEM BRANDENBURGICUM WILHELMUM FREDERICUM,

Academiæ Hallensis Magdeburgicæ Fredericianæ

RECTOREM MAGNIFICENTISSIMUM.

PRoles Parentis maximi, Nepos Avi,
Utriusque nomen, utriusque gloriam
Sortite, Princeps, (auguror certe, tibi
Hoc augurari namque quid majus queam?)
Seu Martialem, sive litterariam,
Jam litteris Præfecte, jam Rector domus
Apollinaris, luce quam nuper bona,
Luce auspicata, luce natali, Tuus
Fundavit Hallæ ritè Magdeburgicæ,
Bonis juvandis Artibus natus, Parens:
Cresce, alme Divum sanguis, & datas Tibi
Capesse habenas, Teque & ætatem supra
Moderare parvâ fræna Musarum manu.
Bis quartus ibat edito vixdum Tibi
Natalis, ipso pæne natali die,
(Consentit astrum sic Parentis & Tuum)
Cum magnus, ingens, inclytus, nec unius
Crearis anni Rector, & viris gravem
Apollinaris sustines molem rei,
Princeps Juventæ, Musici Princeps chori.
Ergo Parentis maximi gressum legens
Vix inchoantis limine in puertiæ
Animosus infans, stirpis entheæ puer,

 Viros,

Viros, & urbes, remque litterariam,
Jam nunc gubernas; aureumque Palladis,
Majoris omen imperî, ſceptrum quatis!
Ergo hac tenella Litteras ætatula,
Arteſque doctas, noſſe quas nondum potes,
Et Diſciplinæ quicquid, & Scientiæ,
Scuto ut Minerva, cuſpide ut Parens ſua,
Patrocinaris ac tueris, omnium
Defenſor, Altor, & Patronus Artium?
Quid Berolinum, tota quid Germania,
Quid non Sicambra terra, quid non Belgica,
Quid univerſa Palladis Reſpublica,
Ab hoc Alumno Palladis ſperet boni,
Qui litteratis eruditus Artibus,
Dux eruditi litterarii chori,
Academiarum Rector ac Tutor fuit,
Ætatis ipſis pœne ab incunabulis?



EPI-

EPIGRAMMATA.

PETRI FRANCII EPIGRAMMATUM

LIBER PRIMUS.

Columbæ Perſicæ.

DUlce columbarum par eſt mihi. venit ab oris
Munus Achæmeniis. qui dedit, Acis erat.
Quale decus volucri! quam grata ſuperbia formæ!
Ut nitet! ut pennas explicat alta ſuas!
Hanc ſi conſpiceret, quæ paſſere luget adempto,
Siccaret madidas Lesbia læta genas.
Hanc cupida verſare manu, gremioque fovere
Præ ſibi dilecta mallet Iänthis ave.
His ſolitas mutare velit Cytherea columbas.
Alite non alio gaudeat illa vehi.
Conſpicuæ longos caudæ ſubmittat honores,
Lumine quæ multo picta ſuperbit avis.
Has bona ſideribus Juno variabit, & auro,
Concedant oculis ut nihil, Arge, tuis.

IN LIRIOPEN.

HÆc eſt, Amſtelias inter pulcherrima Nymphas,
Liriope, Charitum quarta, ſecunda Venus.
Mentior ah demens, nulli tam pulchra ſecunda eſt:
Prima Charis vero nomine, prima Venus.

Mentior ah demens:nec habet tam pulchra ſecundam:
Sola Charis vero nomine, ſola Venus.
Namque omnes complexa, omnes poſt terga relin-
Divaque cœleſtes exhibet una duas. (quit,
Nec plus aut Charis.aut Venus eſt:una abſtulit omnes,
Et Veneri Veneres, & Chariſin Charitas.

IN PUELLAM
In flumine navigantem.

OScula libabat nato Venus. oſcula nati
Senſit in occultas mater abiſſe faces.
Nec potis hunc tolerare ignem, ter deſilit Idæ
Vertice, ter patriis ſe Dea mergit aquis.
Ardebant piſces, ardebant Numina ponti,
Ardebant imis æquora gurgitibus.
Ardebant latè transfusâ flumina flamma.
Fallor? an in venis æſtuat illa meis?
Nempe ſuburbanæ ſpatior dum margine ripæ,
Vos mihi fluminea flamma fuiſtis aquæ.

Amantis & roſæ comparatio.

UT roſa nocturnis caput inclinata procellis
Rorem contractis manè bibit foliis,
Solis ut ad radios caput erigit inclinatum,
Et rurſum explicitis tota nitet foliis:
Lumine ſic ego, vita, tuo, ſic nectare paſcor,
O ros, ô vitæ ſol, Venerilla, meæ.

Solis ac dominæ.

QUalis humo rorem, nebulas fugat æthere Titan,
Eoo quoties ſurgit ab Oceano:

Talis tu, mea vita, fugas, dum lumina tollis,
Ore meo lacrymas, corde meo tenebras.

Autumni & vitæ.

ARescunt virides, autumno tempore, frondes,
Decrescitque suis omnis honos foliis.
Illa cadunt, pedibusque premit collapsa viator:
Mox tegit obducto vilis arena solo.
Hæc, quicunque sapis juvenis, tecum ipse voluta,
Et dic: Ætatis ista figura meæ est.

DE VENERE ET ADONIDE.

DEnte feri percussus apri exspirabat Adonis:
Lugebat carum mœsta Venus puerum:
Et tantum lacrymarum udis fundebat ocellis,
Effusi quantum sanguinis ille dabat.
De lacrymis anemona, rosæ de sanguine crescunt.
Iste color juveni, dum fuit ille, fuit.
E lacrymis, Cythera, tuis anemona resurgit,
Vita etenim domini fugit, ut aura, tui.
Quam bene diversi cöeunt in Adonide flores!
Alter erat vivens, alter erat moriens.

DE LYCORIDE.

NIgra comis, nigra luminibus, tota alba, Lycori,
Et nondum tactis candidior nivibus:
Sic oculis, sic nigra comis, nil nigrius ut sit;
Candida sic, ut sit nil quoque candidius:
Candida seu, seu nigra, places mihi tota, Lycori.
Tu me nigra albo, tu rapis alba nigro.

Hoc nihil eſt nigro, nihil hoc jucundius albo;
Et, quamvis diſpar, pulcher uterque color.
Conſuluit Natura tibi : contraria junxit,
Te quoque uti fieres, ſi pote, pulchra magis.
Nigra comis, nigra luminibus, tota alba, Lycori,
Candorem nigro ducis ab oppoſito.
Nigri oculi, nigræque comæ: mage candida nigris
Ut videare oculis, ut videare comis.

DE PHYLLIDE.

SUnt in amore duces oculi. Nil verius eſſe,
Exemplo didici nuper & ipſe meo.
Reſpexit mea me illicibus modo Phyllis ocellis,
Spiculaque in medium fixit acuta jecur.
Quid mihi cum facibuſque tuis, teliſque, Cupido?
Phyllidis ex oculis certius illa volant.
Illa pares arcus, pariles habet illa ſagittas;
Quotque jacit radios, tot jacit illa faces.
Arcus margo ſupercilii, radiique ſagittæ.
Contrahit hunc, illinc vulnera torquet Amor.
Ite procul, mentita Venus, mentite Cupido:
Illa mihi Venus eſt, illa Cupido mihi.

De Eadem.

ÆGra jacet Phyllis, lentoque affixa cubili
Torretur flamma febris; amoris, ego.
O utinam valeat, tædaque unita jugali
Uratur flamma Phyllis egoque pari:
Et bene conjunctos igni conſumat eodem
Caſtus amor, donec fiat uterque cinis!

In Eandem.

PHyllida amo ante alias, & se mihi nescit amari:
Me fortasse etiam, nec scio, Phyllis amat.
Illam mente mea volvo noctesque diesque,
Nec res ulla mihi gratior esse potest.
Dic age dic, aliis longè prælata puellis,
Dic, quæso, Phylli, num tibi decidimus?
Decidimusne tibi, Phylli? dic, optima Phylli,
An memor es nostri, dum memor ipse tui?
Ah, memor est nostri Phyllis. me diligit omni
Pectore: me noctes cogitat atque dies.
Mentibus ut mentes junguntur, sic, precor, olim
Jungantur nostris corpora corporibus.
Sic nodo nexis gemino, vincloque perenni,
Detur inoffenso vivere conjugio.

IN HYELLAM.

COntiguis paries obstabat amantibus olim:
Contiguo paries obstat, ut ante, mihi.
Sorte horum pejor mea sors. his rima patebat:
Rima iter alloquiis officiosa dabat.
Me mihi conjuncta murus disjungit Hyella,
Rima iter alloquiis nec facit ulla meis.
Surgat atrox Boreas, & murum verberet alis,
Et faciat plaga non coëunte viam.
Quid loquor? ah vereor, ne te mala frigora lædant,
Et noceat capiti ventus, Hyella, tuo.
Ah, ne te rapiat, vereor. dudum assolet ille
Insidias pulchris nectere virginibus.

AD LEONORAM.

ESse quid hoc dicam, quod sic noctesque diesque
Discrucias miris me, Leonora, modis,
Et desiderio cogis tabescere inani,
Dum careo vultu, pulchra puella, tuo?
Tu me noctes atque dies, sine fine, fatigas.
Pendet ab adspectu noxque diesque tuo.
Cum libuit, media reddis mihi luce tenebras:
Cum libuit, media das mihi nocte diem.
Nam si forte die medio tua subtrahis ora;
Existunt tenebræ, subtrahiturque dies.
Et si nox subducta mihi rursum ora reducit,
Splendescit medio purius illa die.
Ah miseri quæso, ah miseri miserescito amantis,
Adspiciamque oculos nocte dieque tuos.
Sic nullis unquam in tenebris, ac luce perenni,
Vivam perpetuos, & sine nocte, dies.

Ad Eandem.

PLus uno me dura necas, Leonora, dolore.
Nec tecum possum vivere, nec sine te.
Vestra repulsa facit, ne tecum vivere possim:
Te sine ne possim vivere, noster amor.
Certat amor, certatque odium. tu spernis amantem:
Ipse tamen, quæ me spernit, & odit, amo.
Eripe me his, Leonora, malis: & da mihi tandem,
Ut tecum possim vivere, vel sine te.

Suspirium.

ITe, precor, testes animi suspiria mœsti:
Ite, precor, flammæ nuntia signa meæ.

Vos levibus devecta, poli per inania, pennis
In molles Dominæ deferat aura sinus.
Dicite, quos illa patiar languente dolores:
Quot lacrymas fundant lumina: lingua, preces.
Lamentis evicta meis miserabitur illa,
Et gemitus ægro fortisan ore dabit.
Excipite hos, quæso, gemitus, pretiosaque amoris
In nostros iterum pignora ferte lares.
Certa meæ dolor iste meus medicina puellæ:
Est dolor hic animo certa medela meo.
Mutua sic pariter suspiria suspirando,
Ipse levem luctus illius; illa, meos.

AD NEÆRAM.

Pondus iners thalamo, sine te, mea vita, recumbo,
Nec te, nec placida nocte, Neæra, fruor:
Et totidem lacrymas, totidem suspiria fundo,
Hic quod nocturnus sidera Olympus habet.
O utinam tecum lecto requiscere in uno,
Inque tuo liceat, vita, cubare toro:
Totque genis, tot purpureis dare basia labris,
Quot fundo nunc suspiria, quot lacrymas!
Fallimur? an Venus ipsa suo dedit omen ab astro,
Et mihi, quæ petii, gaudia spondet Amor?
Basia jam totidem fiunt suspiria nostra:
Jam totidem nostræ basia lacrymulæ.

ACON.

Passus Acon dominæ nuper fastidia duræ
Flebat inhumanæ barbariem dominæ.
Carpebant animum curis æqualibus ægrum
Et dolor & tanti caussa doloris amor.

Ante focum suspirat amans; Venerisque marito
  A Veneris puero vulnera facta refert.
Quam dispar, Vulcane, inquit, nos caussa perurit!
  Te tua, me nati flamma severa tui.
At quanto tuus igne meo felicior ignis.
  Ista brevi fient pabula vestra cinis.
Pascunt nutrimenta meum diuturna dolorem,
  Nec nisi cum vita finem habitura mea.
O utinam rogus iste meus foret ignis, & artus
  Ambustos gelidum verteret in cinerem!
O utinam gemini fierent mea lumina rivi,
  Ut miser ipse meis obruerer lacrymis!
Dixit, & uberibus oculis erumpit aquæ fons,
  Et miser ipse suis obruitur lacrymis.
Diffluit attenuatus Acon, & flumine eodem
  Restinguit flammas ignis, & ipse suas.

Ad Venerem & Cupidinem.

ÆTherei pisces, quorum tu pulchra Dione,
  Tuque Dionæus crederis esse puer,
Dicite, perpetuo cum cuncta peruritis igne,
  Cur stetis gelido frigida signa polo?
Æternumne algetis, ut æternum algeat Ægle?
  Semper an ardetis, semper ut urar ego?
Sic habet: hoc frigus dominæ crudelis imago est.
  Sic habet: hæc animi flamma figura mei est.
Heu quam dissimilis nos sors agit! ipse medullis
  Tostus alo flammas omnibus: illa riget.
Urite difficilem, genialia Numina, Nympham.
  Non bene sub vestro sidere friget amor.
Certe ego debueram nullos sentire calores,
  Aut ardere pari debuit illa face.

Ad Morum.

MOre, necis geminæ teſtis, quæ germine pullo
Infelicis adhuc ſigna cruoris habes:
Mitte meæ Dominæ paullum de fœtibus iſtis,
Et moveant animum mollia dona trucem.
Thisbeis humor venis qui fluxerat olim,
E venis Dominæ nunc fluat ille meæ.
Si quid adhuc flammæ retinet cruor iſte prioris,
Sentiet Idalias ima per oſſa faces:
Ardebitque viciſſim, & ſe patietur amari.
Idem hanc, qui Thisben uſſerat, uret amor.
Tunc ego ſub veſtris optem requieſcere ramis,
Et ſomnum cara carpere cum Domina.
Tunc tu, Pyramei fueras quæ pignus amoris,
Æternum & noſtri pignus amoris eris.

Ad eandem.

O Quæ Pyrameos obitus, Thisbæaque fata
Luges demiſſis More, cacuminibus:
Junge tuis mea junge tuis lamenta querelis,
Et luctus priſcis luctibus adde novos.
Flere libet tecum. mala noſtra fleamus uterque
Scilicet, ô lacrymis uſque riganda meis.
Par dolor eſt utrique, at non par cauſſa dolendi.
Alterius caſus tu gemis, ipſe meos.
Triſtia tu ploras geminorum funera amantum:
Phyllidis exſtinctæ flebile funus ego.
At tu, ſi domini, ſi quid miſereris amantis,
O decus, ô horti gloria prima mei:
Pro pomis age purpureis fer candida rurſum.
Nil erat hac ipſa Phyllide candidius.

Amantis & avium comparatio.

INnocuæ volucres dulci quæ carmina voce
Funditis, & campo luditis aërio:
Cur vobis adeo licuit felicibus esse,
Vestraque sors melior conditione mea est?
Vos, quocunque libet, cœlo volitatis aperto.
Vos totum læto fallitis ore diem.
Vos canitis: vos audit amans vicina canentes,
Accinit & blando fœmina blanda mari.
Vos nuptas & amatis, aves, & amamini ab illis;
Sanctaque sunt vestri fœdera conjugii.
Vos ævum incerta sine spe, certoque timore
Ducitis, & vitam degitis aureolam.
Me curis premit innumeris, præcordiaque angit
Intima, res multi plena doloris, amor.
Ipse cano: nihil exaudit Galatea canentem,
Ut canerem vobis suavius & melius.
Illam ego depereo: cupidum fastidit amantem
Illa, per & silvas aufugit, & scopulos.
Includor teneorque meo, seu carcere, tecto,
Affigorque ægro pondus iners thalamo.
O fortunatæ nimium, nimiumque volucres!
O infelicem me, miserumque nimis!

Vitæ & florum.

PUrpurei flores, vitæ mortalis imago,
Quos sæpe una dies gignit, & una necat:
Crescite, formosi flores, gratoque colore
Exhilarate oculos, dum viget iste color.
Invalidi nimium flores, quos pondere nullo
Decutiunt auræ, decutiunt pluviæ.

Iste

Iſte color fragilis noſtri nos admonet ævi,
Et monſtrat, quam ſit vita caduca hominum.
Diſcite, qui ſapitis mortales, iſta tuendo,
Plus animum veſtris paſcere luminibus.

Noctis & mortis.

VErgit in autumnum, revolutis menſibus, annus,
Et peragit ſpatio Sol breviore diem.
Nox ruit Oceano, nigræque ſimillima morti
Involvit tenebris noſtraque noſque ſuis.
Credite, mortales; noſtræ ſic veſpera vitæ
Labitur, & longis approperat pedibus.
Veſpera, quam greſſu magno nigra ſubſequitur nox,
Obſignans ſomno lumina perpetuo.

Mortis & ſomni.

UT mors conveniunt, & ſomnus, mortis imago!
Illa caret ſenſu, ſenſu etiam ille caret.
Quidnam igitur ſomnus, niſi mors? quid mors, niſi ſomnus?
Aut dormire aliud quid, niſi ſæpe mori?
Et poterit mors ipſa homini necopina videri,
Cum nos aſſiduè mortis imago premat?

Ad Balnea Aquisgranenſia.

I.

BAlnea, Bajanis nil concedentia thermis,
Frigore grata ſuo, grata calore ſuo,
Parcite frigidulis calidam ſuffundere lymphis:
Infecit gelidas igne Amaryllis aquas.
Illius & veſtro quamvis caleatis ab igne,
Igne tamen noſtro lenior ignis erit.

II. Antra

II.

ANtra umbrosa, perennibus antra sonantia lymphis
  Quæque sub hac tegeris, lubrica Naï, domo:
Et quæ formosos formosæ Amaryllidis artus
  Excipis, & niveos abluis, unda, pedes:
Fortunatæ umbræ, fortunatique recessus,
  An Diana istas, an Thetis, intrat aquas?
Neutra, sed affini de sanguine nata Amaryllis,
  Diana longe pulchrior, & Thetide.

III.

EXcipitis pulchram quæcunque Amaryllida Nym-
  Illam nexilibus stringite brachiolis. (phæ,
Vos illam servate mihi, vos donec adibo,
  Constringamque meis illam ego brachiolis.
Illam nexilibus complectar fortius ulnis,
  Quam tenuit puerum Salmacis ante suum.
O utinam pariles, vestro quoque gurgite, vires,
  Quas habuere illæ, vos habeatis, aquæ!
Nostra utinam fierent unum duo corpora corpus,
  Æternumque mihi lux mea juncta foret!
Sim, quodcunque jubetis, aquæ: nihil esse recuso,
  Dummodo cum Domina mî licet esse mea.

IV.

BAlnea dum spectas, mea lux, frigusque, caloremq;
  Effigiem veram nostrum utriusque vides.
Cruda repræsentant gelidas tua frigora lymphas:
  At meus ardentes exhibet ignis aquas.
Quin, quibus assimulamur aquis, imitamur easdem?
  Nonne vides? sollers miscet utramque manus.

Con-

Confundit gelidas calidis, gelidiſque calentes,
Accipiuntque ſuam balnea temperiem.
Quid cunctare? meo tua frigora junge calori,
Temperiem juſtam noſter habebit amor.

In Lauram fugientem.

QUæ tenet à lauro nomen pulcherrima Laura,
Ut nomen, lauri ſic habet ingenium.
Sub lauro latitat Peneïa. Laura ſequentem
Spernit amatorem, ſprevit ut illa, ſuum.
Illius exemplo caveas tibi, Laura, memento,
Ne fias, Daphne facta quod ante fuit.
Supprime, Laura, fugam: quid te, pulcherrima, perdis?
Dum licet, & nympha es; ſupprime, Laura, fugam.
Quod niſi deſiſtas, cujus modò nomen habebas
Arboris, ejuſdem nominis arbor eris.

Amantis & turturis comparatio.

QUalis deſerta mœret ſuper arbore turtur,
Nec potis eſt rapto vivere conjugio;
Suſpiratque gemitque, & tantis luctibus impar
Deficit, atque ipſis queſtibus immoritur:
Talis ego, Domina erepta, doleoque gemoque,
Nec poſſum hos luctus ferre, diemque pati.
Alma fave Cytherea, meas nec ſurripe flammas:
Tu rapies vitam, ſi rapias Dominam.
At potius miſerere, & raptam redde puellam:
Tu dederis vitam, ſi dederis Dominam.

Somnus ad undam.

DUlce domo tacita Zephyros audire ſonantes,
Quæque per arboreas ſibilat aura comas:
Dulce ſuſurrantis fluvii, pluviæque cadentis
Murmura ſuſpenſis imbibere auriculis:
Et ſenſim ſenſimque labantes condere ocellos.
Obveniat noſtris iſta quies oculis!

Vitæ privatæ felicitas.

FElicem qui non populari pendet ab aura,
Magnatumve colit tecta ſuperba virûm:
Qui nec divitiis, nec honoribus acquirendis
Ringitur, & voto ſufficit ipſe ſuo:
Naturæque bonis dives, dapibuſque paratis,
Aurea privato ſæcula condit agro!

DE HERCULE & CUPIDINE.

JActabat ſe forte patri Tirynthius heros,
Narrabatque ſuâ monſtra ſubacta manu:
Exuviiſque ferox, clavaque timendus & arcu,
Per vultus incedebat & ora Deûm.
Riſit Amor, movitque ſuas puer improbus alas,
Et pharetram oſtendens, Hæc, ait, arma time.

De iiſdem.

DUm ferus Alcides puero minitatur Amori,
Rettulit hæc illi verba puſillus Amor:
Quid mihi, quid tecum, fortiſſime? parce minari,
Aut iterum clavâ fila trahes poſitâ.

Mala Luſitanica,

QUod dederat pomum pulchræ Paris ante Dionæ,
Vallibus Idæis, tale fuiſſe puto.

Quo

Quo quondam Hippomenes cœpit Schœneïda dono,
Vallibus Arcadiis, tale fuiſſe puto.
Quo prius Heſperidum, ſi vera eſt fabula, rami
Germine fulgebant, tale fuiſſe puto.
Certè ego tale tibi pomum, Cytherea, dediſſem:
Donaſſem pomum tale, Atalanta, tibi.
Fallor, an hoc ipſo frondes ſpoliaverat auro
Atlantis magni victor Abantiades?
Scilicet in ſeros Perſeus hæc poma nepotes
Tranſtulit extremæ finibus è Libyæ.
Convenit. occiduo creſcebant illa ſub axe:
Hæc quoque creverunt axe ſub occiduo.

Morus.

CUr ſua paullatim protrudat germina morus,
Nec matureſcat tota ſimul, ratio eſt.
Non ſimul ad dictam venerunt arborem amantes,
Pyramus & Thisbe: venerat illa prior.
Non ſimul infecere ſuo poma alba cruore,
Pyramus & Thisbe: concidit ille prior.
Hinc tempus venientum, & letum imitata cadentum,
Fructum haud unius temporis arbor habet:
Inque vicem nunc parte rubet, nunc parte nigreſcit,
Sanguine Thisbeo, ſanguine Pyrameo.

Terræ & Danaæ comparatio.

QUalis in occluſæ gremium veniſſe puellæ
Aureus in pluvia fertur adulter aqua:
Talis in occluſæ gremium telluris ab alto
Aureus æthereæ depluit imber aquæ.
Non hæc grata minus, non eſt minus aurea, quam quæ
Implevit clauſæ virginis unda ſinum.
Unda perennis, amabilis unda, optataque votis
Omnibus, auro omni carior, unda veni:

Utque olim Danaën fœcundo Juppiter auro,
Sic tu fœcundis imbribus arva riga:
Quæque tibi dudum ſupplex fuit, arida tellus
Excipiat pluvium, ceu prius illa, Jovem.
Audior. en pluviæ, puroque ſimillimus auro
Deſcendit terræ e Juppiter in gremium.
O utinam ſæpe ille ſuo deſcendat Olympo,
Sitque precor terræ, quod fuerat Danaæ.

IN CUPIDINEM ÆNEUM,

Qui Bruxellis in nemore propter aulam conſpicitur, aquas ejaculantem.

I.

QUi flammas ignesque vomis, qui totus es ignis,
Parve puer, gelidas quid jacularis aquas?
An, quia cæruleo prognata eſt gurgite Mater,
Uvida cognatâ ſpargitur unda manu?
An, quia damnoſos mater tibi ſûrpuit ignes,
Extinxitque tuas occuluitque faces?
An, quia perpetuis exureris ignibus ipſe,
Et refrigerium tu tibi poſcis, Amor?
Hei mihi, quid volui? nullâ reſtinguitur undâ
Fluminis aut fontis, flamma perennis, amor.
Omne licet Veneris puerum circumſonet æquor,
Fluctibus haud poterit, hæc quibus orta, mori.

II.

Hirtus in Antiopa Satyrus Rex ætheris alti,
Bos in Agenorea virgine blandus erat.
In Danaën auro pluviæque ſimillimus imber,
In Ledam pennis ibat olor niveis.
Diverſas illum in formas mutavit amantem
Exiguus, magno ſed Jove major, Amor.

Omnia

Omnia consumpsit viduatâ tela pharetrâ,
Inque Jovem solas nunc jaculatur aquas.

III.

Aliger aërias jacit humida tela per auras,
Ferrea qui solitus mittere tela, puer.
Hac, puto, supremum districinxit arundine pectus
Non exorandæ torvus Amor Dominæ.
Ferrea missilibus quin permutamus aquosis
Spicula; dura, Puer, mollibus; illa, meis?
Protinus ardebit nostros Amaryllis amores,
Indomitum ferro pectus adusta meo.
Unda meos, si non restinguet, leniet ignes;
Leniat ardores si tamen ulla meos.

IN
GALLUM GALLINACEUM

Longe pulcherrimum morte surreptum.

OCcidit Eois Gallus mihi missus ab oris,
Gloria cristati prima decusque chori.
Qualis erat, lentam cum voce cieret acuta
Auroram molli conjugis è gremio!
Qualis erat, cum formosas expanderet alas,
Inque orbem gyros duceret innumeros!
Crista rosas, niveæ vincebant lilia plumæ:
Verrebat longum cauda superba solum.
Non illi candore alius contenderet ales,
Non qui Mæandri margine ludit olor.
Ille tamen fato nobis ereptus acerbo
Candidus, heu nigram cogitur ire viam!

At tu, qui noſtrum ſpatiatus ſæpe per hortum es,
Multus amor domini, Galle, dolorque tui;
Hac mihi dilecta Mori requieſce ſub umbra,
Et levior plumis ſit tibi terra tuis.

IN
JOH. SECUNDI POEMATA,
Pluvio imbre madefacta.

Quis conſpurcavit te lapſus ab æthere nimbus,
Fœdavitque tuos, culte Secunde, modos.
Facundi periere Elegi, periere Neæræ
Baſia, & Hyblæo tincta labella favo.
Squalet Apollineus nimborum adſpergine vates,
Et ſuperinfuſæ mole madeſcit aquæ.
Tu vero incolumis ſalve, cariſſime, ſalve,
Ora madens pluvia, ſic quoque pulcher, aqua.
Talis erat, cum rorantes, tua diva, capillos
Exeruit lymphis Idalis Idaliis.
Fallor? an hoc ipſo tua lux, tua Julia, vultu
Deciduo madidas explicat imbre comas?
Utraque formoſa eſt, neglecto eſt utraque cultu:
Illa madet pelagi fluctibus, illa poli.

Amor inſomnis.

ANte meos oculos Dominæ verſatur imago
Multa, quies membris nec venit ulla meis.
Hei mihi, quam ſævus Deus eſt Amor! uſque ſoporis
Immunes oculos ille protervus habet.
Juppiter, huic Phariam puero committe juvencam,
Surripiat Natus ne tua furta tuus.

EPI-

PETRI FRANCII EPIGRAMMATUM

LIBER SECUNDUS

MONQUII TUMULUS.

Clauditur hoc tumulo, si quâ modò clauditur orâ,
  Assertor lapsæ maximus ille rei:
Quo duce plebejos exosa Britannia fastus
  Reddidit hæredi sceptra paterna suo.
Ardua Niliacos Memphis ne jactet honores:
  Hæc plus quam Regis marmora corpus habent.
Monquius hîc situs est: qui, nulla capessere regna,
  Imperio majus credidit imperium.

DE FRANCISCO BARBERINO CARDINALI.

Manè Palatini visurus Apollinis ædem
  Ibam Cæsareo Romuleoque foro;
Fatidicique Dei pendebam in limine primo,
  Cum vox ex adytis reddidit ista mihi:

Falleris, & nescis: deserto colle Palatî
  Francisci cultam servat Apollo domum.
Nec novisse virum labor est. malè celat honorem
  Gloria purpureæ præsidiumque togæ.
Nou sinit in tenebris Phœbum torpere jacentem,
  Et procul a Latio rus habitare suo.
Evocat exilio profugas pius ille Camœnas,
  Et lare palantes hospitioque fovet.
I nunc, & veteres Urbis mirare ruinas:
  Hoc unum veteri restat ab Urbe super.

DESIDERIUS ERASMUS

Foro Rotterodamensium redditus.

HOc vultu Desiderius spectatur Erasmus,
  Quisquis ades, sacrum devenerare locum.
Hic vir, hic ille, suum quem jactat Rottera civem:
  Quem poterat civem dicere Roma suum.
Ostendit tumulum Basilea, urbs Rottera cunas.
  Sustulit hæc puerum, detinet illa senem.
Divisi longe cineres natalibus oris:
  Una etenim nequiit tantus ab urbe capi.
Occidit ad primi nascentia flumina Rheni:
  Ad Mosæ occiduas amne resurgit aquas.
Ecce voluminibus mens est intenta legendis,
  Nec vacat à solito docta labore manus.
Ponte superpositus, nullaque cöercitus æde,
  Liberius cœlum, nunc quoqne liber, amat.
Tempus edax istum simulacro invidit honorem,
  Nec poterat positi pondera ferre locus.

Abſterſere Patres ſenium ſignoque locoque.
  Ille novo fulſit ponte; Vir, ore novo.
Rurſus & Heſperiis & notus Eraſmus Eois
  Viſitur Eoïs, viſitur Heſperiis.
Nunc Crete narrare Jovem deſiſtat alumnum:
  Phœbæa placeat nec ſibi mole Rhodos.

ISAACO SWERIO.

HOc tegitur ſaxo, qui ſe ſibi debuit omnem,
  Suerius: ille Euro cognitus, & Zephyro:
Americes Libyæque tremor: quem Biſtonis ora
  Horruit, & gelido Mænalis urſa polo.
Ter conjuratos Batavo de litore reges
  Reppulit: aſſerto ter ſale, victor obît.
Da lacrymas, pater Ya, viro, pacemque precare,
  Ut voveas illi, quod dedit ille tibi.
At vos hinc, hoſtes, diſcedite: prælia ſpirant
  Heroi cineres, oſſaque bella movent.

IN EFFIGIEM JOANNIS III, *Polonorum Regis.*

ADſpice victorem, ſibi qui meritiſque manuque
  Protritis peperit ſceptra Polona Getis.
Audit, & Attonito Rodope juga concutit Hæmo,
  Et trepidant refluis Hebrus & Iſter aquis.
Quantus ineſt oculis Mavors! En Thracia Luna
  Mergit in Ægæo cornua fracta mari.

ABRAHAMO HEIDANO.

HEidanus jacet hic, noſtri facundia ſæcli:
Ille ſenex, Pylio proximus ore ſeni.
Quod fuit eloquio, fieri quoque debuit ævo,
Nec, niſi poſt totidem ſæcla, quot ille, mori.

IN HISTORIAM SUECICAM

SAMUELIS PUFFENDORFFII.

I.

PRincipis Herois princeps certamina Vates
Divino cecinit carmine Mæonides.
Vidit, & ingemuit, fortunatumque vocavit
Dux Macedo Hæmonium, buſta ſub ipſa, Ducem.
Quid faceret, ſi Guſtavum ſpectaret Adolphum,
Et Puffendorffi prælia ſcripta manu?
Ederet hîc iterum gemitus, puto, Teque beatum
Diceret ad tumulum, victor Adolphe, tuum.

II.

DOcta manus Coi Venerem depinxit Apellis:
Dat Puffendorffi Pallada docta manus.
Tam pulchris etenim viviſque coloribus illam
Exprimit, ut ſimilis vix magis ipſa ſibi.
Ante Jovis magni natam, Jovis ante ſororem
Vicit in Idæis Cypria Diva jugis:
At nunc germanamque Jovis, natamque Diones
Vincit in Arctois docta Minerva jugis.

III.

III.

INclyta Mavortis ſoboles, doctæque Minervæ,
Carolus, ille tuum, terra Suëva, decus;
Principis exemplum magni, cognomine major
Patre, nec inferior rebus, Adolphe, tuis;
Sic oculos, ſic ora refert; ſic pectore toto
Puffendorffiaca ſpirat in Hiſtoria. (tem,
Hanc quicunque vides tabulam, cum Pallade Mar-
Chriſtinam magno cum Genitore vides.

JACOBI SPONII

TUMULUS.

ILle Machaonii decus ordinis, ille Machaon,
Marmore ſignatas doctus, & ære, notas:
Ille decus terræ Auſoniæ, decus ille Pelaſgæ,
Sponius, Helvetia conditur exul humo.
Flete Virum, Statuæ, Muſiva, Toreumata, Gemmæ:
Flete Virum, Nummi: Marmora, flete virum.
At vos, ô cives, Civi venerabile veſtro
Ad Lugdunenſes ponite marmor aquas.
Audior: ecce ſuo Rhodanus te flumine lambit;
Ecce ſuo, Sponi, flumine lambit Arar:
Jamque minus poſthac alio venientibus orbe
Lugduni tumulo viſitur Ara tuo.

IN

IN EFFIGIEM NICOLAI TULPII

A Remo Episcopio Sculptam, & eleganti Epigrammate propria ejusdem manu decoratam.

COnsul in hac tabula spectatur Tulpius. Illum
Artifici dextra pinxit Episcopius.
Consul in hac tabula laudatur Tulpius. Illud
Artifici dexrra scripsit Episcopius.

IN BIBLIOTHECAM INSTRUCTISSIMAM JOSEPHI VALETTÆ.

I.

TEcto habitat magno, dignus majore, Valetta,
Ornato libris innumerabilibus.
Mille vides illic saxa, æra, toreumata, signa,
Quicquid & antiquæ continet arca rei:
Illic, doctorum referentes ora virorum,
Pariete suspensas mille vides tabulas.
Cedite, Pausilypi colles, meritoque superbum
Marmore Sinceri Virgiliique jugum.
Pro tumulo Andini vatis, pro Parthenopæi,
Quisque tuam viset, docte Valetta, domum.

II.

II.

MOenia Parthenopes quicunque tueberis, hoſpes,
Quicquid & in gremio continet illa ſuo;
Adſpice, ſublimi quam condidit arce Valetta,
Sacratam Muſis, & tibi Phœbe, domum.
Nil, puto, ſpectabis tota ſpecioſius urbe:
Nil cernes tota pulchrius Auſonia.
Confluit huc Latio ex omni vicina juventus;
Confluit huc urbis incola Parthenopes.
Fallor, an albentis linquit juga Mergillinæ
Actius, hos ipſos ingrediturque lares?
Fallor, an interdum ſacram Maro deſerit urnam,
Iſtaque neglecto tecta petit tumulo?

III.

PArthenopes media ſacravit in urbe Valetta
Eximiam Phœbo Pieriſinque domum.
Et domus hæc domino, nec non hic convenit illi.
Dignus uterque coli, dignus uterque cani.
O quis Tyrrhenas ſubitum me ſiſtat ad undas,
Formoſo blandæ litore Parthenopes!
O quis ramorum denſa me protegat umbra,
Frondoſo læti culmine Pauſilypi!
Hîc ego Virgilii tumulum mirabor, & Acti;
Mirabor libros hîc, Iöſephe, tuos:
Præponamque tuum hoſpitium, doctoſque penates,
Margine Tyrrheni, vertice Pauſilypi.

AD CÆSAREM LEOPOLDUM.

QUod non displicui nuper Tibi, maxime Cæsar,
Quod mea judicio Musa probata Tuo est;
Lætor, & ingentes mens concipit ignea motus,
Atque iterum stimulis fertur in arma novis.
O tremor, ô terræ domitor, Leopolde, Gelonæ!
O decus, ô magnis gloria major Avis!
Scilicet æternæ Tua sunt præconia lauri,
Et Tua vox magni muneris instar habet.
Non mihi, si qua fides, quæsivi commoda, Cæsar,
Nec Tua captavi carmine dona meo.
Sponte cani meritos cecini, Leopolde, triumphos,
Nominis & famæ captus amore Tuæ.
Nec tamen ingratum est, quod dignum munere censes,
Idque putes numeris me meruisse meis.
Sufficit: est quovis majus mihi munere munus,
Laudari Musas Cæsaris ore meas.
Crede mihi, Cæsar, nec Te mihi fallere fas est,
Est mihi judicium res pretiosa Tuum.

CONSTANTINO HUGENIO.

HIc jacet ille suis semper juvenilior annis,
Quem sensit juvenem nemo, nec esse senem.
Sæcula Nelidæ longo compleverat ævo,
Idem mente tamen, qui fuit ante, fuit.
Par erat ingenium, par impetus, & pede eodem
Scandebat Clarium, scandit ut ante, jugum.
Ars erat eloquium, dulcesque ante omnia Musæ,
Et cithara, & digito tacta sciente lyra.

Mu-

Munus, Araufiaci confcribere Principis acta.
Magnus erat magni Principis ille comes.
Principis unius fi laus meruiffe favorem eft;
Quænam principibus laus placuiffe tribus?

PETRO DANIELI HUETIO,

Epifcopo Sueffionenfi.

HOc ore Aonius, qua poni quivit, Huettus
Ponitur, ille tuum, Gallia, grande decus.
Quis nitor in vultu, quæ gratia! quanta per ifta
Majeftas radiat lumina! quantus honos!
Hic vir, hic eft, quem Pierides, quem Phœbus Apollo,
Totaque fatidico Cirrha liquore rigat.
Hic vir, hic eft, cui fanctam undam Siloëfq; perennem
Ipfe Deus largo fonte miniftrat aquam.
Huic referat Babylon, referat penetralia Memphis:
Huic Syrus, huic dives facra recludit Arabs.
Plaudite, Parifii, magnoque affurgite alumno.
Gallia cui fimilem quando datura virum eft?

HENRICO SLADIO.

QUi pelago, & terra multos erraverat annos
Per Grajas urbes Sladius, atque Afias:
Interra tandem peregrina, altaque Zacyntho
Conditur, & rauco cingitur Ionio.
Quid mirum? erranti fimilis qui femper Ulyffi
Vixit, Ulyffæa debuit urbe mori.

IN VIRORUM DOCTORUM VARIAS VARIORUM EFFIGIES.

I.

ILlustres animæ, seu vos tulit Itala tellus,
Gallica felici seu tulit ora sinu;
Seu vos in dias Germania luminis oras
Edidit, aut gremio Belgica terra suo;
Illustres salvete viri, non grandia nostræ
Haud dedignati tecta subire domus.
Vos ego parietibus suspendam rite sub altis;
Vos inter libros, pignora cara, meos.
Vos ego luminibus cupidis, cupidoque tuebor
Pectore, vos gemina relligione colam;
Et dicam, dum vos video, dum vos lego: Imago
Ista fuit mentis, corporis ista fuit.

II.

ILlustres heroum animæ, cœlestis origo,
Musis sacrati Di Geniique loci:
Et vos, divorum veras referentia formas,
Artificum docta corpora picta manu:
Ut vestros his in tabulis lætusque dolensque
Conspicio vultus, oraque digna Deis!
Vos ego cum video, doleo; clarissima & astra
Occidere, utque alios, vos quoque posse mori.
Vos ego cum video, lætor: vos calcar eunti,
Vos œstrum ingenio subditis acre meo.

Vos

Ah facite, ut ſimilis vobis quandoque, vel ullo,
Parte mei fiam nobiliore, modo:
Dumque animæ hoſpitium veſtræ contemplor,& illas,
Quas Di terreſtres incoluere, domos:
Mortali ſubeat tunc ô mihi, cuncta labare
Tandem ævo, atque hominum more perire Deos.

III.

Artifices tabulæ, ſæclo cantata priore
Nomina, victuri tempus in omne viri;
Quos mea ſe ſupra poſitos, circumque locatos,
Reſpicit indigetes Bibliotheca Deos;
Ut juvat hac veſtros mirari in imagine vultus,
Et luſtrare oculis ora oculoſque meis!
Ut juvat heroas animas, potioraque ſigna,
Mentis & æternas mente videre notas!
Longius hæ durant tabulæ. Dubitatis? Id ipſum
Edocet hoc ipſo multa tabella loco.
Hæ mihi vel mutæ clamant, cadere omnia, præter
Caſuras nullo tempore mentis opes.

PRO TORQUE AUREO AD CÆSAREM LEOPOLDUM GRATIARUM ACTIO.

HOc me torque beat Leopoldus, & iſta favoris
Ferre jubet Cæſar me monumenta ſui.
Circumdent fragiles aliorum tempora lauri:
Exornant humeros aurea vincla meos.

Pro aureo Numismate.

HOc contemplandum ſeſe Leopoldus in auro
Siſtit, & hæc oculis exhibet ora meis.
Gratia pro magno Tibi munere, maxime Cæſar,
Mittere quo majus nec Tibi poſſe datum eſt.

DE CÆSARIS VIRTUTE BELLICA, EJUSDEMQUE IN MUSAS LIBERALITATE.

SUbjicit imperio terram Leopoldus, & undam:
Aonias idem nutrit, amatque, Deas.
Cæſareum eſt, gentes bello frænare ſuperbas:
Ingeniis pretium ponere, Cæſareum eſt.

IN EFFIGIEM REGIS GUILIELMI.

AMor Batavæ gentis, & Britannicæ,
Orbis propinqui terror, Europæ ſtupor,
Adſertor æqui, Juris adſertor Dei,
Hoc ore fulget Guilielmus, inclytus
Regum ille ſanguis, ſanguis ille Cæſarum,
Nullo ipſe Regum, Cæſarum nullo minor.

In Eandem.

TUtela legum, triplicis regni ſalus,
Valente partum dextera ſceptrum tenens,
Creante cœli Rege Rex factus Deo,
Quis iſte? Verum proloquar, fremat licet,
Dolore rupta frendeatque Gallia,
Hic ille vere Magnus, à Deo datus.

IN EFFIGIEM
REGINÆ MARIÆ.

AUguſta conſors ſanguinis, conſors tori,
Eademque ſceptri, Principum Princeps decus,
Sic ſe videndam gentibus præbet ſuis
Maria, cujus pluribus pectus nitet
Virtutibuſque dotibuſque Regiis,
Quàm cincta gemmis fulget & monilibus.

CORNELIO TROMPIO,
ARCHITHALASSO.

THetidis marinæ fluctuumque pulchrior
Priore proles, Nerei nepos ſenis,
Nereus Batavus, Belgici numen maris,
Victoriarum, laudis, & vitæ ſatur,
Sub hoc ſepultus Trompius ſaxo jacet.

THEODORO STRAATMANNO.

PRinceps Cæsareos inter Straatmanne ministros,
 Austriacæ fulcrum grande decusque domus;
Qui mihi, quique meis, Augusto dante, Camœnis
 Obtigit, ille tuo munere partus honos.
Gratia magna tibi, vir maxime, gratia possit
 Nulla dari tanto quamlibet æqua viro.
Cætera persolvat Cæsar tibi, remque domumque,
 Ut tu Cæsaream, sic juvet ille tuam.

JACOBO HOPPIO.

HOppiada, decus eximium Patriæque, meumque;
 Grande decus Musis, præsidiumque, meis:
Quod mihi Cæsareo portasti nomine, gratum
 Nomine Cæsareo munus id, atque tuo
Ille dedit munus: tu, quod dedit, exigis; & me,
 Me quod habere jubet Cæsar, habere facis.
Ergo jure tibi grates à Cæsare primas,
 Pace Tua liceat dicere Cæsar, ago.

Augustissimo ac Potentissimo PRINCIPI GULIELMO III, *Magn. Brit. Gall. & Hibern. Regi.*

REgali verè pro munere, maxime Regum,
 Quisque Tibi grates, qui modo sentit, habet.
Exacti numeros implesti Principis omnes,
 Marte nec est quisquam, nec pietate, prior.
In-

Indolis Heroæ non eſt minus, ora virorum,
Et calamos donis demeruiſſe ſuis.
Temporis exigui res eſt, atque unius ævi,
His ſine, de bello quæ Tibi fama venit.
Vincere, Rex invicte, Tuum eſt; Te dicere, noſtrum;
Quodque legat ſerus, quod ſtupeatque, nepos.
Heroum titulos, Regumque illuſtria facta
Per populos ſpargit Muſa, vetatque mori.
Troja diu cinis eſt, Trojæque everſor Achilles,
Ille tamen numeris vivit, Homere, tuis.

Celſiſſimo ac Sereniſſimo
PRINCIPI,
FREDERICO III,
Marchioni Brandenburgico,
S. R. I. OCTOVIRO.

INter Parentes lucidum ſidus Tuos,
Decuſque fœtæ tot viris Germaniæ,
Albertus ille Primus, ille bellica
Virtute clarus, & valente dextera,
Olim eſt Achilles dictus hic Germanicus.
At nunc, beatum ſæculi ſidus Tui,
Frederice Princeps, illius germen viri,
Et laudis hæres non minus, quam ſanguinis,
At nunc verendum eſt optimo, Princeps, Tibi,
Et liberali non minus, quam ſtrenuo,

Tot dona cum profundis, & larga manu,
Musarum ad instar Herculis, Musis sacros
Foves alumnos, nec fovere desinis,
Ne Tu voceris Hercules Germanicus.

AD CONRADUM NORFFIUM, DE FERDINANDO PADERBORNENSI AC MONASTERIENSI EPISCOPO.

CUr nulli celebrent Fernandum, lumine cassum,
Qui vivum crebris concinuere modis,
Miraris merito, mirari at desine, Norffi:
Cunctorum signat publicus ora dolor.
Funere perculsi tenuere silentia vates:
Conciderunt citharæ, conciderunt que lyræ.
Et mea collapsa est casu modo barbitos isto:
Et mea vox multo vincta dolore fuit.
Fecit iter pietas: taciturnaque tempore longo,
Quæ dolor abjecit fila, resumpsit amor.

IN HONOREM MATTHÆI SLADI, & *Fatale ipsi iter Britannicum.*

ULtimus hic situs est Sladorum è stemmate Sladus,
Ille suo Batavus Patre, Britannus Avo.
Sponte Caledonias Avus ante reliquerat oras;
Lustrabat senior rura Britanna Nepos:
Dum-

Dumque domos patrias, Proavorumque arva revisit,
Deficit hac ipsa, qua fuit ortus, humo:
Jamque illum, procul à Patria, procul orbe Batavo,
Terra peregrinum non peregrina tegit.

Aliud.

Fatorum quam sit non evitabilis ordo,
Exemplo monstras, Slade, probasque tuo.
Deseris Amsteliam, cunctis revocantibus, urbem,
Arvaque (vis Fati quanta!) Britanna petis.
Intrabas vixdum sedes novus hospes Avitas,
Cum cadis, & tecum stirps tua tota perit.
Est tamen & casum quo consolemur acerbum,
Et tua mors aliquod, Slade, levamen habet.
Contigit Oxonium tumulus tibi: contigit omnis,
Sperari tumulo qui potuisset, honos.
Parce tibi ereptum lugere, Batavia, civem:
Non poterat terra nobiliore tegi.

THEODORO GRÆVIO,

Immatura morte surrepto.

IN patrium nomen, patrias eductus in artes
Grævius, immiti funere raptus obit.
Luget Eum Genitor, luget Materque Sororque,
Et domus, auxilio jam viduata suo.
Induit atratas mœrens Academia vestes:
Flebilis & tota personat Urbe dolor.
Callimachusque, diem per eum visurus, & ævum,
Illius casum plorat, & ipse suum.

Parcite fallacem, Juvenes, ſperare ſenectam,
Et fluxis nimium rebus habere fidem.
Ponite ſublimes animos, & diſcite cauti
Hujus ab exemplo, vos quoque poſſe mori.

JOHANNI DE RAEI,

Geographo Perilluſtri.

VIderat & terras, & viderat æquora, Rayus;
Quicquid & hic vaſtus, qua patet, orbis habet:
Europamque Aſiamque oculis luſtraverat omnem,
Et Libyam, & mundi litus utrumque novi.
Jam ſatis & terras ſpectavimus, inquit, & undas;
Nec capit ulla animum terra, nec unda, meum.
Reſtat iter Cœlo: Cœli juvat ire per auras
In loca terrenis nobiliora locis.
Dixit, & in verbo Superas petit arduus arces,
Deſeruitque domum, deſeruitque Patrem.
Parce, Pater, Gnato nimium lugere perempto:
Mutavit terris Æthera, Patre Deum.

JACOBO WALLIO.

QUi tres ingenio ſimulavit, & arte, Poëtas,
Conditur hoc parvo Wallius in tumulo.
Quid loquor? Hac Naſo ſitus eſt, hac Flaccus arena:
Hoc tegitur magnus marmore Virgilius.

LIPSIENSIBUS.

LAudaſtis modo me & meos libellos,
Docti, nomina magna, Lipſienſes;
Lætor munere gaudeoque tanto.

Et

Et famam mihi vos decusque magnum;
Et vitam mihi vos dediſtis ipſam.
Di reddant meritis utrumque veſtris.

DE
EVERARDO DANKELMANNO,
Miniſtro Status Primario.

PRudenti num conſilio Res ſtaret, an armis,
 Lis vetus. Armatam pax bona poſcit opem.
Exſuperat tamen indomitum Prudentia Martem.
 Ille feris ſimiles nos facit; illa Deo.
Optabat bis quinque alios bellator Atrides
 Mente pares Pylio conſiliisque ſeni.
Peliden docto Chiron formabat in antro:
 Gaudebat Cynea cretus Achille ſuo.
Stat Dankelmanno Brenni domus, & Tua, Princeps,
 Conſilio tanti Reſque ſaluſque Viri.
Quod Chiron fuit Æacidæ, quod Neſtor Atridæ,
 Quod Pyrrho Cyneas, Hic, Frederice, Tibi eſt.

DE
FREDERICO TERTIO,
ELECTORE BRANDENBURGICO.

QUi populo imperitant, terráſque urbeſque tuentur,
 Terreſtres merito dixeris eſſe Deos.
Namque urbes regere imperio, populoſque tueri,
 Terrarum Domini munus opuſque Dei eſt.

At bene velle aliis, supremi more regentis,
Digna viro res est Principe, digna Deo.
Qui juvat ergo alios, nec tam ratione regendi
Æternum simulat, quam bonitate, Deum;
Exemploque Dei cunctos reficitque fovetque;
Aut Deus, aut magno proximus ille Deo est.

De Eodem.

DUm genus humanum meritis astringis, & omnes
Usque juvas aliqua, Numinis instar, ope,
Contendunt inter sese, certamine amico,
Et Bonitas, Princeps, & Pudor iste Tuus.
Alter mortalem te nominat, altera Numen
Munificum merito Te putat esse Tuo.
O quem Te dicam, Princeps Frederice? Fatentur
Te Tua verba hominem, te Tua facta Deum.

DE URBE BEROLINO, AD Serenissimum Principem FREDERICUM III.

MEmbra Syracusis bis erant duo: bis duo, & unum,
Sunt urbi, Princeps, nec minus ampla, Tuæ.
Insula, dicta prior, Fortuna, Neapolis, Acra,
Nomine naturam significante loci.
Est Tibi Berlinum, Suevumque Colonia juxta,
Commodat & nomen cui Dorothea suum:

Læ-

Lætaque conſpicuo Frederici nomine Magni
Inſula, victoris grande Parentis opus:
Quæque Tuo gaudet ſignari nomine, Princeps,
Quam Frederici urbem Tu, Frederice, vocas.
Floreat innumeros Urbs inclyta, floreat annos,
Sisque illi longùm Tu decus, illa Tibi:
Utque urbis, ſic imperii Pomœria profer,
Creſcat & hoc Domino, creſcit ut illa, ſuo.

DE FREDERICO TERTIO ET EVERARDO DANKELMANNO.

CRebra dat Aoniis Fredericus dona Poëtis:
Hæc eadem larga das, Everarde, manu.
Ut diſpar dandi modus eſt, fortunaque diſpar,
Par tamen eſt ratio, cauſſaque, dantis amor.
Gratia, Dankelmanne Tibi; Tibique, optime Princeps;
Tu mihi Mæcenas, Tu mihi Cæſar eris.

AD EVERARDUM DANKELMANNUM.

QUod ſint verſiculi mei modo iſti
Non plane illepidi neque invenuſti,
Dankelmanne, meæ decus camœnæ,
Viſi judicio Tuo, Tibique
Tam terſo placuere, tam polito,
Quid mirum? Tibi ſe, ſuumque cultum,
Debent exigui mei labores.
Si nos carmina, Tu facis poëtas.

EPI-

EPITAPHIUM.

PEdem, Viator, ſiſte: paucis te volo.
Quod ipſe nunc es, ne ſuperbias, fui:
Quod ipſe nunc ſum, ne ſuperbias, eris.
Viam, Viator, carpe: nil te ultra moror.

In Vitam S. Paulli VARIIS CONCIONIBUS per JOHANNEM BRANTIUM *Repræſentatam.*

PEr varias terrarum oras, genteſque remotas,
Circumtulit Paullus Deum.
Sermones magni, poſt tot jam ſæcula, Paulli
Mundo propinat Brantius.
Huc ades, Auguſtine; ſuo nunc ore loquentem
Audire, quem cupis, potes.

JOHANNI HUDDE Quartumdecimùm Conſuli.

HUddeni, plures cui detulit Amſtela faſces,
Annua quàm menſes orbita Solis habet.
Septima ſi Marium commendat purpura, te bis
Septima, nullius ſanguine tincta, tegit.

IN EXPUGNATIONEM NAMURCENSEM.

TRojæ urbem, Trojæque arcem, cepere Pelaſgi
Vix integro decennio:
Namurci Gulielmus & Urbem cepit & Arcem
Nondum duobus menſibus.

IN Arcam Nummariam JACOBI DE WILDE.

QUi terræ varias per orbis oras
Priſcos congeris uſquequaque nummos
Magnis ſumptibus & labore magno;
Parce ſumptibus, oro, parce poſthac,
Et laboribus, ô Viator, iſtis.
Huc huc Amſteliam venito in urbem,
Et viæ pariter pecuniæque
Per compendia, Wildii ſtupendas
Intentis oculis tuere gazas.
Quicquid Græcia, Roma, quicquid olim
Nummorum veterum numiſmatumque
Dias luminis extudit ſub auras:
Terra denique quicquid ulla, quicquid
Terris omnibus univerſus orbis,
Harum continet elegantiarum,
Arca Wildius exhibet puſilla.

IN

IN

NICOLAI PARTHENII

Nautica & Halieutica.

NOmine Parthenias dictus Maro carmina scripsit
Formoso recubans litore Parthenopes.
Carmen ad exemplum docti geniumque Maronis
Parthenopes scribit litore Parthenius.
Rura Maro cecinit pecudumque hominumque labores;
Lina, plagas, pisces, & mare, Parthenius.
Nobile Parthenopes ambo decus, ille per agros,
Ille per æquoreas usque canetur aquas.

Fratribus Dankelmannis

PHILIPPO SILVESTRO

&

GUILIELMO HENRICO.

CLara per Heroum vestigia Dankelmanni
Dum cupiunt pulchram laudis inire viam;
Sumit in exemplum, quo nullum illustrius, acta
Ille Britannorum Principis, ille Sui.
Pergite, præclari Juvenes: mox debita vobis
Præmia, materiam qui tribuere, dabunt.

LEO-

LEOPOLDUS IMP. ROM.

Opera forficis quam artificiosissime

REPRÆSENTATUS.

CÆsaris hæc facies Leopoldi. Dextera ferrum;
Læva globum terræ, quam regit, orbis habet.
Marmora Lysippi cedant, & Mentoris æra:
Cedat Apelleus, Parrhasiusque labor.
Majus opus, tenui in charta (mirabile visu!)
Exhibet artifici forfice docta manus.

JACOBO HOPPIO

POST

VARIAS LEGATIONES

In Judicum ordinem adscito.

PRo rebus bene gnaviterque pridem
In ipsa patria, forisque, gestis
Majore Hoppiaden honore mactat
Tellus patria, proximamque primæ
Donat Amstela ferre dignitatem.
Salve, Justitiæ severioris
Vindex inclyte, civium Patrone.
Quid restat meritis tuis? Honorem
Det primum tibi, qui dedit secundum.

AT-

ATLAS BLOKKIANUS.

Vidit ut Atlantem, quem Blokkius exhibet, Atlas,
Jam valeant, inquit, sidera: terra placet.
Plus satis Æthereum tot sæcula volvimus axem.
Hæc juvat, hæc collo pondera ferre meo.

ALITER.

Quin, ait, Alcide, mundum partimur, Atlantem
Hunc ut ab Æthereo vertice vidit Atlas.
Tu Cœlo, Jove nate, tuos suppone lacertos:
Incumbent humeris terra salumque meis.



ΠΕΤΡΟΥ ΦΡΑΓΚΙΟΥ

Ποικίλων

ΠΟΙΗΜΑΤΩΝ

Ὕλη.

Τῷ Φοίβῳ

Καὶ

Ταῖς Μούσαις.

Φοῖβε ἄναξ, Μουσῶν βασιλεῦ, Μουσῶν θ' ὑποφήτων,
Τοῦ τε Διὸς κοῦραι, ὦ Ἑλικωνιάδες·
Ὕμμιν ταῦτα τίθησι μελίσματα, ὦ φίλα τέκνα,
Φοίβου καὶ Μουσῶν φίλος, ὁ Φραγκιάδης.
Εἰ δὲ τόδε σφετέραισιν ἐμὸν φρεσὶν ἥνδανε δῶρον,
Πολλὴ τέρψει ἐμὴν γηθοσύνη κραδίην.
Ἵλαοι ἐστὲ θεοί, καὶ λοιγὸν ἀμύνετε, πολλῶν
Ὑμετέρῃ δόξῃ ἀντιμαχεσσαμένων.
Βάλλ', ἄνα, βάλλε τεοῖσι νέους Πύθωνας ὀϊστοῖς,
Τοὺς τὸν Παρνησοῦ ἀμφὶ πέδον ἰζομένους.
Ἐς δὲ κακάς, ὦ Θεσπιάδες, μεταπλάσσατε κίσσας,
Ὕμμιν ἐριζούσας ἔμπαλι, Πιερίδας.
Ἠὲ σύ, μηδόντων ὕβριν τε βίαν τε Πυρηνέων,
Εἶργε, Πάτερ, τῶν σῶν κήδεα θυγατέρων.
Κάββαλε τοῦ Πίνδου, ὡς κάββαλες Οὐλύμποιο,
Ἄγρια φῦλα κακῶν, σῇ χερί, Γηγενέων.

ΦΕΡ-

ΦΕΡΔΕΙΝΑΝΔΩι

τῆς Παδερβόρνης καὶ τοῦ Μοναστηρίου

Ἐπισκόπῳ,

τῷ ἐν μακάροις.

Κεῖται Φερδείνανδος Ἐπίσκοπος, αὐτὸς Ἀπόλλων
 Πάντ' ἀπ' εὐστεφάνων πλέγματα ῥίψε κομῶν.
Μοῦσαι Πιερίηθεν, ὀδυρόμεναι φίλον υἱέα,
 Πένθιμον ᾄδουσιν καὶ γοερόν τι μέλος.
Χλωρὸν ἀεὶ ἐμαράνθη ὅλον Παρνάσιον ἄλσος·
 Γείνοντο κρῆναι δάκρυα Κασάλιαι.
Δάκρυα χεῖτε νάπαι ἑλικωνίδες· ἄξιός ἐστιν,
 Ἢ οὐδεὶς δακρύων, ἢ ὁ μὲν, ὑμετέρων.
Οὐ τόσον πετραπάροιθε Λίνον θρήνησεν Ἀπόλλων·
 Οὐ τόσον μήτηρ Ὀρφέα Καλλιόπη.
Ἐθνικὸν ἄλγος ἔην τόδε μέν· πανδήμιόν ἐστι
 Τοῦτο τὸ, καὶ γαίης ἔθνεα πάντα περᾷ.
Πόῤῥω, ἰδοὺ, τιβερῖνος ὀδύρεται, ἐς θ' ἅλα δῖαν
 Οἶσι ταρασσόμενον δάκρυσιν ἕλκει ὕδωρ.
Πολλὰ καλὸν Λίγεριν, τὸν γείτονα πολλὰ Γαροῦμναν,
 Πολλὰ ἔχει Ῥόδανον τ' ἄλγεα, πολλὰ Μόσαν.
Αἴλινα μὲν στενάχει Δανούβιος, αἴλινα Ῥῆνος,
 Αἴλινα Βείσουργις, αἴλινα κ' Ἀμίσιος.
Ἀμίσιος μετὰ πᾶσιν ἄχει βεβαρημένος αἰνῶ
 Προσκαλέει πᾶσην εἰς ἄχος Ἀγταρίην.

Ἀντιβοᾷ Ἠχὼ αἰεὶ λάλος, ἀντιβοῶσιν
Ἔνθα καὶ ἐνθ' ὕλαι τηλόθεν Ἑρκύνιαι.
Ἀλλὰ καλὸς Παδέρης, οὐ νῦν καλὸς, ἐν βαθυκόλποις
Ἐγκρύπτει κεφαλὴν βένθεσιν ἀργυρέην.
Κλαίει μικρότερός τε Πάδος, καὶ Λούππια, κλαίει
Πολλῷ Ἀλείσωνος πένθεϊ ψυχρὸν ὕδωρ.
Συγκλαίει μέγαρον Νουήσιον, ἀμφὶ δὲ τῆνο
Θρήνουσιν ψυχαὶ πολλὰ μάλ' Αἰόλιαι.
Πολλὰ μάλα στενάχουσα πολυκλαύστοισι ῥεέθροις
Αἰάζει Παδέρου δακρυχέει τε πόλις.
Ἀρητὴρ Παδέβορνα τεὸς, τεὸς ὦ Μιμίγαρδα
Μυστιπόλος, πάσης κείρανος Ἀγγαρίης,
Κάτθανε Φερδείνανδος, Ἀπόλλωνος μέγα κῦδος,
Κῦδος Μουσάων κάτθανεν Αὐσονίδων.
Οὗτος μακρὰ κατῆγεν ὄρεσσιν δένδρεα· οὗτος
Πρήϋνεν θῆρας μειλιχίοις ἔπεσιν.
Οὗτος ἐκοίμησεν νιφελῶν βρόμον, ἠὲ θυελλῶν·
Οὗτος ἀκοιμήτων ἴσχε ῥόον ποταμῶν.
Τόν ποτ' Αρίονος πιφιλήκη μουσικὸς ἰχθῦς·
Θηβαίων γλαφυροὶ τοῦ πάρος ἄνδρας λίθοι.
Ἀλλὰ τί Ὀρφῆος, τί δ' Ἀρίονος στόμα νικᾷν,
Τῆς τ' Ἀμφιονίης ἡδὺ μέλος κιθάρης;
Ἀλλὰ τί Ῥωμαίους ὑπερφέρειν, ἠὲ Πελασγοὺς,
Φοῖβον τ' εὐεπίῃ ἰσοφαρίζεμεναι;
Εἰ ἦτον Κλυμένοιο δόμους ἱκνούμεθα; Λήθην
Εἰ ἦτον κ' αὐτοὶ πίνομεν αἰδοπόλοι;
Αἰδοπόλων ὁ μέγιστος, ἀρειότατος θ' ἱερήων,
Φέρνανδος, μικρῷ κεῖται ἐνὶ φερέτρῳ.
Οὔ μιν χραίσμησαν Μοῖσαι, οὐ Φοῖβος Ἀπόλλων,
Καίπερ ἀοιδοπόλος, καίπερ ἰατρὸς ἐών.

Οὐ Παδέρȣ κρῆναι, ὀδυνήφατ☉ͅ ȣ̓́τε Πάδȣλ☉ͅ,
Ω᾿φέλιμον φίλῳ νᾶμα δόσαν περέδρῳ.
Οὐ πόαι, ȣ̓ λιβάδες, ȣ̓κ ἄλλα τε φάρμακα παύς
Αἰνοτάτην ὀδύνην· ȣ̓́ τί τις ἄλκαρ ἔχει.
Φάρμακα πάντα κακὴ νικᾷ νόσ☉ͅ. Ε῎στι τόδ᾽ ἔργον
Ε᾿στὶ τὸ μὲν τέχνης ϗ χερὸς ȣ̓δεμίης.
Α᾿λλὰ κακὴν νικᾷς νȣ̃σον, χαλκόν τε, μόρον τε,
Εἰσορεώων ὀρθοῖς τ̃ θάνατον βλεφάροις.
Σήρα ἔην ἄρα μοῖρα, μετ᾽ ἄλγεα μυρία, πότμον
Α῎θλιον πάσχειν τόνδε, ϗ οἰκτρότατον;
Ω῾ς ἄρα ϗ σύγε νῶι, ϗ ἡμετέρας ἀπολείπεις
Εὐχάς; Ω᾿ Κȣ̃ρων περὶ Ε᾿λικωνιάδων!
Τίς νῦν ἐνδέχεται μαλακῇ χειρὶ, περίφρονι θυμῷ
Νῦν ἀναγινώσκει τίς μέλ☉ͅ ἡμέτερον;
Τίς νῦν αἱμυλίοισι ϗ εὐμενέεσσι καλεῖ με
Πρὸς Παδέρȣ κρήνας, δῶμά τε Κασάλιον;
Φεῦ φεῦ, τ̃ Παδέραν ϗ Φερδείνανδον ὁρῶμαι
Μηδέποτε, συγερῷ εἰργόμεν☉ͅ θανάτῳ.
Ω᾿ μαὶ ἄγαν Μοῖραι, αἳ τῷ λίνα τέμνετε, λευκὸν
Ω῟ μὲν ἔδει δόμεναι μακρόβιόν τε λίνον.
Ω᾿ μὲ ἄγαν Φέρνανδε, ϗ αἰνοτάτῃ ἐνὶ μοίρῃ
Δύσμορε, τῆς μοίρης αἰτίε σοι ἰδίης.
Τήνδε σοι, ὦ Φέρνανδε, τεῆς περὶ ἡγεμονείας,
Τήνδε δόσαν πολλαὶ φροντίδες ἀργαλέαι·
Τήνδε ἔρως τε πόθ☉ͅ τε διδασκέμεναι καλὰ πάντα,
Τήνδε πανημέριοι παννύχιοί τε κόποι·
Τήνδε σοι αἱ Μȣ̃σαι, πρώτης ἄπο φίλταται ἥβης
Σοὶ θεαὶ, ὧν φίλον τέκνον ἀπολλύμεναι.
Εἰ βίοτον δ᾽ ἄρα Μȣ̃σα μινυνθάδιόν σοι ἔδωκε,
Σῇ φήμῃ βίοτον δῶκε πολυχρόνιον.

Γαῖαν ὅλην, νήσους τε, καὶ εὐρέα νῶτα θαλάσσης,
Σὸν διαπειρήσει οὔνομα, σόν τε κλέος.
Ἰσόχρονον κόσμῳ, αἰῶνι τ' ἰσόχρονον αὐτῷ
Ἔσαι τέρμα τεοῦ μακρότατον βιότου.
Μοῦσαν τὴν δὲ μεταξὺ καλοὶ Μουσῶν ὑποφῆται,
Τήν τ' εὐεργεσίην ᾄσομεν ὑμετέρην·
Καὶ ῥόδα πορφυρόεντα, καὶ ἄκρατον αἴθοπα οἶνον,
Καὶ γλάγος, ἐς τύμβον οἴσομεν ἱρόταλον.
Εἴποι καὶ τόδε τις· Μοῦσαι, Χάριτες, καὶ Ἀπόλλων,
Ἦν ἐνὶ Φέρνανδος, κεῖνοι ἐνὶ Φαμάθῳ.
Σοὶ δὲ πότ', ὦ μακάρεσσε, πανόλβιε, αἰθέρι ναίων,
Οἴσει ἡ γαίη σοι ἴσον ἄνδρα πότε;
Φερνάνδῳ ἀρετήν τε φιλοφροσύνην τ' ἀτάλαντον
Οὔτε δόξαν πρότεροι, οὔτε διδοῦσι, χρόνοι.
Ἔστι δ' ἄρ' ἐλπίζειν. ἐλπίζομεν ἀλλὰ καὶ ἡμεῖς,
Μοῖρα κακοῦ ταύτην εὗρεν ἀκεσσορίην.

πρὸς Μούσας,

μετὰ τὸν

περὶ τῆς Ἑλληνικῆς γλώσσης

ῥηθέντα λόγον.

Χαίρετε χαίρετε πολλά, Διὸς μεγάλοιο θύγατρες,
Χαίρετε κάλλισαι, χαίρετε, Κασαλίδες.
Καλὸν ἐγὼ τέμενος, ναὸν καλὸν οἰκοδομήσω
Μουσοπόλος Μούσαις Φράγκιος Ἑλλαδικαῖς.
Δεῦτε τάχα, τάχα δεῦτε, καὶ ὑμετέρον νέον ἐς δῶ
Σπεύδετε, κάλλισαι, σπεύδετε, Κασαλίδες·

Καὶ

Καὶ τὴν Κασαλίην, καὶ Πιερίην ἐραλεινὴν
  Λείπετε, καὶ γαίαν τὴν πάρος ὑμέτερίω.
Λείπετε Παρνησοῦ καλὰ Τέμπεα, λείπετε Πίνδου,
  Λείπετ' ἐραθείσης οὔρεα Θεσσαλίης·
Νάματα θεσπέσια Ἀρεθούσια λείπετε κοῦραι,
  Λείπετ' ἐραθείσης ὕδατα Τελνακερίης·
Ἀντὶ δὲ Σικελικῆς γαίης, γαίης τε Πελασγῆς,
  Τῶν Σικελῶν ὑδάτων ἀντὶ, καὶ Ἑλλαδικῶν,
Τὴν Βαταβῶν γαίην, Βαταβῶν ἄλα ναίετε, τούς τε,
  Οὓς ἅμα τῷ Φοίβῳ ἐννετάεσθε, τόπους.
Ὑμεῖς γὰρ Βαταβοῖο παρὰ ῥόον ὠκεανοῖο,
  Παρ Ῥήνου ἱερὸν ἀμφενέμεσθε ῥόον.
Μάρτυρες ὠκεανοῦ μοι νάματα, νάματα Ῥήνου·
  Λουγδοῦνον ταύτης μάρτυς ἐτηλυμίης.
Τούτῳ ἐνὶ πτολιέθρῳ ὁ Μουζαῶν ὑποφήτης
  Δουζιάδης καλὸν ὕμμιν ἔγειρε δόμον·
Ἔνθ' ἱερεὺς ὁ Σκαλανὸς, θεὸς ἦν ὁ Ἀπόλλων,
  Μουσῶν καὶ πάντων ἀρχὸς ἀοιδοπόλων.
Εἰνσιάδης, νέος Ἐινσιάδης, καλὸν ὄμμα Διώνης,
  Ὄμμα καλὸν Μουσῶν, καὶ κλέος, Ἑλλαδικῶν,
Πολλάκι μὲν φοίτεσκεν ἐξ οὗ πρὸς δώματα Φοίβου,
  Πολλὰ διδασκόμενος, πολλὰ μαθηζόμενος.
Πολλάκι ἢ μικρὸν ἐλεγείδιον, ἢ ἐπίγραμμα
  Τι βραχὺ, Σκαλανῷ δείκνυε τῷ μεγάλῳ.
Πολλάκι ποιητοῦ τοῦ Μαιονίου μέλος ᾆσε·
  Πολλάκι τοῦ Σικελοῦ ποιμένος ᾆσε μέλος.
Ῥῆνος ἔην Ἀρέθουσα, Συρακοῦσαι Λουγδοῦνον,
  Θύρσις ὁ Σκαλανὸς, Δάφνις ὁ Ἐινσιάδης.
Ὦ θεῖον θ' ἱερόν τε γένος μερόπων ἀνθρώπων!
  Ὦ καλὰ Λουγδούνου τείχεα τοῦ Βαταβοῦ!

Ὦ γλυκεραί τε φίλαι τε θεαὶ, ὦ Φοῖβος Ἀπόλλων,
 Ὦ ἕδος, ὦ Μουσέων δῶμα Πελασγιάδων!
Ἀργύρεοι χρύσεοι τε χρόνοι, πότε καὶ πότε, φίλοι,
 Γαῖαν ἐς ἡμετέρην στρέψετε, τόν τε τόπον;
Ἐς Βαλαβοὺς τε σὺν ἀγλαΐῃ ἀνακάμψετε πρώτῃ,
 Ὦ πολιοκροτάφου ἀγλαὰ τέκνα Κρόνου;
Μήποτε καλλίστη τούτου τοῦ δαίμονος ὥρη,
 Μήποτε χρυσεῖον τοῦτ' ἀνακάμψετ' ἔτος.
Χάλκεος, ἠὲ σιδήρειος, ξύλον ἠὲ μόλιβδος,
 Ἔστιν ὁ χρυσείου νῦν βίος ἀντὶ βίου.
Πάντα ἔχει Σοφίη ψευδώνυμος· ἔστι δ' Ἀπόλλων,
 Ἔστι φυγὰς Μούση, ἔστι καὶ Εὐεπίη.
Ναιετάουσιν βαρβαρικαὶ Ἑλικῶνα Βαταυὸν,
 Ἑλλαδικῶν Μουσῶν ἀντὶ, καὶ Αὐσονίων.
Πάντα ποθεινοτάτων μισοῦσι μελίσματα κούρων.
 Μωρὸν ἀρειότατος οὔνομα μουσοπόλος.
Ἀλλ' ὑμεῖς τῶν οὐτιδανῶν ἀθερίζετε τούτων,
 Ζηνὸς ἀρίζηλοι Μνημοσύνης τε κόραι·
Σκαλανῶν τε καὶ Εἰνσιαδῶν μιμνήσκετε θείων,
 Τοῦ τε χρόνου τούτων χρυσέου ἡμιθέων.
Αἴθέ μοι, ἠὲ βιοῦν τούτων μέτα, ἠέ γε τούτοις
 Νῦν βίοτον φίλοι δοῖεν Ἐπουράνιοι·
Τοῖς ἀγαθοῖς οὐ πάμπαν ἐγὼ μισούμενος εἴην,
 Ἢ μὲν Σκαλανῷ, ἠὲ μὲν Εἰνσιάδῃ.
Τὰς Μούσας τυχὸν ἡμετέρας, τά τε ταῦτα φιλῆσαι
 Εἰνσιάδης φίλου ᾄσματα Φραγκιάδου·
Τὰς Μούσας τυχὸν ἡμετέρας, τά τε ταῦτα φιλῆσαι
 Δουσιάδης φίλου ᾄσματα Φραγκιάδου.
Δοῦσα πάτερ, φιλόμουσε, τέκνων γενετὴρ φιλομούσων,
 Μουσοπόλοι υἱοὶ, μουσοπόλος τε πάτερ,

Μου-

Μεσάων Λεγδενιάδων πάτερ ἔξοχε, πάσης
 Δῶτερ ἐπιςήμης, δῶτερ ἐϋφροσύνης·
Ἵλαθι, Δεσα πάτερ, πάτερ ἵλαθι· ἴθι δε Μέσαις
 Ἤπιος Αὐζονίαις, ἤπιος Ἑλλαδικαῖς.
Εἰ δὲ καὶ ἄξιος ἐμμὶ, γένε νῦν, ὡς πάλαι ἦσθα
 Εὔνοος Εἰνσιακαῖς, εὔνοος ἡμετέραις.
Οἴ με τάλαν, τί δ' ἄνολβος ἐγὼ φρένας ἐκπεπότημαι;
 Οὐδαμὰ Εἰνσιάδης, ἐδαμὰ Δεσιάδης.
Ἀλλὰ καὶ ὡς Φοίβῳ τε φίλοι, Μέσαις τ' ἀγαπητοὶ
 Μεσάων ςέφανον ἔξομεν ἀθάνατον·
Ἀλλὰ καὶ ὡς τέμενός τε καλὸν, κῦδός τε παλαιὸν
 Ἐν Βαταβοῖς κἕραι ἕξετε Πιέριαι.
Καὶ νῦν μεσαγέται, καὶ νῦν Μεσῶν ὑποφῆται,
 Καὶ νῦν Δεσιάδαι εἰσὶ, καὶ Εἰνσιάδαι.
Λεγδενον πόλις ἤδ' ἔσεται, καλὸς Ἄμςελα Ῥῆνος·
 Δεσιάδαι, ὕπατοι· Εἰνσιάδης μὲν ἐγώ.
Χαίρετε Λεγδένε καλὰ τείχεα, χαίρετε Μῆσαι.
 Τὰς ἔχομεν γαίῃ νῦν μὲν ἐν Ἀμςελίῃ.



Εἰς τὴν

Ὁμήρου ἀποθέωσιν,

καὶ

τὰ πολυμαθέστατα ἀνδρὸς

Ὑπατικοῦ

ΓΙΣΒΕΡΤΟΥ ΤΟΥ ΚΟΥΠΗΡΟΥ

εἰς τὴν αὐτὴν

ὑπομνήματα.

Ζῶν πάντεσσιν ἀπόβλητος μερόπεσσιν Ὅμηρος
Γέντο ἀποθνήσκων ἑπτὰ πόλεσσιν ἔρις.
Λήγετε τοῦ, Ζεὺς εἶπε, καὶ ἀθανάτων καλὸν ἐς δῶ
Ἦρεν ἀοιδοπόλον τὸν πολυφωνότατον.
Καὶ νῦν ναιετάει ἄλλην πόλιν, ἀντὶ δὲ γαίης
Ἔλλαβεν Οὔλυμπον πατρίδα Μαιονίδης.
Θαυμάσθη ἡ γαῖα, ὅταν θεὸν, οὗ ὀλιγώρει
Θνητοῦ ἐν ἀνθρώποις, εἶδεν ἐν οὐρανίοις.
Τὸν γὰρ τάχιστα θεῶν πάρεδρον μέγαν οὐρανιώνων
Οὐρανίοισιν ἴση τίμαεν εὐσεβίη.
Εὐσεβίη, πολλός τε τρόμος, πολλή τε σιωπὴ
Πάντας ἔχει θνητοὺς, πάντας ἔχει μακάρους.
Ἱστορίη, Μῦθος, Σοφίη, Μνήμη, Φύσις αὐτὴ,
Σπένδουσιν θεῖον τῷδε θεῷ λίβανον.

Εὐμε-

Εὐμελίη μελόπιοθε νέον στέφει Ἀπόλλωνα,
 Τῆς δάφνης ἱερὰς χερσὶν ἔχουσα κόμας.
Αἱ δ᾽ ἄρα ἐννέα κοῦραι, ἑῆς λήθουσαι ἀοιδῆς,
 Πίνουσιν ταύτην οὖασιν εὐεπίην.
Αὐτὰρ ὁ Ζεὺς κορυφαῖσιν ἐν ἀκροτάταισιν Ὀλύμπου
 Μελπομένου θείῃ τέρπεται ἁρμονίῃ.
Ταῦτα τάδ᾽ οὐρανίων προμαθοῖσα παρ᾽ ἐνναετήρων
 Ἔξεσε τεχνίτου χεὶρ σοφὸς Ἀρχέλεω.
Ἡ δὲ λίθος πολλοὺς περιτελλομένους ἐνιαυτοὺς,
 Ὡς Κρόνος, ἐν γαίῃ ἤλαθεν Αὐσονίῃ.
Ἀλλά μιν Αὐσονίης μέγα φῶς Κιρχῆρος ἐρεύνης
 Ἐς φάος ἠελίου λαμπρὸν ἄνελκε πάλιν.
Ἐλλόγιμος Γίσβερτος, ἀγαυῶν δόξα Συγαμβρῶν,
 Τῇ προτέρης δόξαν δῶκεν ἀρειοτέρην.
Χαῖρε λίθος, χαῖρ᾽ Ἑλλαδικῆς κειμήλιον αἴης,
 Μαρτύριον τέχνης χαῖρε παλαιοτάτης.
Σοὶ μὲν ὁ δῶκε βίον· σὺ δὲ τῷ. Πόλον εἰσαναβαίνει
 Τὸν διὰ Κουπῆρος, τὸν διὰ Μαιονίδης.
Θεῖαν Μαιονίδης φύσιν ἔλλαχεν· ἔλλαχε θεῖον
 Οὔνομα Κουπῆρος, καὶ κλέος ἀθάνατον.

προς

Πέτρον Βόσκιον,

λιγὺν Καδομῶν ἀγορητήν.

Βόσκιε, τὸν ἄλλων ἀνδρῶν προφερέστατε πολλῶν,
 Ἠὲ μὲν εὐσεβίῃ, ἠὲ μὲν εὐλαλίῃ·
Οὗ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδὴ,
 Οἷος ἀπὸ γλώσσης ἔρρεε Νεστορέης·

Βόσκιε,

Βόσκιε, ποιμενικῶν ἀνδρῶν κλέος, οἳ Θεοῦ ἱρὸν
Βόσκουσι χώρῳ ποίμνιον ἐν Βαλαβῷ.
Πέτρε, δόμου στῦλος αἰθερίου, πέτρη τε βεβαία,
Ἣ ἀθλᾷ τῶν τ' ἀνέμων ἶν, ἀΐδου τε πύλας·
Βόσκε Θεοῦ καλὰς ὄϊας, καλὰ ἀρνία βόσκε,
Βόσκε Θεῷ φίλην, βόσκε, Θεοῦ ἀγέλην.
Τὴν πολέ σοι βόσκειν, τὴν ποιμαίνειν σοι ἔδωκε
Τῆς γῆς καὶ αὐλῆς κοίρανος οὐρανίης.
Τὰς ὄϊας ποίμαινον ἐμὰς, φίλε Πέτρε, καὶ ἄρνας,
Τῷ πρότερον Πέτρῳ, νῦν δέ σοι, εἶπε Θεός.
Τὰς ὄϊας ποίμαινε Θεοῦ, φίλε, καὶ σύγε, Πέτρε,
Βόσκε Θεοῦ ἄρνας, βόσκε Θεοῦ πρόβατα.
Πείθῃ καὶ σύγε Πέτρε, Θεοῦ γὰρ καὶ ἀρνία βόσκεις,
Πρὶν ἐνὶ τοῖς Κέλλαις, νῦν ἐνὶ τοῖς Βαλαβοῖς.
Χαῖρ', ὦ φίλλατε, χαῖρε· Θεὸς γάρ τοι ὄλβια δοίη,
Καὶ μὲν ἐν ἀνθρώποις, καὶ μὲν ἐν ἀθανάτοις·
Τοὺς δὲ τεοὺς χαρίεντας ἐπ' αἰθερίοισι νομοῖσι
Βοσκέμεναι πάσῃ ἄρνας ἐν ἀγλαΐῃ·
Τὸν δ' ἀγαθόν τε καλόν τε, τὸν ἄσπιλον, ἀρρυτίδωτον,
Αἰὲν ἰδεῖν ἀρνοῖς Ἀρνὸν ἐν οὐρανίοις.

Εἰς Θέαν βολάνην.

Ὅταν πίνω μὲν ὕδωρ,
Τὴν Σπελκήν τε πόιην,
Θέαν ἣν καλῶς καλοῦσιν,
Ὕδωρ μὲν οὐχὶ πίνω,
Πίνω μὲν οὐχὶ πόιην·
Πίνω δ' ἄριστον οἶνον,

Μέλι

Μέλι μὲν πίνω φέριστον·
Πίνω δὲ νέκταρ αὐτό·
Ὃ θεοὶ πίνουσι πίνω.
Ὅταν πίνω μὲν ὕδωρ,
Τὴν Σηελκήν τε πόιην,
Οὔ μοι μέλει πυτοῖο,
Ὑπολήνίου δρόσοιο,
Μέλιτός τε νέκταρός τε.
Ὅταν πίνω μὲν ὕδωρ,
Τὴν Σηελκήν τε πόιην,
Ἀνθρώπινόν τε νέκταρ,
Λείπω τὸ νέκταρ ὑμῖν,
Νέκταρ πίνοντες ἡδύ.
Ὅταν πίνω μὲν ὕδωρ,
Τὴν Σηελκήν τε πόιην,
Ἀποδεδράκουσι πᾶσαι
Λύπαι τε καὶ μέριμναι.
Ὅταν πίνω μὲν ὕδωρ,
Τὴν Σηελκήν τε πόιην,
Στήθεσσιν ἐν φίλοισι
Πολλὴν ἔχω γαλήνην.
Ὅταν πίνω μὲν ὕδωρ,
Τὴν Σηελκήν τε πόιην,
Θέλω θέλω ἀείδειν,
Θέλω θέλω χορεύειν·
Θέλω θέλω μανῆναι.
Ὅταν πίνω μὲν ὕδωρ,
Τὴν Σηελκήν τε πόιην,
Σοφῶν ἔγωγε κουρῶν,

Αὐτοῦ

Ἀυτὸς ἔγωγε Φοίβου,
Λάλον πίνω τόθ' ὕδωρ.
Πίωμεν οὖν ἑταῖροι,
Πίωμεν οὖν ἀοιδοὶ,
Πίωμεν οὖν, πίωμεν.
Πίνοι τὸν οἶνον ἄλλος.
Ἐμοὶ σαόφρον ὕδωρ,
Ἐμοὶ τὸ νᾶμα τοῦτο,
Φίλον τὸ νᾶμα, φίλοι,
Τὴν Σηελκήν τε ταύτην,
Ἐρασμίην, ποθεινὴν,
Θέαν, ποτῶν φερίστην,
Δότε μοι πίνοντι ποίην.

Ἄλλο.

Πόη ποῶν φερίστη,
Ὑδάτων φέριστον ὕδωρ,
Ὕδωρ, Θέη, θέειον,
Θεῖον τι τυγχάνουσα,
Κλῆσιν θεῆς λαχοῦσα,
Τίς οὐ βροτῶν φιλεῖ σε;
Τίς οὐ βροτῶν καλεῖ σε
Θεὰν, θεὴν, θεαίνην;
Ἀρχὸν σοφός σε πάντων
Μιλήσιος ποτ' εἶπε·
Σὲ Πίνδαρος, σὲ, φίλη;
Ἄριστον εἶπεν ὕδωρ.
Σὺ τὴν καλὴν κυθήρην,

Συ τὰς καλὰς ἐκείνας,
Ὅσας ἔχουσι κρῆναι,
Ὅσας ἔχουσι λίμναι,
Ὅσας ἔχει θάλασσα,
Λοχοῦσα καὶ τεκοῦσα.
Σὲ μὲν θέλει ἔσοπτρον,
Σὲ μὲν θέλει λόετρον
Νάρκισσος Ἄρτεμίς τε·
Μᾶιαν θέλοι σε Βάκχος.
Σὲ μὲν ἀντὶ τοῦ Λυαίου
Ἀνακρέων τε πίνοι,
Ἀνακρέων τε μέλποι.
Σὲ μὲν ἀντὶ Πηγάσοιο
Τοῦ νάματος σοφοῖο,
Καλὸς πίνοι Ἀπόλλων.
Σὲ τῶν θεῶν μέγιστος,
Ἀντ' οἴν' Ὀλυμπίοιο,
Εὖ ποτοῦ φίλοιο,
Ὁ Ζεὺς πίνοι καὶ αὐτός.
Σὲ μὲν πίνει παρ' Ἰνδοῖς
Θεῶν πατὴρ καὶ ἀνδρῶν·
Σὲ πίνουσι μετ' αὐτοῦ
Θεοὶ ἕποντες ἄλλοι.
Σὺ γὰρ πόη φερίστη,
Σὺ γὰρ πόη θεείη,
Ἄλλων ποῶν ἄνασσα,
Ἄλλων ποῶν θέαινα,
Θεῶν ποτὸν καὶ ἀνδρῶν.
Σὲ μὲν πίνουσι Σῆρες,
Σὲ μὲν πίνουσιν Ἰνδοὶ,

Σὲ

Σὲ πίνουσι βαλανοί.
Σὲ μὲν μάλιστα πάντων
Ἰατρῶν καὶ ἀοιδῶν
Φιλοῦσι καὶ πίνουσι
Σλᾶδός τε Φράγκιός τε.
Σὲ μὲν μάλιστα πάντων
Ἰατρῶν καὶ ἀοιδῶν
Ὑμνοῦσι καὶ λέγουσι
Σλᾶδός τε Φράγκιός τε.
Σὺ γὰρ δότειρα παντὸς
Γάνεός τε χάρματός τε.
Σὺ γὰρ δότειρα πάσης
Μολπῆς τε καὶ χορείης.
Σὲ μὲν οὖν, φίλη, πίωμεν,
Σὲ μὲν οὖν, φίλη, λέγωμεν,
Φιλῶ φιλῶ σε μ. ην.
Θεοῖς, θεῶν τε πατρὶ,
Ἐν χρυσέοις σκύφοισι
Διδοῖ τὸ νέκταρ Ἥβη·
Σὲ μοι διακονοῖντο
Σκύφοις ἐν μυῤῥίνοισι
Ὧι κάλλεϊ πρέπουσαι,
Ἥβην ὅλην πνέουσαι,
Καλαῖς χέρεσσι κοῦραι.



πρὸς
Πέτρον Δανιῆλα Υέτιον,
καὶ
Πέτρον Πετῖτον,
Ποιηλῶν τε κ̀ ὑδροπότων ἄνδρας προφερεςάτους.

Ναὶ πάντων ἄλλων κάλλιςον, ναὶ μὴν ἄρισον,
Πρὶν σοφὸς ὡς εἶπεν Πίνδαρος, ἐςιν ὕδωρ.
Κουράων Ἑλικωνιάδων, Φοίβου τε, Πετῖτε,
Ἔςιν ὕδωρ, Θείη, σοῦ πάρα μελπομένη.
Ἀθανάτων ποτόν ἐςι, θεῶν ποτόν ἐςιν, Υ῎ετιε,
Θεῖον ὕδωρ, Θείη, σοῦ πάρα πινομένη.

Τῶν Εἰνσιάδων Τύμβος.

Εἰνσιάδων τάφος οὗτος. ἐν αὐτῷ χώματι κεῖνται
Εἰνσιάδης γενετὴρ, Εἰνσιάδης τε γένος,
Νικόλεως Δανιήλ τε, καλὼ Μουσῶν ὑποφήτα,
Φοίβου Ἀπόλλωνος ἀνέρε μυςοπόλω.
Σφάλλομαι. ᾠδοπόλους κρύπτει τόδε χῶμα παλαιούς:
Φοίβου κ̀ πασῶν τύμβος ὁ Πιερίδων.

 Ἄλλο.

Ἄλλο.

Εἰνσιάδην, μεγάλοιο πατρὸς μέγαν υἱέα, ξεῖνε,
Λεύσσεις, Λουγδούνῳ κείμενον ἐν Βαταβῶ.
Μή μοι ἴοις, μὴ στέψε ῥόδοις, μὴ στέψ᾽ ὑακίνθοις
Τήνδε λίθον· τούτων φύλλα μινυνθάδια.
Τῆς δάφνης χλωροῖσιν, ἀεὶ ζώουσί τε φύλλοις
Τύμβον ἀεὶ ζώντων δεῖ στεφανοῦν ἀνέρων.

Εἰς τὸ αὐτό.

Εἰνσιάδα πάτερ, ἰδμοσύνην μεμνημένε πάσην,
Ἔξοχε μουσοπόλων, καὶ ἄνα, νειοτέρων.
Λάμβανέ σον φίλον υἱὸν, ἑῷ πατρὶ εἴκελον υἱὸν,
Ἐκ σέο γεινόμενον, πρὸς σε κατερχόμενον.
Σοῦ δέμας ἦν δέματος, σοῦ ἔην νόος ἐκγεναὼς νοῦς·
Νῦν δ᾽ ἔσεται μικτὴ σῇ κονίῃ κονίη.
Ἀλλ᾽ ὑμεῖς, ἄνδρες πανόμοιοι, χαίρετε πολλὰ,
Χαίρετε, καὶ πουλὺν νῦν ἄρα ζῆτε χρόνον·
Ὃν Φύσις ὔμμιν ἔδωκε βίον, πάλιν ἥρπασε Μοῖρα.
Νοῦς δὲ μὲν ἀθάνατον ὔμμιν ἔδωκε βίον.
Ὑμέτερον νόον ἐσθλὸν ἀεὶ κλέος ἐσθλὸν ὀπάζει,
Πρὶν ἴσον ἐν ζωῇ, νῦν ἴσον ἐν θανάτῳ.

Ἐδουάρδῳ τῷ Βερνάρδῳ

Πέμπει τὰ ἑαυτοῦ Ποιήματα.

Μετρητὰ γαίης τε καὶ οὐρανοῦ ἀστερόεντος,
Παντοδαπῆς γλώσσης μύστα, καὶ ἱστορίης,

Θαῦμα σοφῶν, Βέρναρδε, τεῶν μέγα θαῦμα Βρεταννῶν,
Τῶν ἀρχαιολόγων φῶστερ Ἰουδαϊκῶν,
Λάμβανε τήνδε βίβλον, χαρμέσατε, λάμβανε Μοῦσαν
Ἡμετέραν, πολλῆς μνημόσυνον φιλίης.
Ὡς δ' ἐν βιβλιδίῳ τεὸν οὔνομα τῷγέ μοι, οὕτως
Ἔστω ἐμὸν κραδίῃ γραπτὸν ἐν ὑμετέρῃ.

Πέμπει τὰ ἄυτα

Ἱερωνύμῳ Γουλιέλμῳ τῷ Συαβελίῳ.

Φιλοβίβλῳ καὶ βιβλοφάγῳ τὴν βίβλον ἑταίρῳ
Φίλος ἐγὼ βίβλων δῶκα παλαιγενέων.
Εὐπρεπές ἐστι τὸ δῶρον· ἔδει γὰρ βιβλοφιλοῦντας
Οὐκ ἄλλο σφετέρης τέκμαρ ἔχειν φιλίης.

Εἰς Φυλλίδα.

Ὡς δύναταί τις ἐρᾷν, ἔραμαι τῆς Φυλλίδος Ἄλκων,
Οὐδὲ πότ' ἐστιν ἐμῆς παῦσις ἐρωμανίης.
Ἀλλὰ μευ οὐκ ἔραται Φυλλὶς φίλη· ἀλλ' ὑπ' ἔρωτος
Ἀλλοτρίου μανίην μαίνεται οὐλοτέρην.
Ῥυτιδανὸν τὸν Μόψον, ἄμορφον, ἀείδεν ἄπειρον,
Ἡ νῦν χιονέαις χερσὶ περιπλέκεται.
Ἀντὶ δὲ πιστοῦ ἔρωτος ἐγὼ τάλας, ἀντὶ δὲ πολλῶν
Δουλοσύνης ἐτέων, τοῦτο τὸ δῶρον ἔχω.

Εἰς ἀηδόνα.

Ὦ μέγα Κεκροπίης, Πανδίονι, κῦδος ἀρούρης,
Εἴαρος εὐόδμου ἄγγελε μειλιχίε,

Ὦ μάλα μὲν χαρίεσσα, τεαῖς σύ μοι οὖατα θέλγε,
Θέλγε τεαῖς μολπαῖς οὖατά μοι γλυκεραῖς·
Σοὶ δὲ θεοὶ δοῖεν γλῶσσην, τῆς, ἥν τοι ἀπηύρα
Αἰνόταλος Τηρεὺς, πουλὺ ἀρειοτέραν,
Τόσσον τ' ὄρνιθας παρελαύνειν σῇ ὀπὶ καλῇ,
Ὅσσον παρθενικὰς σῇ πάρος ἀγλαΐῃ.

Εἰς τὴν τῶν Τραιεκτίνων παρὰ τὸν Ῥῆνον πόλιν.

Χαίρετε Τραιέκτου καλὰ Τέμπεα, χαίρετε Νύμφαι,
Καίουσαι φίλην, ὥς ποτέ, μοι κραδίην.
Ὕμμας ἐγὼν, ἄκρηβος ἐὼν, τὴν Ναΐδα δίζων
Τὴν καλὴν, σφετέροις τείχεσι κρυπτομένην,
Ὕμμας ἐγὼν ἐφίλησα, φιλεῖν δὲ καὶ οὔποτε λήξω
Εἵνεκ' ἐμοὶ φίλης τῆς ποτε παρθενικῆς.
Ἣ μὲν ἐς ἀθανάτων δόμον ἤλυθεν οὐρανιώνων
Εἴκελος οὐρανίῃ Κύπριδι καλλοσύνην.
Ἀλλὰ τὸ μνημόσυνον τόδε μοι χαριέστατον αἰεὶ,
Αἰεὶ ζωὸν ἐμοῖς στήθεσιν ἐνδιάει.
Καὶ νῦν σε, πτολίεθρον, ἰδὼν, σ' ἐνναιετάουσαν
Νῦν ἔτι καὶ κλαίω, νῦν ἔτι καὶ ποθέω.

Ἄλλο.

Τείχεα, μαρτύρια προτέρου γλυκυπίκρου ἔρωτος,
Πρὶν καλὰ, νῦν πάντη κάλλεϊ λειπόμενα,
(Ὑμέτερον γὰρ ἔην κάλλος ποτε, δῖα Λυκωρίς·
Ὑμέτερον κάλλος τῇδε συνεξέφυγεν)

Ἀλλὰ

Ἀλλὰ καὶ ὡς ἐρατεινὰ, καὶ, ὥσπερ πρῶτον, ἐμοῖσι
Φίλα πάνυ βλεφάροις, καὶ χαρίεντα πάνυ.
Ὕμμας ἐμός ποτ' ἔναιεν ἔρως· μοῦ εἵνεκ' ἔρωτος
Φιλήσ' ὑμετέρους αἰὲν ἔγωγε δόμους.

Εἰς Ἔαρ.

Ὦ ῥεέων πάτερ εἰαρινῶν, πάτερ ἀγλαϊάων,
Καλὸν ἔαρ, πάσης δῶτερ εὐφροσύνης,
Ἥβη τοῦ λυκάβαντος, ἐνὶ τρυφεροῖσι ῥοδοῖσι
Πλέγμασι βεβριθομένην αἰὲν ἔχον κεφαλήν,
Χαῖρε πολὺ, μέγα χάρμα Θεῶν, μέγα χάρμ' ἀνθρώπων,
Χαῖρε, φίλη ῥινῶν τέρψις, ἰδὲ βλεφάρων,
Χαῖρε, καὶ αὖ ἄνθησον ὅλον, ὡς πρὶν, ἐνιαυτὸν,
Τέρπε δέ μοι ῥῖνας, τέρπε δέ μοι βλέφαρα,
Δός τε τανυφλοίοις ὑπὸ δένδρεσιν αἰθριοκοιτεῖν,
Ὦ εἶδος κόσμου, καλὸν ἔαρ, προτέρου·
Ἀλλά σε μὴ βλάπτῃ, τότε σὸν μὴ κάλλος ὀλέσσῃ,
Ἥλιος φρυκτὼν, ἢ Βορέης αἴων.

Εἰς Μελίτειαν.

Ἔστι καλὴ Μελίτεια, νέη Κύπρις μετὰ Κύπριν,
Τοῦ γλυκεροῦ γλυκερὴ καὶ πλέον οὐνόματος·
Ἔστιν ἐμὴ χαρίεσσα κόρη, Χαρίτεσσιν ὁμοίη,
Καὶ χαρίεν τι λαλεῖ, καὶ χαρίεν τι γελᾷ.
Ἀμβρόσιαι χαῖται γλαφυρὸν σκεπάουσι μέτωπον·
Στίλβουσιν πολλὴν ὄμματα μαρμαρυγήν.
Ἔστι γλάγος κέρασός τ' ἐν χείλεσιν, ἔν τε γενειαῖς
Ἔστ' ἴα λευκὰ, ῥόδοις μιγμένα πορφυρέοις.

Ἔστι χιὼν πᾶν σῶμα· χιὼν ἐλεφάντινος αὐχὴν,
Χιονέοι μάζοι, χιονέαι τε χέρες.
Χερσὶν ἀμωμήτοις καὶ Ἀράχνην ἰσοφαρίσδοι,
Καὶ τὰς δαιδαλέας Τριτογενοῦς παλάμας.
Ἀλλομένην ὅτ' ἴδης, δοκέεις γε μὲν εἰσοροᾶσθαι
Ἢ μίαν Νυμφῶν, ἠὲ μίαν Δρυάδων.
Εἰ μέλπει, Μουσῶν φαίης ὄπα ἀκούεμεν αὐλῶν·
Εἰ φράζει, Πειθοῦς τὸ στόμα θελξινόου.
Κάλλος ὅλη, χάρις ἐστὶν ὅλη, μέλι ἡ Μελίτεια
Ἐστὶν ὅλη, καὶ ἐάν τι γλύκιον μέλιτος.
Ζεῦ πάτερ, εἰ κύκνοι Μούσαις φίλοι ἐσμὲν ἀοιδοί,
Ἔστω μοι Λήδη τοῦτο τὸ κουρίδιον.

Τῷ Ἡλίῳ εἰκάζεται ἡ Φυλλίς.

Θαυμάζεις, ὅτ' ἐγ' Ἡελίῳ σὺν κάλλος εἴσκω,
Ὤ κάλλος καλοῦ κάλλιον Ἡελίου;
Ἀλλὰ καλῶς ἔχει ταῦτα· Δύω σὰ καλ' ὄμματα, Φυλλί,
Ἀστέρες εἰσὶ δύω, καὶ δύω Ἡέλιοι.
Ἀλλὰ καλῶς ἔχει ταῦτα· Βίον μὲν πάντα χορηγεῖ
Ἠέλιος κόσμῳ· μοὶ σύγε, Φυλλὶ φίλη.
Πᾶν σκότος Ἠέλιος, καὶ πᾶν νέφος, αἰθέρος ὠθεῖ·
Σὺ σκότος ἐκ κραδίης, καὶ νέφος, ἡμετέρης.
Ἀστέρας Ἠέλιος κρύπτει ᾧ φέγγει πάντας.
Φέγγει σῷ πάσας, Φυλλὶ, σὺ παρθενικάς.

Ἄλλως.

Θαυμάζεις, ὅτ' ἐγ' Ἡελίῳ σὺν κάλλος εἴσκω;
Ἡελίῳ καὶ σοὶ μηδὲν ὁμοιότερον.

Οὐχ' ὁρᾴεις; τὸν κηρὸν ὁ Ἥλιος καλαλήκει,
 Τὸν δὲ σκληρύνει πηλὸν ὁ Ἥλιος.
Ὡς πηλὸς, διά σε, σκληρύνεται ἡ κραδίη σή·
 Ὡς κηρὸς κραδίη τήκεται ἡμελέρη.

Εἰκάζεται

Τῷ Φωσφόρῳ καὶ τῷ Ἑσπέρῳ.

Φωσφόρῳ εἰκάζω σε, καὶ Ἑσπέρῳ ἀγλαομόρφῳ,
 Φυλλὶ φίλη, ἀστρῶν λαμπροτέρ' ἀμφοτέρων.
Φωσφόρος εἷς ἀστὴρ, καὶ Ἕσπερος· Ἐσσὶ σὺ ἀστὴρ
 Πρώϊον Ἠῷος, δειλινὸν Ἑσπέριος.
Φωσφόρος ἡ Παφίη, Παφίη καλὸς Ἕσπερός ἐστι·
 Τῇ Παφίῃ καί σοι, Φυλλὶ, τί ἰσότερον;

Εἰς Ἀριάδνην.

Οὐκ ἐσορᾶν ὅταν ἐστὶ ποθεινοτάτην Ἀριάδνην,
 Οὐκ ἐσορῶ καλοῦ καὶ φάος Ἠελίου.
Ὀφθαλμοὺς ἐκάλυψε σκότος, καὶ νὺξ ἐρεβεννή,
 Τὴν κραδίην ὀλοὴ νὺξ ἐκάλυψεν ὅλην.
Μηδὲν ἐμοίγε φίλον, μηδὲν γλυκὺ, μηδὲν ἐραστὸν,
 Ὡς ἔφυγε ψυχῆς Ἥλιος ἡμελέρης.
Ὕπνε πέτου, σύγε μοῦνος ἐμῶν παθέων τε κακῶν τε,
 Μοὶ σύγε παῦσις ἐμῆς, Ὕπνε, πέλεις ὀδύνης.
Ὦ μάκαρ Ἐνδυμίων, ὃς νήγρετον ὕπνον ἰαύει
 Τῇ Μήνῃ φίλαις οὔρεος ἐν κορυφαῖς!

Εἰς τὴν αὐτήν.

Ἄνθεα καλὰ λέγουσα φιλομμειδὴς Ἀριάδνα
 Βῆ διὰ λειμώνων πρώϊνος εἰαρινῶν,

Ἄλλαις σὺν πολλαῖσι, μελέπρεπε δ' ἔξοχα πασέων,
Ὡς ἴον εἰν ἄλλοις ἄνθεσιν, ἠὲ ῥόδον.
Εἶδον ἐγὼ κούρας ἑλικώπιδας, εἶδεν ἐμ' αὐτὸν,
Ῥίμφα δ' ἐς ἦτορ ἐμὸν τόξα τίταινεν, Ἔρως.
Ἄνθεα λέξ' Αριάδνα, ἐγὼ δὲ φίλην Ἀριάδνην,
Κάλλισον πάσης ἄνθος ὁμηλικίης.

Εἰς ῥόδον.

Εἴαρος ἀςεροπὸν κάλλος, λειμῶνος ἀϋτμὴ,
Γηθοσύνη μερόπων, ἀγλαΐη τε, ῥόδον,
Ὄμμα καλὸν πάντων τε φυτῶν, πάντων τε καὶ ἄνθεων,
Κόσμος ἔρης, ἀνδρῶν αἷμα διοτρεφέων,
Καλοῦ Ἀδώνιδος αἷμα, καλῆ φίλον αἷμα Διώνῃ,
Δεῦρ' ἄγε, καὶ κούρην ἕρπε ποθ' ἡμετέρην.
Ἕρπε ποθ' ἡμετέρην, ἄγε, Κύπριδα. Φίλτατον ἄνθος
Κύπριδι, καὶ κούρη ἐστὶ σὺ ἡμετέρη.
Χιονέῃ σε μὲν ἢ ψαύσει χερὶ, ἤ σε φιλήσει
Μειλιχίου σόματος χείλεσι πορφυρέοις.
Πολλάκι καὶ μάζοις καὶ σήθεσιν ἐνδιαθρύψεις,
Κείσεαι ἐν κόλπῳ πολλάκι νεκταρέῳ.
Σπεῦδον ἄγ' ὦ, μάλα σπεῦδον· ἐκεῖ λήγειν τε θανεῖν τε
Βέλτερον, ἢ κήπῳ ζῆμεν ἐν ἡμετέρῳ.

Εἰς τὸ αὐτό.

Ἄνθος, τῶν ἄλλων βασιλεῦ, χαριέςατον ἄνθος,
Χλωρίδος εὐόδμου τέκνον, ἰδὲ Ζεφύρου,
Βαῖνε ῥόδον, τάχα βαῖνον, ἐμῆς ποτὶ δώματα νύμφης,
Καὶ φίλε παρθενικὴν, ἀντί μου, ἁβροτάτην.
Πνεῖ χάριτας, πνεῖ πυκνοτάτους βλεφάροισιν ἔρωτας,
Πνεῖ σόματος μαλακῶν νέκταρ ἀπὸ προθύρων.

Οὖλα κομᾷ, ἥδιςα γελᾷ, ὥσπερ γελάωσιν
 Εὐπέταλοι λιγυρῷ σαὶ κάλυκες Ζεφύρῳ.
Τίπτ' ὀκνεῖς; ἢ δειδιάεις καλάς τε παρειὰς,
 Χειλέα τε γλυκεροῖς παντόθεν ἶσα ῥόδοις;
Ναὶ, φίλε, ναί. τρομέεις καλὰς ῥοδέας τε παρειὰς,
 Χείλεά θ' ἡμετέρης πορφυρόεντα κόρης.

Α'λεξις καλαβρεχθείς.

Τῆς Αἴγλης ὁ Α'λεξις ἐς ὕδατα γειτνιάοντα
 Πίπτε, κρύους ψυχροῦ ὕδατα πηγνυμένου.
Η' καλός ἐςιν Υ'λας ὅγε μικκύλος, αἱ καλαὶ εἶπον
 Νύμφαι, ἢ μὲν Ε'ρως ἐς' Α'ναδυόμενος.

Α'λλο.

Μικρὸν Ε'ρωτάριον μικροῦ ποταμοῖο ῥεέθρον,
 Τὴν Παφίην πόντος τίκτεν ἀπειρέσιος.

Α'λλο.

Ε'κ ποταμοῦ Α'ναδυόμενον γράφ' Ε'ρωτα, Διώνην
 Ε'κ πελάγους γράψας τὴν Α'ναδυομένην.

Α'λλο.

Τὴν Α'ναδυομένην ποτε γραψάμενος Α'φροδίτην,
 Νῦν Α'ναδυόμενον γράψον Ε'ρωτάριον.

Εἰς τὴν Α'ηδόνα.

Η'ν πάντες κίκλησκον ἀηδόνα, τῶν λιγυφώνων
 Η'διον ὀρνίθων ᾖδεν ἐπισαμένης,

Τῆς καὶ ἀηδονίδας νικώσης ἡδέϊ φωνῇ,
 Τίς νέος ἤκουσεν πλούσιος ἀδομένης·
Πολλὰ δὲ θαυμάζων ὁ ἐρωτύλος, ἤθελε τέχνην
 Τήνδε μαθεῖν μισθῷ τῆς παρὰ καὶ μεγάλῳ·
Ἀλλὰ τάλας, ἀδίδακτος ἐρᾶν, ἀδίδακτος ἀείδειν,
 Ἄλλεἰ ἐς οὐ φυκὶας τοῦ πενιχρῆς παγίδας·
Καὶ νῦν μὲν, μισθῷ μεγάλῳ δεδαημένος ᾄδειν,
 Ἀείδει δρυμοῖς οἰκτρὸν ἐνὶ πατρίοις.
Ἀτρεκέως σοφὸς ἦσθα, Θεόκριτε· καὶ γὰρ ἀηδὼν
 Ὀρνίθων ἄλλων ἐστιν ἀοιδοτάτη.

Ματθαίῳ Σλάδῳ Ἰατρῷ.

Ἰατρῶν μέγα κῦδος, οἳ Ἀμστελίῃ ναίουσιν
 Ἐν πόλει, Ἀμστελίων κῦδος ἀοιδοπόλων·
Φοίβου Ἀπόλλωνος φίλον τέκος, ἔξοχα πάντων
 Ὃν φιλεῖ ἰατρῶν, ὃν φιλεῖ ἀιδοπόλων·
Χαῖρε, πατρὸς τέκνον μάλα γνήσιον· ἐστι γὰρ αὐτὸς,
 Ὡς σὺ, ὅγ' ἰατρὸς· ὡς σὺ, ἀοιδοπόλος.
Εἰ δ' ἰητρὸς ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων
 Ἐστιν, Ὁμηρείῃ ὡς φάτο μαντοσύνῃ,
Ἐσσὶ σὺ μὲν πολλῶν πρῶτος καὶ ὑπείροχος ἄλλων,
 Σλᾶδε, θεοῦ τέχνῃ ἴδρις ἐν ἀμφοτέρῃ.
Χαῖρ', ἀνδρῶν ἄνερ ἀντ' ἄλλων, ᾧ πολλὰ καὶ ἐσθλὰ
 Φάρμακα, ὧ καλὴν Φοῖβος ἔδωκε λύρην.
Χαῖρε πάλιν, ψυχῇ τε δίδου, καὶ σώματι, πολλὴν
 Τῇ μὲν εὐφροσύνην, τῷ μὲν ἀπημονίην.

Περὶ

Περὶ τοῦ Σλάδου,

Ὃς μὴ καθεύδειν δυνάμενος

Ποιητὴς ἐγένετο.

Οὐ μία πρὸς Μούσας ἐς' ἀτραπός· οὐ μία Σλάδῳ
Ἔςι γὰρ ἰατρῷ, ποιμένι θ' Ἡσιόδῳ.
Τὰς Μούσας ἐῷ Ἡσίοδος πάλαι εἶδεν ἐν ὕπνῳ·
Τὰς νῦν μὲν Μούσας Σλᾶδος ἄυπνος ἴδεν.
Αἴθε μοι ἀγραυλεῖν οὕτως, οὕτως τε καθεύδειν,
Ἢ Σλάδου Μοῦσαι δοῖεν, ἢ Ἡσιόδου.

πρὸς τὸν αὐλόν.

Ὑδροπότα, μίσοινε, φίλου πάντεσσι Λυαίου
Ἐχθρὲ, καὶ ἀμπελινῆς, Σλᾶδε, φυτοσπορίης·
Τί ζητεῖς; τὸν Βάκχον ἀποσχίζειν, ἀποκόπτειν;
Ἔςι Θεὸς Μουσῶν, ἐςί γε Μουσοπόλων.
Ἀλλὰ, φίλε, βλέψον, μὴ καὶ σύγε, ὥςε Λυκοῦργος,
Ὡς Πενθεύς, θανάτῳ ὄλλεαι αἰνοτάτῳ.

Αἰγιδίῳ τῷ Μεναγίῳ.

Θύρσιν καὶ Κορύδωνα διακρίνειν με κελεύεις.
Τούς γε διακρίνειν οὐκ ἐμὸν Αἰγίδιε.
Καλὰ πνέει Κορύδων, Θύρσις καλά. δῖ' Ἀμαρυλλὶς,
Δῖα κόρη Φυλλίς. πάγχαρις ἀμφοτέρα.
Νήπιος ἀθανάτας κρίνοι Πάρις· ἀλλά μοι εἴη
Οὐ περὶ τῶν θείων κρῖναι, ἰδ' ἀθανάτων.

Περὶ

Φιλέλληνι καὶ Φιλομούσῳ ἀνδρὶ,

Ἰωάννῃ τῷ Κορβήρῳ, Ὑπάτῳ λαμπρολάτῳ, τὸ τρίτον ὑπατεύοντι.

Ἡμετέρης ὕπατος πόλεως, ὑπάτων τε πρόεδρος,
Κορβῆρος γαίῃ ἐστιν ἐν Ἀμστελίῃ·
Ἐσθλὸς ἀνὴρ Κορβῆρος, ἀγακλυτὸς, ὅς ποτ' ἄωτον
Μουσῶν, καὶ πάσης θρέψε δαημοσύνης.
Βουκολιασδώμεσθα καλοὶ νῦν βουκολιασαί·
Νῦν ψιθυρίσδωμεν ποιμένες ἀγρονόμοι.
Νῦν ὄϊες σκιρτᾶτε φίλαι, σκιρτᾶτε καὶ αἶγες,
Πάντ' εὐφραινόμενον τοῦ πάρα βουκόλιον.
Χαίρετε θυγατέρες τοῦ Νηρέος, ἀντὶ δὲ πικροῦ
Ὕδατος, Ἀμστέλιαι νῦν γάλα ῥεῖτε κόραι.
Χαίρετε Πηγασίδες, μάλα χαίρετε, τήν τε παλαιὰν
Ἑλλάδα, καὶ χώραν φεύγετε βαρβαρικήν.
Σύν τε καλαῖς Νύμφαις, σὺν ποιμέσι, σύν τε βοώταις,
Καλὸν τῷ Βαταβῷ ᾄδετε Μουσαγέτῃ.
Φίλος ἀνὴρ σοφίης, ὑμῶν φίλος, ὔμμιν ἐγείρει
Κορβῆρος γαίῃ Πίνδον ἐν Ἀμστελίῃ.

Εἰς Στέφανον Μορῖνον, ἄνδρα Πολύγλωττον καὶ πολυμαθῆ.

Τῇ Σοφίῃ φίλον ἄνδρα, φίλον Μούσαισι Μορῖνον
Ἐκ Καδομῶν γαίη ἔλλαβεν Ἀμστελίη.
Μῆτερ ἐμὴ, δὶς μῆτερ, ἐγὼ χαίρω μάλα, χαίρω,
Τῶν ἕνεκεν Μουσῶν, τῆς ἕνεκεν Σοφίης.
Ἀλλοτρίους σὺ φιλοῦσα, τεούς τε, σὰ τέκνα, πολίτας,
Μήτηρ τοῖς ἰδίοις ἐσσὶ, καὶ ἀλλοδαποῖς.

Εἰς Τὸν αὐτὸν, καὶ Πέτρον Βόσκιον.

Δοιὼ ἀρειολάτω Καδομοὶ δόσαν ἄνδρε· Μορῖνον
Πουλυμαθημοσύνῃ· Βόσκιον, εὐεπίῃ.

Εἰς τὸν Ἁρποκράτη Γισβέρτου τοῦ Κυπήρου.

Τοῖς καλοῖς, Κύπηρε, τεοῖς ὑπομνήμασι χαίρων
Ἁρποκράτης, ᾧ καὶ οὔνομα Σιγαλίων,

Οὗ

Οὔποτε σιγήσει τεὸν οὔνομα, καὶ κλέος ἐσθλὸν,
Ἀλλά σε μὲν, καί σοι κῦδος ὀφειλόμενον,
Οὐκ ἔτι δακτυλίῳ κλείων στόμα, οὐκ ἔτι κωφὸς,
Πᾶσιν ἐρεῖ κόσμου ἔθνεσι φραζόμενος.

Ἄλλο.

Ὃς τῷ δακτυλίῳ κλείει στόμα, χείλεα χειρὶ,
Σιγῶν, καὶ σιγᾶν πᾶσι κελευόμενος,
Κήρυξ ἀρχαιολόγου φήμην τε καλόν τε
Μήποτε σιγήσει οὔνομα Σιγαλίων.

Εἰς τοὺς Ψαλμούς.

Οὔρεα Βεθλεμιδῶν καὶ γείτονος ἄκρα Σιῶνος,
Δώματα Μουσάων καὶ ἕδος Ἑβραΐδων,
Πολλὰ μὲν εὐφραίνειν ὑμῖν, φίλα, πολλά τε χαίρειν,
Φίλος ἐγὼ Μουσῶν Φράγκιος ὑμετέρων.
Ἵλαθ' Ἰεσσιάδου σκιερὸν τοῦ ποιμένος ἄντρον·
Ἵλαθ' Ἰεσσιάδου ἁγνὸν ἄναντες ὄρος.
Ἵλαθι τοῖς μύσταις τόπος ἔμβατος, ἵλαθι Μούσαις
Ἑβραίοις ἱερὸν, τῷ τε Θεῷ, ἔδαφος.
Ἀντὶ δὲ Παρνησοῦ ὁ Σιὼν, ἀνθ' Ἱπποκρήνης
Ἔσω Πηγασικὸν νᾶμα Σιῶνος ὕδωρ.

Εἰς Βίβλον Γενέσεως.

Ἑλλάδος Αὐσονίης τε, φίλαι μάλα, καὶ χαρίεντες,
Χαίρετέ μοι γλῶσσαι, χαίρετέ μοι γραφίδες;
Καὶ

Καὶ τῶν Ἑβραΐδων (τίς γὰρ φθόνος;) οὐκ ἀέκοντες
Εἶκελέ μοι γλώσσῃ, εἴκελέ μοι γραφέϊ.
Βούλομ' ἐγὼ ἀνδρῶν προτέρων γενεήν τε βίον τε
Μανθέμεναι θείου τοῦ παρὰ Ἀμεραμίδου·
Γαῖαν τ', ὠκεανόν τε, τά τ' οὐρανὸς ἐστεφάνωται
Τείρεα, καὶ Μήνην, καὶ μέγαν Ἥλιον·
Πάντα τε τοῦ πινυτοῖο, γεγραμμένα τῇ ἐνὶ βίβλῳ,
Αὐτὸς ἰδεῖν ἰδίοις ἔργα Θεοῦ βλεφάροις.
Ἀλλὰ παλαιστάτη μοι ταῦτα παλαίτατα γλώσσῃ
Εἶπε γραφεὺς γραφέων πρῶτε παλαιοτάτων.

Γυμνάσιον Ἀμστελοδομαίων ὁπλομαχικὸν εἰς ναὸν Κελτικὸν μεταμορφωθέν.

Ἀρηός ποτε γυμνάσιον, Χριστοῖο θεοῖο
Ἔστι, καὶ οὐρανίης γυμνάσιον σοφίης.
Οὐ πρὸς σάρκα καὶ αἷμα πάλη νῦν ἔσσεται, οὐ πρὸς
Θῆρας ὑπερμέτρους, ἀνέρας ὁπλομάχους.
Ἄλλα μὲν ὅπλ', ἄλλη τε πάλη, ἄλλός τε καὶ ἄρης.
Ἔστι πνευματικὸς οὗτος ὅγε πόλεμος.
Ἀντίπαλοι, λαῶν βασιλεῖς, ἡγήτορες ἀνδρῶν
Ἀντίπαλοι, Θάνατος, Κόσμος, ὁ Ἀρχέκακος.
Δύνετε νῦν θώρηκ' ὤμοις, ζωστῆρα δὲ πλευραῖς,
Τὸν μὲν Ἀληθείας, τὸν δὲ Δικαιοσύνης.
Τοῖς ποσὶν Εἰρήνης ἁρμόζετε λευκὰ πέδιλα,
Τῆς Ζωῆς γλαφυρὴν τῇ κεφαλῇ κυνέην.

Δεξιᾳ

Δεξιτέρῃ δέξασθε ξίφος τοῦ Πνεύματος, ὃν δὲ
  Πίστις ἔχει, λαιῇ τὸν θυρεὸν παλάμῃ.
Στῆτε, φίλοι, καὶ θλῆτε, καλήν τε κομίζετε νίκην
  Πνευματικοῖς ὅπλοις τοῖσι, καὶ οὐρανίοις·
Πικρά τε καὶ στονόεντα, πυρί τε βεβαμμένα πολλῷ
  Δαίμονος ἠερίου σβέννυτε πάντα βέλη.
Τοῦτο Θεὸς δοίη, καὶ ἐν οὐρανῷ ἀστερόεντι
  Ἄξιον ἀθανάτων τόνδε θρίαμβον ἄγειν.

Εἰς τοὺς πολυμαθεῖς ἄνδρας ἐν τῇ ἐμῇ Βιβλιοθήκῃ κρεμασθέντας.

Ἀνέρες ἀθάνατοι, θνητοὶ θεοί, αἰὲν ἐόντων
  Αἷμα Θεῶν, Μουσῶν τέκν' Ἑλικωνιάδων,
Χαίρετέ μοι, χαρίεντα κάρηατα, χαίρετε πολλά,
  Ὦ φίλοι ἀνθρώποις, ὦ φίλοι ἀθανάτοις,
Ἀντὶ δὲ Παρνησοῦ πολυδειράδος, ἀνθ' Ἑλικῶνος,
  Οὐ Μούσαις ἐχθρὸν ναίετε τόνδε δόμον.
Ἔστι καὶ ὧδ' Ἑλικών, Μουσῶν ἕδος, ἔστι κ' Ἀπόλλων,
  Φόρμιγγι γλαφυρῇ ἡδύ τι μελπόμενος.
Σφάλλομαι, ἢ ἀπαφᾷ μ' ὁ Ζωγράφος; εἴδετε Φοῖβον,
  Εἴδετ' ἀειδούσας τὰς Ἑλικωνιάδας.
Σφάλλομαι. Ἀπόλλωνες ἀληθινοὶ ἐστέ μοι ὑμεῖς·
  Ὑμεῖς μοι Μοῦσαι τῶνδε κ' χρειότεραι.

Εἰς τὴν ἐμὴν Βιβλιοθήκην.

Ἱερὸν ἀθανάταις ὅσσοι τόπον εἴδετε Μούσαις,
  Βιβλία θ' Ἡρώων ταῦτα παλαιγενέων,

Οὐ

Οὐ τόσσον περιέρων μοι λδύασσε βιβλία φωτῶν,
Ὅσσον τοιούτων εἴδεα τῶν ἀνέρων.
Ἥδε μὲν οὐ μικρὴ, μείζων δ' ἔτι βιβλιοθήκη
Οὗτοι ἔσαν, πάσης ἔμπλεοι ἰδμοσύνης.

Ὕπνος, Σελήνη, καὶ Ἐνδυμίων, ἐν νομίσματί τινι ἀργυρέῳ Χαραχθέντες.

Λάτμον ἐς ἀκρότατον καλὴν πρὸς ποιμένα Μήνην,
Ὃν φίλον, αἰθερίου ἐκ δόμου Ὕπνος ἄγει.
Εἴδετε κυκλωθὲν ταύτης κέρας, εἴδετε τούτου
Ῥάβδον, τὰς διδύμας εἴδετέ μοι πτέρυγας,
Καὶ τὸ ὄρος, καὶ τόνδε καλαύροπα, τήνδε τε ποίαν,
Ἧ ἐνὶ κοιμηθεὶς κέκλιται Ἐνδυμίων.
Ὀλβίζω Νεανίσκον, ὃν ἀγκαλίδεσσιν ἑαῖσιν
Ἀμπλέκεται Νύμφη, καὶ φιλεῖ, οὐρανίη.

Εἰς τὴν Νεάπολιν, καὶ τὴν αὐτῆς πρὸς τὰ Ἑλληνικὰ σπουδήν.

Παρθενόπεια, νέης πόλεως ἣ νῦν ὄνομ' ἐστιν,
Οὐ μικρὴ μεγάλης Ἑλλάδος οὖσα πόλις,
Ἑλλαδικὴν πρὶν μὲν γλῶσσαν λάλει, αὐτίκα δ' αὐτῆς,
Τῆς ποτε πατρῴης, οὐκ ἔτι μνησαμένη,

Τὴν προτέραν πάλιν αὖ γλῶσσαν φιλεῖ τε λαλεῖ τε,
Αὐσονίης γλώσσης ἀντὶ καὶ ἐνδαπίης.
Χαίρετε παρθενικαὶ, Μοῦσαι, φίλαι· ἐστι μὲν ἥδε
Ἡ πόλις ὑμετέρη, καὶ, ὡς πάρος, Ἑλλαδική.
Καὶ νῦν Παρθενόπεια, Νεάπολιν ἣν καλέουσι,
Παρθενόπη ὄντως ἐστι, Νέη τε πόλις.

Ἄλλο.

Παρθενικῆς, πόλεως τε νέης πόλις οὔνομ᾽ ἔχουσα
Ἑλλαδικὸν, γαίης ἔκγονος Ἑλλαδικῆς,
Ἥιεν οὔνομ᾽ ἐὸν, κ᾽ ἐρυθραίνετο, τήν τε παλαιὰν
Παρθενόπη γλῶσσαν τοὔμπαλιν ἐξέμαθε.

Ἄλλο.

Παρθενόπη, πόντοιο παρ᾽ ὀφρύσι Τυρσηνοῖο,
Πρὶν πόλις Ἑλλαδικὴ, νῦν πόλις Αὐσονίη,
Τῆς ἀντ᾽ Αὐσονίης τὴν Ἑλλαδικὴν φράζουσα,
Νῦν λαλέει γλώσσην, ἣν ἐλάλει, προτέρην.

Ἄλλο.

Παρθενόπη, Ἀχελωϊάδων ἔδος αἰπὺ θυγατρῶν,
Ἑλλάδι ἐν μεγάλη Ἑλλὰς ἐοῦσα πόλις,
Ἑλληνιστὶ λαλοῦσα, ἀηδόνος ἥδιον ᾄδει,
Ἄδει Σειρηνῶν ἥδιον Αὐσονίων.

Ἰακώβῳ τῷ Γωϊήρῳ Τὴν ἀνέκδοτόν μοι Ἀνθολογίαν πέμψαντι.

Ἄνθεα Μουσάων κεκαλυμμένα, κ᾽ οὐκέτι λαμπροῦ
Χρύσεον ἠελίου εἰσορόωντα φάος·
Ἄνθεα Μουσάων ἡδύπνοα, πουλὺ μὲν αὐτῆς
Ὥρης, ἢ καλύκων ἥδιον εἰαρινῶν·
Ἄνθεα καὶ Χάρισιν πεφιλημένα, κ᾽ Ἀφρογενείῃ·
Ἄνθεα καὶ Νύμφαις ἱερὰ καὶ Βρομίῳ·
Χαίρετε πολλὰ παλαιγενέων μέτρ᾽ ἔνθεα φωτῶν,
Τῶν ἐπιγραμματίων λείψανον Ἑλλαδικῶν.
Χαίρετε Μουσάων φίλου φίλα δῶρ᾽ Ἰακώβου,
Τοῦ τάδε Μουσάων ἄνθεα δρεψαμένου·
Χαῖρε φίλου μέγα δῶρον ἐμοῦ, μέγα τέκμαρ ἔρωτος,
Μνημόσυνον πολλῆς χαῖρε φιλοφροσύνης.
Χλωρὶς λειριόεσσα, ἔαρ θ᾽ ὀρόωσα Ναπαίη,
Κοσμῶσι στεφάνοις κρᾶτ᾽ ὀλιγοχρονίοις.
Ὑμεῖς δ᾽, ἠΰκομοι, τούτοις τοῖς ἄνθεσι, Μοῦσαι,
Καλὸν, ἀεὶ χλωρὸν, πλέξετέ μοι στέφανον.
Πλέξετε μοι, Μοῦσαι, καὶ ἐμῷ τάχα πέμπετε φίλῳ,
Τῷ τάδε Μουσάων ἄνθεα πεμψαμένῳ.

Εἰς τὸ ἄνω Ἐπίγραμμα.

Ἀντ᾽ ἐπιγραμματίων ἐπίγραμμα, ἓν ἀντί γε πολλῶν,
Πέμπει Γωήρῳ τοῦτο τὸ Φραγκιάδης.

Ἔς' ἄχαρις χάρις ἡ, χαρίεσαλε, δῶρον ἄδωρον,
Σῆς ἐνεργεσίης ἀντὶ μικρὴ μεγάλης.
Οὐ γὰρ ἴσον, τὸ μὲν ἀντὶ τεῶν, νέον ἀντὶ παλαιῶν,
Χάλκεον χρυσείων, φαῦλον ἀρειοτέρων.

Εἰς εἰκόνα Πέτρου τοῦ Βοσκίου.

Τοῦτο τὸ γράμμα, τίνος; Χρυσοςόμου, ἢ Βασιλείου,
Ἢ Ναζιανζήνου τὸ ςόμα Γρηγορίου;
Τοῦτο τὸ Βοσκιάδου γλυκερὸν ςόμα. ψεύδομαι· αὐτῆς
Τῆς Πειθοῦς εἰκὼν ἥδε, καὶ Εὐεπίης.

Εἰς Εἰκόνα Πέτρου Δανιῆλος Υ'ελίου.

Εἰκόνα Υ'ετίοιο ὁρῶν, τίνος, εἶπαλε, λεύσσω
Εἰκόνα; ἢ Φοίβου; ἢ Διὸς Υ'ελίου;

Μαλθαίῳ Σλάδῳ Επιτάφιον.

Ἑλλαδικοῦ βασιλεῦ ἐπιγράμματος, εἴ ποτ' ἔτερπες
Σὴν φρένα μειλιχίοις ᾄσμασιν Ἑλλαδικοῖς,
Λάμ-

Λάμβανε, Μουσοπόλων μέγα, λάμβανε, κῦδος
Ἀχαιῶν,
Τοῦ παρά σοι φίλου τοῦτ᾽ ἐπιγραμμάτιον.
Καὶ φίλος φίλῳ, καὶ φιλέλληνι φιλέλλην,
Καὶ ζωὸς θνητῷ, καὶ βροτὸς ἀθανάτῳ,
Ἐνναέτηρ γαίης τῷ οὐρανοῦ ἐνναέτηρι,
Φραγκιάδης Σλάδῳ τοῦτο τὸ μνημόσυνον.

Ἄλλο.

Κάτθανες, ὦ φίλε Σλᾶδε, καὶ οὐκ ἐν πατρίδι γαίῃ
Εὕδεις νῦν ὕπνον πᾶσιν ὀφειλόμενον;
Κάτθανες· ἤ σε νέκυν κεύθει κόνις· οὐ δέ σε μοῦνον·
Σύν σοι γὰρ θεῖος κεῖται ὅδ᾽ Ἱπποκράτης.

Εἰς Τοὺς Λάκωνας καὶ Τοὺς Κρῆτας, Μετὰ τὸν σὺν Κρητί τινι ὀαρισμόν.

Οὔρεα μακρὰ τέταντο, θάλασσά τε ἠχήεσσα,
Μεσσηγὺς Κρητῶν καὶ Λακεδαιμονίων.
Τὴν βραχυσυλλαβίην κρατεροὶ φιλέουσι Λάκωνες·
Οἱ δὲ κακοὶ Κρῆτες τὴν κακομηχανίην.

Τίς δ' ἄρα πισεύσειε, μέγαν Δία, τῇδ' ἐνὶ νήσῳ,
Ἤ ποτε γινάμενον, ἤ ποτε θαψάμενον;

Αἰγιδίου τοῦ Μεναγίου ἀποθανόντος.

Τοῦ πάνυ Αἰγιδίου θάνατον καὶ πότμον ἀκούσας,
Τοῦ πολυθρυλλήτου, τοῦ φιλομουσοτάτου,
Ὀλλύμεθ', ὦ Μοῦσαι, Μουσῶν πρόμος, εἶπεν Ἀπόλλων,
Ὀλλύμεθ'. Αἰγίδιος κάτθανε Μενάγιος.

Ἀρνόλδῳ τῷ Μωνενίῳ, Τὴν Στεφάνου τοῦ Πρωτομάρτυρος Ἱστορίαν ἐν Ἐκκλησιαστικαῖς τισι διαγράψαντι ὁμιλίαις.

Μάρτυρος Ἱστορίην πρώτου πολλοῖσι λόγοισιν
Ἔννεπεν Ἀρνόλδος, καὶ γράφε, Μωνένιος.
Ὦ μάκαρες, Στεφάνῳ στέφανον δότε, Μωνενίῳ τε·
Τῷ μὲν ἐνὶ θνητοῖς, τῷ μὲν ἐν ἀθανάτοις.
Ἀθάνατος στέψεν στέφανος Στεφάνοιο κάρηνον,
Ἐν μέσσῳ στεφάνου αἰθέρι φαινομένου·
Μωνενίου, μετὰ πότμον ἐόν, στεφανοῖτε σκέποι τε
Κρᾶτα χαριζόμενος τῷ Στεφάνῳ στέφανος.

Τέλος.

INDEX.

HEROICA.

ECLOGÆ.

ELEGIAR. Lib. I.

ELEGIAR. Lib. II.

ELEGIAR. Lib. III.

ELEGIAR. Lib. IV.

ODAR. Lib. I.

ODAR. Lib. II.

SILVAR. Lib. I.

INDEX.

SILVARUM. Lib. II.

In


INDEX.

EPIGRAMMATUM Lib. I.

In

EPIGRAMMATUM. Lib. II.

FINIS.



ERRATA

Sic emendanda.

Pag.	verſ.	lege
19	ult.	Tum clarus
31	20.	æternam & cœleſtia
36	ult.	omnes
37	18.	Aganippidos
54	24.	Gallica
65	11.	ſanguini
130	6.	conſilio
131	8.	lacrymas
136	25.	cruor
162	19.	jacui
169	17.	Quicquid
180	14.	amanti
196	8.	ductave
228	12.	Mollior hac
245	20.	populus
268	1.	fide
	30.	patentibus
274	4.	capit
275	18.	Illa
	19.	devictos
291	28.	Pinnigeras
302	2.	Tibris
	11.	quondam
310	1.	Græcia
339	14.	Patri
363	8.	Daventria
365	penult.	eliſos
367	17.	tua
415	16.	Cytherea
418	ult.	flammæ
419	17.	quot
	18.	requieſcere

ERRATA.

422	20.	ceu carcere
428	6.	terræ Juppiter
460	12.	κοίρανος
	19.	πεφιλήκῃ
	25.	ἧττον
461	10.	Α'τλητον
471	6.7.	θέλοι
479	ult.	πρωϊνὸς
487	7.	πινυτοῖο
488	3.	τλῆτε

FINIS.

